DE

# BELLO CONTRA TURCAS PRUDENTER GERENDO

*LIBRI VARII,*

selecti & uno volumine editi

cura

HERMANNI CONRINGII.

*HELMESTADI,*
Typis & sumptibus HENNINGI MVLLERI, Acad. Typ.
Anno CIↃ IↃC LXIV.

---

Cum privilegiis perpetuis Vic. S. R. I.

## SVMMA PRIVILEGIORVM.

*PRoximo interregno cautum est privilegiis Serenissimorum Potentissimorumque S. R. I. Vicariorum, ne quis unquam libros Hermanni Conringii cura scriptos vel editos, citra ejus heredumque consensum, intra limites Vicariatuum imprimat, aut alibi impressos divendat: pœna delinquentibus dicta, amissionis omnium ejusmodi librorum, & solutionis decem marcarum auri. Prout latius definitur ipsis Privilegiorum tabulis.*

*ILL. ET EXCELLENTISS. VIRO*

# ROBERTO GRAVELL

Christianissimi Franciæ & Navarræ Regis

in Germaniam Legato.

HERMAN. CONRINGIVS

*S. P. D.*

SExcentos circiter annos est ex quo Christianus orbis cum Turcarum potentiâ collidi cœpit. Simulaç nimirum Tangrolypecis, sive ut sui illum, vocant Tograe Selzuccij, felicibus auspicijs Sarracenorum per Asiam vis destructa, & nova ibi Tur-

cica longe lateque patens monarchia exorta est, mox in Novæ Romæ Imperium non minus feliciter versa sunt Turcarum arma. Non dubitavit quidem Europa reponere illis bellum, in ipsam Asiam plurimis sacris expeditionibus susceptis, & ducentos propemodum annos cum armis Turcicis, circa Palæstinam præcipuè, successu sæpe non infausto conflixit: tandem tamen omnia victoribus Turcis cedere coacta fuit; innumerâ Christianorum multitudine, & ipso flore fortissimorum quorumque universæ fere Europæ hominum, per illum longi temporis tractum, miserè perditâ & absumptâ. Quamvis autem illa Turcarum prima monarchia, cum intestinis dissidiis scissa tum Tatarorum armis victa, fœde ad ultimum interiit: mox tamen Aladino duce ex Perside profugi Turcarum nobilissimi, occupatis Iconio & Sebastia inclytis urbibus, novum per minorem Asiam regnum condiderunt, & superatis Græci Imperij provincijs aliquot, feliciter per nonaginta circiter annos, tenuere. Oguzij quoque, alius Turcarum populus sed vilior & hactenus in plaustris vagus, itidem profugi, initio ob navatam strenuè Selzuccijs gentilibus suis operam,

peram, prædiis & agris in Bithynia Phrygiaque donati, paulatim vicinos Christianorum fines carpserunt, at Aladinijs deniq; regibus deficientibus, Osmano duce non tantum omnem Turcarum superstitem vim, sed antiquâ gentis fortunâ in se versa, omnem ferè minorem Asiam in ditionem suam transtulere. Hoc novum Osmanidarum regnum illud est, quod inusitatâ dudum bellandi felicitate & universum Novæ Romæ Imperium, & tam multos alios Asiæ Africæ Europæque florentissimos populos, victricibus armis suam in potestatem redegit; quodque centum annis amplius Germaniæ quoque intendit jugum, imò totius reliqui orbis dominatum certa spe animo suo jam tum despondit. Sexaginta propè annos quieverunt quidem nonnihil adversa utrimque arma, pace licet infidâ saltim aliquatenus tamen constituta: nunc verò pactis conventis insuper habitis immanis illa bellua denuo nos aggreditur. Ea res non patitur temere quenquam securum esse: non prudentem sane quenquam, & quo cum hoste nobis res sit gnarum. Et verò quod Rudolpho Augusto Cæsare gestum nobis cum Turca bellum ultimum fuit, majoribus nostris minus

nus periculi intentaverat, quòd Transylvania omnis & Moldavia & Walachia validissimas copias unà nobiscum Turcæ objecissent, & sic Danubius nec commeatus nec armorum quidquam Constantinopoli submisisset, ab oriente etiam Persa tergo hostili imminuerit, imò haud parùm illius ferociam fregisset jam quo tempore bellum illud geri ceptum est. Erant circa initia & Hungari omnes ad bellum prompti paratique: non leve profectò in victoriam momentum. Nunc adversa omnia experimur. Illi tum socij jam hosti militant: Ister totus Osmanidæ servit: imbellior jam Persa nec Turcæ facile metuendus, & dudum ibi alta pax est: nec terrestribus copijs aliquid pridem damni illatum à quoquam fuit: in Hungaris postremo, posteaquã eos diffidere ipsis præsidibus suis multiplices fecere sacræ injuriæ, plane illæ quæ Rudolphi olim omnem victoriam corruperunt, vel exiguum vel incertum præsidium est collocatum. Adhoc Germania omnis diuturno bello domi exhausta, hinc luxu inops, neutiquam priscas vires adferre idonea est. Tantum vicinæ gentis periculum indubie movit Christianissimam Regiam Majestatem, ad tam

prom-

prompta & valida auxilia ſubmittenda & promittenda majora: ſapientiſſime ſcilicet expenſo, ſuam quoque rem agi, ardente ut ita loquar pariete proximo. Vtinam parē laudem mererentur & alij, quorum haud diſpar cauſſa eſt! Nunc dum nonnulli otioſos agunt ſpectatores, alij & fovent hoſtiles impetus modò quæſtum faciant, verendum ſane, ne dum ſinguli pugnant univerſi vincantur. Enimvero in communi incendio omnes accurrere, & pro virili juvare addecet, ne ſpreta flamma vim accipiens jam adaucta eludat reſtinguentium conatus. Hac ſane de cauſſa, & ego officij mei eſſe cenſui, non ſupine me tanto in discrimine gerere, nec tamen cum Diogene κυνικῶς dolium volvere aliis ſeriò laborantibus; quocirca, quod unum potui, ſaltim bona quæq; prudentum conſilia quaſi ex tenebris in lucem & ex ſitu in usū revocavi. Agnoſco nimirum, quàm ipſe ego bellicæ artis ſim rudis; nec eam & Turcicorum & noſtrorum armorum peritiam conſecutum me, ut ipſemet conſilio meo ſuccurrere huic bello noſtro aptus ſim: itaq; aliena dudum prudentiæ laudem merita producere, ſatius fore exiſtimavi, quàm vel nihil vel inter Annibales Phormionem

nem agere. Neq; ego dubito, abs te etiã, Excellentissime Legate, hoc meum institutum haud improbatum iri : conscius & sapientiæ tuæ pariter & æquitatis. Tuo autem judicio si absolvar à culpa, potero equidem quamvis asperas aliorum voculas secure contemnere : tantùm abest ut anxie mihi quærenda aliunde suffragia fuerint. Quin igitur Deum potius obsecro, ut quæ hoc volumine ex multo numero congessi, illa armis nostris felix suggerant consilium ; nec nostris solùm sed in universùm omnibus, quæ sive mari sive terra usquam locorum in Turcam expedienda veniunt. Et verò videor, me cum ex libellis hisce tum quadamtenus & Veneti belli usu didicisse, omnium feliciſſime Turcam mari expugnari posse : nulla enim parte magis esse debilem aut latere minus tecto. Eoque & illis maritimis armis bene consulere utique oportet, non minus quàm terrestribus ; imo his potissimùm prospera quæque par est apprecari. Hinc sane soleo ego Christianissimam Regiam Majestatem plurimis passim laudibus prædicare, quod non contenta lectissimum in Hungariam militem mittere, classe etiam instructissima Africam ipsam, illam

Tur-

Turcicæ piraticæ ſedē ipſam & receptaculum, aggreſſa ſit: idq; non quæſtus captandi gratia,(quod mercatoria ſolent ingenia, quæ etiam à piratica iſthac lucrum exſpectant, modò ſibi videlicet haud noceat)non potentiæ ampliandæ ergo, ſed in communem Chriſtiani orbis uſum; quod vere eſt Regium, vere dignum Rege Chriſtianiſſimo. Secundet Deus hoſce etiam conatus, faxitque ut proſperitate ſuâ ad majora audenda ſint incitamento. Sane longe maxima à Lvdovico exſpectat orbis, poſtquā ita in illum ornandum omnigena jam tum quaſi conſpirat felicitas. Quæ inter profecto eſt & illud, ut claſſe Chriſtianiſſimâ expugnata Conſtantini urbs deſinat eſſe quod hodie eſt impuri Mahumetis metropolis, ſed Chriſto reddita hunc ſolum rurſus impoſterum adoret ac veneretur. Quidni verò tantus Rex præſtiterit, quod Flander olim Balduinus rei modicæ & Francico regno ſubditus Princeps effecit? Quidni nunc fiat quod inevitabile ſibi eſſe, conſtituentibus ita fatis, ipſimet Turcæ ejulabundi confitentur? Deſinat in Mahumethe imperium quod in Mahumete cœpit. Nemo Capetanæ familiæ Regum ad illas vires opeſq; hactenus aſcendit: nemo ad nutum uſque

adeo omnem habuit populum: nunquam milite domestico bellis exercito ita instructa Francia vestra fuit: nunquam perinde & classe valuit, quin hoc unum præcipue visum est hactenus Francicæ potentiæ defuisse. Iactentur Oceani fluctibus & vagentur in remotis, quibus unice quæstus cordi est: ad Mediterranei quod vocant maris imperiũ oportunus ipse situs Franciam quasi evocat. Nusquam melior, nusquam expeditior, parandæ gloriæ & Christiano orbi vindicando Christianissimo Principi campus patet. Hostis Christiani nominis domi quærendus, in hostico vincendus est, ubi bellum seipsum alit: velut Persas in Persia Alexander, Pœnos in Africa & Carthagine Scipio domuit. Habeat hæc nostra ætas LVDOVICVM MAXIMVM, ut alia PIVM, alia SANCTVM, alia SAPIENTEM, alia JVSTVM venerata est. Sentiant iterum Turcæ in ipsis visceribus suis jam olim formidata sibi Francorũ arma: & eò feliciore quidem successu, quo hæc bella justiora sunt illis in Palæstinam majorum expeditionibus. Sed quo prolabor? Hoc volebam, Illustrissime GRAVELLE, doceri hisce libellis, quî non terrâ tantùm sed mari etiam superandus sit Turca, & quidem mari potissimùm,

prom-

promptam victoriam illos polliceri: idque proinde à Christianissimo Rege merito orbem Christianum exspectare. Cæterùm fefellerint ne nos libelli isti, an salutaria suaserint, Tu quidem rectissime omnium judicaveris, qui & rerum usu & nativa polles prudentia. Omnium quoque optime Christiani orbis de Lvdovico Rege desiderium & mea vota expendere poteris, quem nihil fugit etiam arcanorum Franciæ penetralium. Cumque belli ejus, quod contra Turcas in Hungaria nunc Christianissimi quoque Regis felicissimis auxiliis geritur, cura Te tanti Regis Legatum indies occupet, utique non à munere, quo summa cum laude in Germania jam pridem fungeris, aliena fuerit hæc disceptatio; imo quotidianum hoc exercitium Te indubie aptissimum talium rerum judicem censoremque jam effecit. Enimvero in id præcipue Tibi præ omnibus hæc nunc publice offero, uti publice constet, quantum huic farragini sit tribuendum fidei. Pauci scilicet salubria à noxiis, vana à seriis, recta ab iniquis norunt distinguere: quamvis promiscue omnes sibi hoc sumant, & in vulgo credantur omnes sapere, saltim illi qui à Principibus sapere jussi sunt. Quæ per-

ſuaſio ſumme tamen rebuſpublicis detrimentoſa eſt: cum ſoli Tui ſimiles h. e. oppido pauci audiri jure debeant. Itaque bene profecto de communi ſalute Chriſtiani orbis mereberis, Illuſtriſime GRAVELLE, ſi quod Tu in paucis potes complures alios doceas, quid hiſce Conſilijs in tam periculoſi momenti negotio tribuendum ſit. Docebis vero ſi vel abjeceris illa vel benigne exceperis, ſepoſito illo quo offerentem me pridem favore es proſequutus. Neque verò velim cenſuram tuam adeo utilem benevolentiâ mei flecti in mitiora: ſed æquam plane & ſinceram expeto. Aliàs vim affectus illius tui in me, quem & coràm in aula Neſtoris noſtri Germanici AVGVSTIque heri mei, & per literas abſens aliquot jam annis exhibuiſti, expromas licet (quin imo ut pergas patrocinio me tuo complecti, etiam atque etiam rogo, perinde atque ego operam dabo, ut mea Tibi officia & debita reverentia nunquam non ſibi conſtent) nunc tamen quo ab affectu iſthoc fueris liberior eo acceptius judicium futurum eſt.

HER-

# BENEVOLO LECTORI S. P. D.

PRaclare meritus quondam est de republica Nicolaus Reusnerus vir multiplici præstans doctrina, collectis in volumina aliquot cum Epistolis tum Orationibus & Dissertationibus variis de eo quod Christiano orbi cum Turcis est bello: quamvis non multo post summa ingratitudine nomen ejus expunctum sit. Eanimirum belli illius est gravitas, illud inde discrimen impendet, ut omni studio excitandi sint animi, ne per ignaviam aut socordiam detrimenti quidquam salus communis patiatur, præsertim quum error omnis damnum pariat tantum non irreparabile. Mihi tamen non est propositum, vel meo quem calamo cohortari ad arma strenue gerenda, vel aliorum adhortationes nunc edere (id enim à Reusnero & aliis abunde actum est) sed tantum nonnulla quæ mihi omnium optima sunt visa, de bello illo prudenter gerendo, à præstantissimis scriptoribus suggesta Consilia in hoc unum volumen seligere. Neq; vero ipsemet ego par sum, qui hoc meopte Marte agam; ut aliorum autem scrinia compilem ab animo

meo est alienissimum: nec tamen me tanto in communi periculo supine quiescere & nihil agere, permittit patriæ & Christiano orbi debita pietas. Quamvis autem quæ hic edo non sint nova, aut in usum hujus adeo temporis conscripta, sed vetera jam, nonnulla quoq; præteritæ ætati seorsim quasi consecrata, non minus tamen nostris commodis profutura illa judico. Haud multum scilicet & Turcarum & nostræ res mutavere à pristino, in plerisq; fabula ut sic dicam eadem est mutatis tantum personis. Ut paucissimis exceptis eadem quæ olim & noxæ & usui hodieq; sint. Quod si sane & Romanæ bellicæ rei monumenta nunc quoq; insignem utilitatem adferre apta sunt, quanto plus fructuum exspectare licuerit ab hisce adeo nobis & vicinis & plane affinibus?

Cæterum in hac nostra collectione primum locum mereri mihi visa sunt, quæ ex Italico ante hos sexaginta amplius annos Latine vertit ediditque Jacobus Geuderus inclytæ Norimbergensium civitatis patricius. Et vero hæc etiam inter, me quidem judice, eminet LAZARI SORANZII Veneti opusculum: quod proinde reliquorum agmen quasi hîc ducit. Auctor libelli nobilissimâ Superantiorum familia Venetiis editus, ille ipse

est,

*eſt, quem anno ſeculi hujus ſecundo defunctum hoc elogio ornavit princeps Hiſtoricorum noſtri ævi Vir Illuſtris Jacobus Auguſtus Thuanus libro 127:* Lazarus Superantius patricius Venetus, cujus extat de rebus Turcicis magni judicij ac prudentiæ commentarius, hoc anno Aprili menſe ad meliorem vitam in patria migravit. *Eſt verò & hic libellus is à Thuano ita depradicatus commentarius. Non eſt ille quidem ea qua par eſt exactus vel dictionis vel methodi elegantia; judicium tamen & diligentiam in tradendis omnibus ad rem militarem neceſſariis, ut & prudentiam in iis explicandis, non temere deſideraveris. In nullo certe hujus argumenti ſcripto tantam bonæ frugis copiam reperias. Quod procul dubio debetur & auctoris indoli ad rempublicam natæ, & ſapientiſſimis Venetæ civitatis inſtitutis, & majorum civiumque Superantii aliorum, quibus Turcarum omnia cura & cordi ſunt, accuratiſſimis monumentis. Natus enim fuit Lazarus Patre Benedicto Soranzio, qui in victoria Corzolaria contra Turcas fortiter pugnans obiit, habuitque patruum Jacobum Venetæ reipublicæ ad Portam Ottomanicam Legatum: & abundat reſpublica illa ſapientiſſimis rerumq; Turcicarũ peritiſſimis viris:*

*à qui-*

à quibus sedula percunctatione accipi proinde talia potuerunt. Meruit præstantia libri, ut simulac Italice anno 1598 in lucem prodiit, biennio pōst & Latine pariter & Germanice verteretur. Persequutus verò est ille summa industria statum Turcici Imperii istum quidem præcipue, qui fuit Mahomethe tertio regnante anno 1597, quoniam vero ne nunc quidem is omnis mutavit, audeo ex hujus libri accurata lectione nostro quoq; tempori fructus insignes polliceri.

ACHILLES TARDVCCIVS Italus & ipse fuit: minore quidem Turcicarum rerum notitia, at cætera Soranzio doctior & peritior scribendi docendiq;, adhoc Tactica artis scientia plane insignis. Qua domo natus fuerit equidem ignoro: eodem autem anno 1597 paulo post Agriense prælium scripsisse hunc libellum, liquet ex nonnullis quæ parte tertia differuntur. Quum multa vero tradat quæ non propria sunt bello Turcico, sed in omni prælio observanda, communior potest esse libelli usus atq; extra etiam Turcica negotia.

ANONYMI Tertium opusculum longe est infra priorum duorum laudem, fateor. Nec abs me illo fuisset loco collocatum, nisi Geuderianas operas dividere religioni habuissem. Tanti tamen

jam

*jam olim fuit factum, ut & Philippus Honorius & Nicolaus Bellus & Caſparus Ens ſuis illud Diſſertationum voluminibus inſeruerint. Nec vero fortaſſis imprudenter diſſeruit auctor de maritimo contra Turcam bello: quoniam & Soranzius illud omnibus aliis expeditionibus prætulit, quaſi hac parte minime omnium valeat Turcica potentia: id quod & noſtra iſthæc ætas decemnovali hoc Cretico bello facile didicit. Cæterum libellum hunc exaratum eſſe circiter annum ſuperioris ſeculi octuageſimum quintum, paulo ante quam Amurathes in Hungariam arma verteret, manifeſtum eſt.*

*AVGERIVS GISLENIVS BVSBEQVIVS neq; ingenii elegantia, neq; varia doctrina, neq; prudentia & agendarum rerum dexteritate, neque poſtremo Turcicarum ſui ævi rerum peritia cuiquam fuit ſecundus. Perfunctus quippe ſemel iterumq; eſt ſumma cum laude, Ferdinando Imperatore (quo tempore florentiſſimæ Turcarum ſub Solymanno, Hungariæ autem afflictiſſimæ res erant) ad Portam Legationibus: poſteritatem quoq; nitidiſſimis & lectu jucundiſſimis epiſtolis plenius & rectius ſolito multa docuit Turcici ſtatus, quæ ſcire intereſt: neq; ex eo illorũ qui ipſi ſucceſſerunt quiſquam paria facere vel conatus eſt. Quem hîc exhibemus libellum, Maximiliano imperante videtur conſcriptus; cum*

ipse Busbequius demum anno seculi antegressi nonagesimo secundo in Gallis decesserit. Utilissima illum suasisse, & quæ nunc etiam debeant observari, nemo temere prudentior negaverit. Si sane talem militem, qualem ille voluit nostrum esse, hosti opposuissemus hactenus, non in illas angustias, quibuscum nunc conflictamur, pervenissent fortè res nostræ. Utinam vel tandem prudentissimis viri monitis aures præbeamus!

Magnum quondam rebus pace belloq; præclare in Polonia gestis nactus est JOANNES TARNOVIUS COMES: habuit quoq; ille Turcicam militiam regni patrii archistrategus penitissime cognitam. Igitur & illius de hoc argumento prudentes sane sermones, quales ipsimet Carolo V Imperatori offerre non dubitavit Joannes Strasius, heic inserere duxi operæ futurum pretium. Et vero quidni audiatur in hoc quasi militari senatu magnus belli dux etiam ex Sarmatia advocatus, post tres Italos & unum Germanum?

Quæ LAZARUS SVENDIVS in medium attulit, Hungariæ cumprimis & Germaniæ tutandæ faciunt. Cujus ille rei rationes omnes & usu exploratissimas habuit pariter, & qua valuit exacta bellandi scientia acri judicio perspexit intime; non consilio minus quam manu felix. Multa fateor

jam

jam tum ex ipsius monito in Hungaria sunt constituta, quibus fere solis servata hactenus fuerunt illa quæ ibi superant: at cum multa neglecta fuerint non sine magno damno & majore etiam in futurũ periculo, denuo fortem illum & sapientem heroëm attente audire, ex usu fuerit. In id sane à me libellus illius huc allatus est.

FELIX PETANCIVS nunc sero nimis audiatur. Non enim ille est rerum status, ut de istis itineribus nunc simus solliciti; pridem perdita maximam partem Hungaria, quæ Vladislao Rege integra perstabat. Adjunxi igitur hoc opusculum, saltim ut appareat, quam generosi olim fuerint Hungarorum conatus, & quo nunc omnia reciderint. Vtinam vero ea sit armorum nostrorum hoc bello felicitas, ut isthoc viæ monstratore nobis opus sit! Interim discere tamen hinc licebit viarum omnium, quibus Turcis longius dissitis in Hungariam eundum, conditionem: quod haud nescire itidem utile est.

CHRISTIANI FRANCI fictum nomen est, mihiq; proinde ignoratus scriptor. Vixisse quo tempore Rudolphi Cæsaris auspiciis gestum cum Turca bellum, nemo non videt. Neq; illum ad laudem aliorum accedere, ultro fateor: eoq; volui ut agmen clauderet. Quædam tamen satis opportuna loqui visus est, ac proinde in isthoc sapientum militari conventu saltim extremum locum dignus qui occupet.

Qui

*Quæ HENRICI TOVRENNII COMITIS nomine exstat oratio, omnibus jam editis in manus meas pervenit: nec adhuc satis sum certus, an ipsiusmet fortissimi Herois sermo sit, an vero ex persona illius conficta ab alio dissertatio. Quicquid sit, & prudentiæ, & eloquentiæ, & generosi pariter piiq; animi nitidum est speculum: nec par quidquam hactenus hujus argumenti in lucem prodiit, quod equidem sciam. Digna certe quam Christianissimus Rex audiat, & usq; adeo vetus bellandi dux habeat oratio, dignissima vero quæ ad omnem posteritatem perenni cum laude transferatur.*

*Hæc illa sunt, BENEVOLE LECTOR, quæ hoc Tibi volumine exhibeo. Aliena quidem omnia; in quibus tamen edendis plurimum mihi molestiæ sustinendum fuit, quod nihil non infinitis mendis laborarit, à quibus ut liberarentur omnia sedulam ego operam dedi. Indignum scilicet judicavi, tàm præclaros libellos adeo fœde sordideq; hactenus habitos à librariis, passimque vix intelligi potuisse, cum lectu essent dignissimi. Vt habere igitur iterum possis, quæ manibus dudum exciderant magno reipublicæ malo, utq; pura emendataque cum fructu versare queas adeo utilia, hoc demum debetur mihi. Quod si & pia arma Christiani orbis hinc commodi aliquid acceperint, magnum me pretium operæ cepisse existimabo. Id certe uti eveniat Deum veneror obsecroq. Helmestadij Kal. Septembr. Anno CIↃ IↃC LXIV.*

LAZARI

LAZARI SORANZII
Patricii Veneti

# OTTOMANNVS
sive
# DE IMPERIO TVRCICO.

Ex Italico vertit Jacob. Geuderus
ab Heroltzbergâ.

A

*ILLVSTRIBVS ET GENEROSISS. BB.*

# D. ALBERTO A LIMBVRG, S. ROM. IMPERII PINCERNÆ HÆREDITARIO, SEMPER LIBERO:

ET

# D. WEICKARDO LIBERO BARONI IN POLHAIM, DN. IN BVCHAIM ET VVARTENBERG; S. CÆS. MAI. A CONSILIIS,

DD. suis plurimum observandis.

QUIBUS virtutibus, & animi corporisque dotibus, Illustris & Magnanimus heros JOACHIMUS antiquioris prosapiæ COMES IN ORTENBURG, præditus fuerit, multis jam antea satis notum est; pluribus verò ex aliorum, me longè doctiorum, scriptis & commentariis innotescet. Mira sanè & rara fuit E. G. in vera & orthodoxa religione constantia, quam ardentissimo Zelo & indefesso studio ita coluit, ut nullis honorum & præmiorum pollicitationibus, nullis ærumnis aut miseriis, quibus longo satis vitæ spatio variè jactatus & afflictus fuit, ab ea divelli aliove flecti potuerit. Quid justitiam dicam? cujus in privatis æque ac publicis rebus & negotiis omni vitæ tempore fuit observantissimus. Quid prudentiam? Quid temperantiam? Quid magnanimitatem, juxta patientiam vere Christianam? qua infinitos adversæ fortunæ casus & insultus fortiter superavit; tum facultatum quoque jacturam non sanè exiguam animo æquo pertulit. Ea porro Illustris hujus viri humanitas extitit, ut non modo suæ aut lautioris quoque conditionis homines, sed quosvis etiam alios, viri modo bo-

ri & honesti, nec à sana doctrina abhorrentes essent, animo benevolo complexus, omnique officiorum genere prosequutus fuerit: ita ut nulli, cui prodesse modò se posse existimabat, operam suam unquam denegaverit. Hanc benevolentiam etiam me quotidie expertum esse libenter & ultro fateor, ac ni facerem, ingratitudinis crimen, à quo tamen semper abhorrui, meo merito incurrerem. Doctorum virorum, ipse non mediocriter omni eleganti doctrina imbutus, & vir ὁμιλητικὸς, colloquio, conversatione, literis & scriptis plurimum delectatus fuit, nec ullas accepit literas (quotidie autem plurimæ è diversis Europæ regionibus ad eum fuerunt perlatæ) ad quas non è vestigio ipse suo autographo responderit. Nec rei bellicæ imperitus fuit, cujus cum historia veteri atque recenti exactam cognitionem tenuit. Patriæ salute & prosperitate, ad quam omnia referenda, nihil prius, nihil antiquius habuit, eamque omni ratione promovere & procurare pro viribus semper est adnixus. Scio equidem his, quæ à me summatim strictimque & vix uno verbo dicta sunt, non omnes æque fidem adjuncturos: vera tamen me dixisse, multi Principes aliique magni nominis viri non diffitebuntur. Vos, Barones Generosissimi, ejus rei testes laudo omni exceptione majores. Partem tantum minimam laudum & virtutum hujus herois me attigisse ipsemet fateor, quas doctioribus persequendas libens relinquo,

Biennium verò jam agitur, quo E. G. in libellum Lazari Soranzii de Ottomannico Imperio scriptum, incidit; quo sæpius perlecto, de Turcico Imperio, deque attritis jam ipsius viribus & exhausta potentia, deque ejus exstirpandi ratione, nihil unquam elegantius in lucem prodiisse, rectè judicavit, dignumque ob id censuit, ut omnibus Germanis, quibus patriæ salus & libertas cordi est, innotesceret. Ejus igitur ex Italico idiomate in Latinum transferendi negotium viris aliquot eruditione & linguarum cognitione præstantibus, commisit; sed illi gravioribus occupationibus impediti, voti compotem E. G. reddere nequiverunt. Quod cum videret, mihi tandem ejus rei provinciam delegavit, mihi inquam omnium indignissimo, qui Italicæ linguæ studium vix primis, quod dici solet, labiis attigi: Latini verò sermonis, etsi eo velis remisque contendam, exactam cognitionem hactenus mihi vendicare non possim. Obsequendum tamen erat tanti viri de me meisque omnibus optimè meriti, voluntati ac jussui: unde non invitus ad hoc onus suscipiendum me accinxi, etsi obtrectatorum

ctatorum & invidorum reprehensionibus & calumniiis me expositum non nesciebam, quas tamen, hujus viri respectu parvi faciendas semper existimavi. Ut autem elegantiora & magis concinna singula prodirent, rectiusque mens autoris à lectoribus percipi posset, à Cl. viro Scip. Gentile JCto, quem honoris cusa nomino, precibus obtinui, ut ipse emendationem susciperet, & sicubi videretur, interpolaret. Quanquam verò jam ante sesquiannum finem huic labori, impoſueram, liber tamen ob quædam impedimenta, quæ intervenerunt, vivo Illustriss. Comite imprimi non potuit. Quo factum, ut ego spe Domino Comiti gratificandi, ipse verò laborum meorum, licet exiguorum, optatis fructibus, temporis injuria fraudatus fuerit. Ne tamen interea labor iste omninò vanus esset amicorumque flagitationibus aliquo modo satisfieret, eum cum aliis in lucem dare, & publici juris facere visum est. Vobis autem Illustres & Generosiss. Barones, qui defuncti Comitis ultimæ voluntatis executores, ut vocant, constituti estis dignissimi & vigilantissimi, eum dedicandum censui, quo palam omnibus constaret, eodem me defuncti memoriam, totamque Illustr. Ortenburgicam & vestras quoque Generosissimas familias honore & observantia prosequi, qua jam antea vivum semper colui & observavi: obnixè rogans, meum ut hoc erga vos studium animo & fronte serena accipiatis, meque vobis semper commendatum habere dignemini. DEUS opt. max. quàm diutissimè vos salvos & incolumes conservet. Valete. Perscriptum Heroltzbergæ, ipsis Kal. Januariis, anni 1601. cujus ingressum vobis Illustribusque familiis vestris, atque adeo toti Christianæ reipubl. faustum salutaremque exopto.

*VV. Generoſ.*

*ſtudioſiſſ.*

IACOBVS GEVDER
ab Heroltzberga.

# LAZARI SORANZII
## In Ottomannum suum
## PROOEMIUM.

*NT Principes viri rectissimè suo officio in regendo Principatu & justitia administranda fungantur, duo ipsis inprimis necessaria esse videntur: quorum alterum in eo consistit, ut rerum suarum perfectam cognitionem habeant: alterum verò vicinorum imperiorum statum & conditionem respicit. Quod omnium Politicorum & rerum agendarum judicio & ipsamet experientia comprobatur. Verùm in utroque assequendo, maxima ipsis cura atque diligentia adhibenda est, ut à falso verum perfectè discernere discant. Num, ut de priori taceam, si in posteriori, quod aliorum imperia considerat, investigatione nostra opinio & cognitio veritati non est consentanea, nunquam salutaria consilia, ea de re habita, prosperum successum & eventum optatum sortiri poterunt. Constat enim falsam inquisitionem vel informationem de dicto aliquo, re gesta, vel loco habitam, idem prorsus damnum atque periculum secum trahere, quod consiliarius minus prudens, & mendax, vel dux belli imperitus & inexpertus inducere potest. Magna igitur laude eos Principes dignos judicamus, qui nõ modò ingenia & fidem suorum ministrorum pernoscere & explorare studeant; verum etiam primum in ipsa aula, deinde in peregrinis quoque & exteris regionibus consiliarios suos habent, aliosque viros prudentes & expertos alunt: quorum illi quidem in historiis & scientia civili egregiè versati, hi verò in aliorum Principum actionibus, imperiorum inclinationibus, consiliis, negotiationibus, thesauris, armis, fœderibus, apparatibus, & viribus investigandis, oculatissimi & perspicacissimi sint. Ad quam rem plurimum conducet, regionum cognitarum, aut recens inventarum, vel quæ nondum in nostram notitiam pervenerunt, cognitio. Qua in re sempiterna laude & memoria Ioannes ille Lusitaniæ Rex, & Isabella Aragonum regina celebrandi*

*erunt,*

erunt, quod ipsorum auspiciis & opera India orientalis totusque novus orbis fuerit repertus.

Sed ut ad causas earum rerum, quas modo diximus, perveniamus: priores quidem, consiliarios scilicet, quod attinet, cum plurima dicantur aut scribantur adulandi animo, in favorem Principum excogitata, vel utilitatis spe, vel ex falsa aliorum relatione, vel ab ejusmodi personis, qui rebus non interfuerunt, aut qui metu perculsi veritatem in lucem edere non audent: maxima cautione & judicio ejusmodi acta vel scripta ab ipsis legenda sunt & perspicienda. De posterioribus verò sic statuendum, oculata testimonia majoris esse ponderis & fidei, quàm sunt illa quæ ex solo auditu & aliorum relatione percipiuntur. Quod quam verum sit, illi cognoscunt, qui regiones ipsimet perlustrarunt, varios postea in libris cosmographicis, geographicis, & chorographicis errores de Principum imperiis, populorum consuetudinibus, locorum situ, vulgo receptos observant. Qui tamen passim in antiquorum & recentiorum libris sparsi sunt, quod autores, qui de iis rebus scripserunt, plurima affirmant, quorum nunquam perfectam cogitationem habuerunt, aliorum descriptiones imitantes, quæ tamen hodie rei veritati parum respondent: neglecto eorum judicio, qui rebus ipsis interfuerunt, vel intelligentia præditi sunt, quo observare talia possunt. Homerus Vlyssem prudentiæ titulo ornat (qui omnium pulcherrimus est, qui viro principi, vel belli duci conveniat) non modo quod aures præbuerit ad percipienda quæ alii referebant, sed quod ipsemet observaverit consuetudines populorum, varias perlustraverit regiones & urbes plurimas. In hunc finem Plato lege cavisse videtur, ne quis civium suorum peregre ad lustrandas exteras provincias proficisceretur, nisi quadragesimum ætatis annum prius complevisset: ut nimirum annorum plurimorum decursu, animo ipsius prudentia confirmato, ad res, quæ in hoc mundo occurrere solent, considerandas maturiori cum judicio accedere, easque ad communem patriæ utilitatem conferre posit. Sed in aliorum facta non opus est ut inquirant Principes, qui peregrinos contra jus

gen-

gentium à suis limitibus arcent; ut incolæ Chinæ Moſci & Abyſſini alios ſuo commercio privare ſolent; vel qui aditus ſuarum regionum præſidiis muniunt, ne quis ſuorum exteros accedat: verentes cum Platone, ne peregrini mores & conſuetudines patrias & uſu jam receptas corrumpant. Verum qui majori humanitate præditi, omnes ſine diſcrimine admittunt, cum omnibus converſantur & commercia tractant, quique à potentiorum vi ſe defendere coguntur, illi jure & merito vigilare debent in ſingulas horas & occaſiones, non modò quæ in genere, ſed quæ particulatim eveniunt ponderare, & neglectis rebus privatis mercatorum, quid reipublicæ adminſtrationem concernat, perpendere, ipſorum eſt officii.

Quemadmodum igitur hiſtoriarum lectio hanc nobis utilitatem conferre debet, ut expræteritarum rerum eventu edocti in præſentibus & futuris prudenter nos geramus: ſic præſentia rectè cognoſcere & inveſtigare debemus, ut in tempore periculis occurramus; generali nimirum cognitione inſtructi, particularia illa ad eandem cum judicio referamus. Hic enim verus noſtræ ſcientiæ ordo eſt, ut à ſingularibus denique ad univerſalia deſcendamus. Hinc Veneta Reſpublica rationes & jura dominationis adprimè callens, non modo alios Principes imitans, legatos ad exteros Principes, judicio & ingenio perſpicaci præſtantes, mittere ſolet, verum etiam lege ſanxit, ut ubi quis legatorum domum redierit, verè & particulatim omnia ea in Senatu referat, quæ in aula Principis, apud quem Legati munus obiit, tum quoad ipſum Principem, tum ipſius imperii ſtatum & ordinem, obſervare potuit. Hujus legis ſanciendæ cauſſa extitit, ut juventus ad patriæ commodum in rebus Politicis à primis ſtatim annis inſtituatur. Ejusmodi relationes in archivis diligentiſſimè aſſervantur, ut Reipublicæ in futurum exemplis rerum præteritarum melius conſulatur, & nova informatione præſentium utiliter proſpiciatur.

Hæc me quoque cauſa movit, ut cum viderem palàm, alios plurimum rebus Turcicis detrahere, alios contra veritatem eos attollere,

*lere, quod vera informatione potius careant, quam ut studio alios decipere ipsis animus sit, publica plurimorum utili ati inservire laborans, statum Imperii Turcici examinare, & consilia ejus qui nunc eo potitur contra Christianum orbem excogitata, aperire & manifestare mecum statuerem, idq; modo convenienti, quatenus officii ratio illud permittit. Et cum quotidie experiar, relationibus olim habitis non semper esse insistendum, licet veræ sint: quod imperia vel propter Principum mutationem vel temporum successiones vel alias ob causas facilime mutari soleant: Venetæ quoque relationes, quibus plurimum fidendum, sub gravi pœna nemini communicentur, veteres etiam parùm ad propositum nostrum faciant: & quæ de recentioribus Epitomæ circumferuntur falsa sint, ut plurimum, & hominum potius imaginationes quam res gestas contineant. Idcoque de rebus etiam minimis, quæ ad propositum hoc nostrum facere videntur, maxima diligentia & industria inquirere volui, cum bellum quod nunc geritur ferè solum mundum universum suspensum teneat. Cum multis etiam viris judicio & experientia rerum præstantibus sæpissimè ipse de rebus contuli, quos recenter iis ex locis venisse noveram. Neq; mihi ipsi fisus sum, licet ibidem antehac plurimum viderim & observarim. Tandem rem totam in compendii formam redegi, ut usui Christianorum Principum, quorum illum scire refert, inserviret. Nam cum mihi exemplo Benedicti Soranzii patris mei, qui in victoria Corzolaria contra Turcas fortiter pugnans obiit, in bellum propter valetudinem minus commodam proficisci minimè liceat, bonum tamen publicum & commune, ad quod omnes studia sua conferre tenentur, ut Polyænus Macedonicus Antonino & Vero Imperatoribus rescripsit, pro animi viribus promovere potius cupiam, quam privatam vitam agendo otiosus & nemini utilis domi desidere. Sic Diogenem legimus dolium suum in plateis sæpius circumvoluisse, ne interea otiosus ipse conspiceretur, dum alii cives in patria defendenda strenuam operam navabant.*

*Igitur in præsenti nostro libello Turcicum Imperium describere, cujusmodi sub Mahemete III status ejus usq; ad exitum anni 1597 fuerit, decrevi. Temporis verò mentionem feci, quod me non lateat belli eventum dubium esse & ancipitem, quo facile plurima immutari possunt, & Principum instabilitatem & necessitatem res novas indies inducere consideratu dignas. Eum verò scopum inprimis mihi propositum habeo, ut quæ pertinent ad cognitionem belli, quod Turca cum Imperatore & Transylvano gerit, innotescant, vel quæ belli præsentis occasione requiri possunt, aperiantur. Nam si alia mihi scribenda in hoc argumento sumpsissem, veritus sum, ne nimis longus aut alicui tædioforem. Tum etiam quod alii cuipiam scripto, & ad alias opportunitates, plurima studiò reservavi. Interim plurima in medium adducam, quæ Christiano Orbi quovis tempore utilissima sunt futura, ut qui nunc vivunt & eorum posteri aliquem ex his laboribus fructum percipiant.*

*Ordinis igitur commodioris causa in tres partes librum hunc dividam.* Prima *de capite membris & viribus Imperii Ottomannici aget.* Secunda *de consiliis Mahemetis III, de causa belli quod nunc geritur, ejus de origine & progressu, tractabit, sumto initio ab Amurathis imperio qui Mahemetis pater fuit. In* Tertia *parte quæstio decidetur: Num Cæsar & Transylvanus pacem à Turca oblatam acccptare debeant, nec ne? Simul etiam ostendetur, tum quid detrimenti iidem Turcico Imperatori inferre, si bellum continuent: tum quemadmodum alii Christianorum Principes ipsi nocere possint; ut omni tempore periculis, quæ Christiano orbi à Turcarum armis impendere videntur, obviam eatur.*

LAZA-

# LAZARI SORANZII
## Ottomannus.

### Prima Pars.

In qua agitur de capite, membris, & viribus Imperii Ottomannici.

*Cur nomen Mahumetis Christiani detestentur, Turca illud tanquam fatale perhorrescant & abominentur.*

IS qui nunc Ottomannico seu Turcarum potitur Imperio, Mahumetes est ejus nominis tertius. Quod nomen, ut omniũm Christi fidelium detestatione & execratione dignissimum, propter duorum, qui hunc præcesserunt, ejusdem nominis Imperatorum facinora horrenda & immanitates, quibus Christianum nomen persecuti sunt: sic ipsi quoque Turcæ propter siniſtras quasdam & fatales opiniones, quas de eo mente conceperunt, illud perhorrescunt. Anxii enim in eo versantur metu & sollicitudine, ne, quod prius sæpe contigisse norunt, nũc quoq; eveniat. Sciunt enim, Constantinopolim quæ caput est Imperii, post priorem illam eversionem, secunda sua initia & incrementa Constantino Magno debere, eandem postea sub alio Constantino Christianis ereptam & vi captam esse, quorum uterque matrem habuit eodem Helenæ nomine. Plane ut Romanum Imperium, quod cum ab Augusto initium cepisset sub Augustulo quodam extinctum fuit. Similiter ergo & illi verentur, ne Mahumete Imperatoria dignitate fungente,

gente, ſedes regni Conſtantinopolitani iterum illis eripiatur, quemadmodum à Mahumete II bello atq; armis in poteſtatem ejus redacta fuit.

---

*I. Natura ingenium & mores Mahumetis III Turcarum Imperatoris.*

*Cur odio proſecutus ſit nanum Naſuf Agam.*

*Ejus mater & avia quænam fuerint.*

*Suſpicio ſiniſtra, quam pater Amurathes de eo habuit.*

*Exempla crudelitatis & immanitatis ab ipſo perpetrata.*

MAhumetes igitur Turcarum Imperator, cujus præcipue in hac narratione facienda erit mentio, natura ſagaci ingenio feroci præditus eſt; mollis tamen timidus & valde effœminatus, quod exempla quædam rerum ab ipſo tum antequam ad imperium veniſſet, tum in ipſo Imperio perpetratarum teſtantur. Cum adhuc valde juvenis in aula (quam illi Senalium quaſi clauſtrum vocant) de more gentis incluſus teneretur, nanum Naſuf Agam acerrime odiſſe cœpit: quod in favore & gratia patris Amurathis plus ipſum quam quemvis alium poſitum eſſe cerneret. Indagandis ejus actionibus diligenter incubuit, ſenſitque quotidie calathum florib. refertum ab eo ex aula emitti: inde dubio procul aliud quippiam magis precioſum ſub iſtis floribus latere ſuſpicatus eſt. Die igitur quadam cum ſummo mane de more calathum efferri videret, illum qui geſtavit conſiſtere coegit, & inverſo calatho floribusque in terram ſparſis auri copiam magnam abſconditam reperit. Qua de cauſa ira & indignatione percitus graviſſime cum patre expoſtulavit, quod mancipia in majori ab eo precio & favore haberentur quam filius, cui plerumque illud ipſum denegatum ſit quo illi abundent; eo nomine patris accuſans avaritiam quam minime probabat. Præterea tam elato & ſuperbo erga ſuos fuit animo, ut ferre nequi-

quiverit, quod avia ipsius, (quæ, si modo vera sunt quæ vulgo dicuntur, nobilis Veneta ex familia Bafforum fuit) in aula dominaretur, neque regimen illud propriæ matri, quæ è pago quodam Rezi nomine (qui est in Albania ad montes Ducaginos) oriunda erat, concedere voluit. Cum his de causis patrilites moveret crebriores, & majores indies causas & occasiones sinistri quippiam de se suspicandi daret, iramque paternam magis magisque in se concitaret (ea enim æmulatione Imperatores Turcici de sua salute sunt solliciti: inducti videlicet humana ambitione & efferata immanitate, quæ ipsis fere propria est, ut ne liberis quidem à se pronatis parcant) tandem circumcisione ejus ex lege Mahumetana perfecta: cui legatus Cæsaris Moscovitæ Persarum Regis & nomine reipub. Venetæ Iacobus Soranzius patruus meus interfuit, primasque partes inter Principes Christianos eo in negotio tenuit: à patre in Magnesiam, ubi domicilium suum haberet, ablegatus est. Quo cum perveniisset, tantum abfuit ut de sua crudelitate & immanitate aliquid remitteret, ut specimina ejus singulis diebus ederet evidentiora. Nunc indignatione nunc alio perverso animi impetu raptus, forcipibus ignitis mammas fœminis eruere. Ad 2000 scholasticorum (qui Softi ipsorum lingua vocantur) morte crudelissima mulctavit, propter nullam gravioris momenti causam, quam quod erga eum, significationem aliquam cogitationis minus pudicæ edidissent. Plurimos alios ob quamvis leviſſimam cauſſam trucidavit: & ut breviter dicam, alienum se prorsus à Venereis delitiis & voluptatibus, unicè vero bellicis studiis & Martis actionibus animo deditum sese esse, manifeste demonstravit. Hac sua vivendi ratione patris diffidentiam erga se confirmavit. Quam auxere non leves quædam suspiciones secretæ cujusdam conspirationis: quam in aula cum Sinano Bassa (illo qui Iaurinum occupavit & anno

præterito vivere desiit) sub specie amicitiæ arctioris conflavisse verebatur. Vnde ipsum non modò septum arctiori custodia tenere, sed vita etiam privare, nisi protinus animum mutaret, Amurathes plane constituerat. Qua de re cum sæpius à matre certior factus & admonitus esset, ut suspiciones ejusmodi patris animo eximeret, mentemque ad voluptates & delectationes adplicaret, assensit tandem & parere monitis decrevit. Ab eo tempore omni illecebrarum genere ita fuit irretitus, ut natura ipsa vel mutata vel obducta, in Principem luxuriosissimum subito evaserit. Idque ex habitu quodam crebro usu comparato: vel arte quadam adiutus (ut quidam putant) cujus Græcæ Hebraicæ & Turcicæ mulieres peritissimæ habentur. Ipsa quoque vita iniucunda ipsi solet esse, nisi Veneris affluant deliciæ, etiam in ipsis castris & militia. Res quoque & consilia maxime secreta suis communicare solet pellicibus & amasiis; qua re nihil quicquam est Principe viro indignius nihilque pernicioſius. Veruntamen his qui putant illum mulierum corruptelis luxuria atque libidine impeditum fuisse, quo minus citius in bellum ipsemet profectus fuerit; non assentio: cum hæc mora graves & magis veras rationes habuerit, quas postea recensebimus.

---

*II. Cur Mahumetes serius in bellum profectus sit.*
*Cur unam ex amasiis propria manu occiderit.*
*Mortem matri minatus.*
*Autoritas primorum consiliariorum (quos Visirios vocant) quare diminuta.*
*Benevolentiam militum quomodo sibi conciliarit.*
*Quo nomine Turcæ suum Imperatorem insignire soleant.*

VT primum regnum est auspicatus, opes ejus & vires cognoscere voluit. Non latebant ipsum simultates

&

ontentiones mutuæ quæ in Baſſis vigebant, in Sinano & ato præcipue, qui tunc regni gubernacula fere ſoli tracta- t, ut ſuo loco demonſtrabimus. Conſtantinopolim ur- at annonæ & rerum omnium ad victum pertinentium, nenti inprimis & panis, extrema caritas. Intelligebat ditos minime contentos propter plurima debita à patre ndum ſoluta; quibus ipſe poſtea ſatisfecit. Quid Perſa- Rex Mehemet Qudabenda moliturus eſſet, cum non i- ridem ipſius ex filio Emiro Hampſa nepos, Haidazus no- e, quem obſidis loco ad Turcas miſerat, obiiſſet, certo conſtabat: in primis cum oblati veneni ſuſpicio ad eam rtem accederet. Præterea ipſi duces præcipui & inſigni- belli confectionem ipſo Mahumete etiam abſente pro- tebant, quod eo ab ipſis fiebat animo, ut propriis emolu- ntis & commodis tanto melius conſulere poſſent. Crede- præ omnibus aliis Sinani Baſſæ conſiliis: qui ut quam tiſſime imperio reipublicæ ſupremo præeſſet, & nomen m illuſtrius redderet, non modo perfacilem Tranſylva- Principis everſionem, ſed ipſius etiam Cæſaris Romani nam illi pollicebatur. Illud porrò verum eſt, à pacis ſtu- & tractatione etiam tunc ipſum non fuiſſe alienum. Quæ m naturâ ipſi inſita erat ferocia, delitiarum & voluptа- velut ignibus emollita, paulatim diminuta & confecta , ut nunc verius animi tyrannici impetus quam viri mi- ris fortitudo dici mereatur. Quod nunc maxime atum fecit: cum à quadam ſua pelice, quæ ipſi chariſſi- erat, multis precibus & lachrymis rogatus eſſet, ne pro- ſcendo in bellum periculis ſeſe objiceret, propter ſom- m infauſtum & prodigioſum, quod nocte præcedente ha- rat. Ille iratus quod gloria quam ſibi promittebat, hoc do ſe privari, & ipſiuſmet Imperii Turcici ſtabilitatem & amentum in dubium vocari crederet, nulla interpoſita

mora propria manu eam occidit. Idemque supplicii genus matri sæpiùs minatus est, licèt aliis in rebus maxima apud illum polleat autoritate & gratia.

Hodie porro extra controversiam est, illum tanti non fieri â subditis, neque eam obedientiam illi præstari, quæ prædecessoribus ipsius exhibita fuit: ideo sanè necessitati & tempori sæpius cedere coactus est. Ea enim quæ solius & supremi Visirii Bassæ (qui sunt consiliarii intimi) antehac solebat esse autoritas, aliis etiam Visiriis Bassis, ipso connivente, attributa est. Ita beneficium vel decretum gratiosum, quod quis ab uno eorum abstulerit, ab aliis sæpe revocari contingit. Qua re nihil quicquam est, quod amorem & benevolentiam subditorum magis imminuat, & contemptum eorundem erga Principem pariat.

Quo nomine quoque à patre Amurathe multifariam peccatum est: qui ob quamvis leviſſimam causam Visirios Bassas officio suo privavit, alioſque spe lucri & pecuniæ aucupandæ substituit; quatuor prioribus quinque alios adjunxit, ut novem tandem essent qui illo honore præfulgerent. Hujus rei causam statuemus esse crebram primorum belli ducum mutationem. Quæ inde provenit, quod de statu sui regni tunc ipsi non bene constitit, nec ingenia ducum plane perspecta ipsi fuerint: vel etiam quod natura insitum Turcis sit, ut officia pro libitu sæpius mutent, & animi propositum ad fortunæ varios & incertos eventus accommodent. Variis enim cladibus acceptis semper exercitui novos duces præficiebat, ut (quod interdum evenisse scimus) capite mutato, reliqua membra promptiora & audaciora ad belli pericula subeunda redderet.

His rationibus omnibus sepositis, aliæ magis graves magisque seriæ fuerunt, quæ ipsius in castris præsentiam urgebant. Et requirebant milites scilicet (qui egeni, tyrones.

& propter auaritiam eorum, qui prius bellum administrarant, abalienatis animis erant) præsentiam sui Principis veri & legitimi cupide desiderabant, idque vel maxime propter dona & congiaria quæ illis dari solent ubi ipsemet in castris versatur Turcicus Imperator. In iis cum Mahumetes tandem apparuisset maximam authoritatem sibi conciliavit, extincta opinione minus honesta, quam multi de ipso conceperant, & suis quantum potuit satisfecit. Idque potissimum quod benevolentiam militum sibi conciliare in primis studuerit, non modo liberalitate erga eos usus commemoranda, verum etiam, quantum fieri potuit, omni re ipsis quam commodissime prospectum & consultum esse volens. Sæpe pedes ipsorum tentoria & castra perambulans, cum à consiliariis propterea admonitus esset, ne contra majorum suorum consuetudinem nimis aperte se periculis obiiceret in hæc Cyri verba ipsis respondit: Cum omnes, qui meum sequuntur Imperium mihique inserviunt, fratrum loco mihi sint habendi, de ipsis quoque non aliter ac de me ipso sollicitum esse convenit. Militum quoque benevolentiam summopere sibi conciliavit. Cum in ipso itinere vespera quadam partem superiorem tentorii sui conscendisset, vidissetque equitum Spahioglanorum tentoria à reliquis castris remotius sita, ut insidiarentur his qui à castris aberrarent. Quod latrocinium cum deprehendisset Spahioglanos illos Ianizariis suis diripiendos dedit, eorum vero corpora palis affigi curavit.

Hactenus (ut alia in locum magis oportunum reiiciamus) de natura, moribus, & vitæ ratione Turcarum Imperatoris diximus: quem illi *Sultan Alem*, id est dominum orbis terrarum, vel Regem regum nominant. Utuntur quoque vocabulo *Vlu Padischach*, quod idem valet ac summus Imperator. Hic caput est quod nunc Ottomannicum Imperium

gerit. De ejus filiis, ut ordo requirere videbatur, studiò lo qui supersedeo.

*III. Filii Mahumetis Imperatoris.*

*Quando ipsius filii publice conspici possint.*

*Quam ex suis concubinis charissimam omnium habebat.*

HOc unicum adiiciam, duo ipsi cum fuerint filii, primogenitum non ita pridem mortuum esse. Inter hos etiam, qui nunc vivunt, is qui natu est maximus, decimum quartum ætatis annum agit vel circiter, qui tamen nondum cuiquam publice visus est. Prius enim quam circumcidantur Turcicorum Imperatorum filii, in publicum prodire ipsis non permittitur. Cum autem plurimarum mulierum commercium habeat (inter quas charissima ipsi est Flatra quædam in Cypro nata) dubium non est, quin ipso mortuo materiam amplissimam post se relicturus sit successori, Tragœdiæ Ottomannicæ in fratres de more gentis exercendæ.

Nunc membra hujus imperii aggrediar, & initio quidem quæ in eo insigniora sunt recensebo.

*IV. Num Imperium Turcicum præclaris belli ducibus destituatur.*

*Qua ratione Turcæ per gradus ad summos honores in militia ascendere consueverint.*

MUlti in hac versantur opinione, Turcicum Imperium hoc nostro tempore præclaris ducibus, & rei bellicæ peritis carere. Evulgata enim est mors Pialii Bassæ qui Cyprum occupavit: Perrasi, Ali, Vlucchiali, Bassarum, qui in mari â confœderatis Christianis Principibus anno 1551 victi, fugatique fuere. Hos secuti sunt Osmanus, Feratus & Sinanus Bassæ, qui omnes & in Persia & passim alibi magna virtutis & fortitudinis ediderunt documenta, quæ ubivis locorum prædicantur. His quos modo diximus, extinctis, viros fortes,

&

& strenuos in Turcia vivere desiisse multi putant. Quod sane à vero non omnino alienum est. Constat enim diuturno illo & difficillimo quod contra Persas gestum est bello, quam plurimos interemptos esse belli duces, qui & authoritate & experientia plurimum valebant.

Veruntamen cum hoc imperium virtute bellica primum nasci & oriri, exinde per eandem crescere indies ceperit, & vi magis quam amore sustineatur, certum est cunctos qui aliqua nominis sui gloria tenentur militiæ sese tradere, per quam & divitias acquirere, & honores præ aliis consequi se posse sperant. Hic enim mos in Turcico Imperio vulgo receptus est in honorum & munerum distributione, ut non is qui nobilitate generis alios superat (exceptis qui in aula serviunt vel cubiculo Imperatoris præficiuntur) sed qui fortitudine & experientia rei bellicæ reliquis præstat, ad supremos dignitates evehatur. Quas immensæ opes & divitiæ necessario sequuntur. Inde fit, ut nunquam huic Imperio duces spectatæ experientiæ & probatæ fortitudinis deesse possint, idque vel maxime, cum quivis etiam ex privatis militibus per gradus ad supremum belli imperium pervenire possit. Sed cum in omni militia res feliciter gestæ in gloriam & laudem summorum belli ducum, qui illud administrarunt, & non in alios redundare soleat: sic cum in Turcia pari modo illi, quorum nomina præ omnibus aliis nota & clara erant, quasi eodem momento extincti sint, vanus ille in vulgus rumor sparsus est: Imperium Turcicum viros non habere ad militare imperium idoneos, quibus illud tuto demandari possit.

Nomina eorum qui inter primos habentur in aula Turcica recensebo. Licet enim quidam eorum jam mortui, alii officiis suis spoliati fuerint, tamen propter ea quæ necessario à nobis recensenda sunt illorum mentio ad reliquorum cognitionem non parum proderit. C 2 Vi-

*V. Assan Bassa Constantinopolim regit absente Mahumete in Vngaria. Quare Cairo illuc evocatus fuerit.*

CUm Mahumeti Constantinopoli discedendum esset, regimen gravissimum ejus urbis (quæ variarum nationum & diversissimorùm ingeniorum hominibus repleta, est hujus vastissimi Imperii sedes præcipua) Assano Bassæ eunucho demandavit. Hic natione Epirota (qui hodie Albani dicuntur) in pago Cicalessi, qui est in territorio Elbassano, natus est. Sub Bassæ nomine Cairum in Ægypto anno 1582 rexit, sed ad Portam (sic curiam illi & palatium Imperatoris vocant) citatus cum se multorum criminum accusatum sciret, diu quid faciendum sibi foret, dubius hæsit: num litigandum cum adversariis, an vero fuga versus Ormutzum & Indias ipsi capessenda esset. Tandem Constantinopoli comparuit, ubi captus ab eo, qui quondam magister ipsius aulæ fuerat, 500 coronatis ex servitute emptus, iterum propter suam virtutem & ingenii dotes, ad eam qua non ita diu ipsum pollere vidimus, eminentiam & dignitatem evectus est. Qui, si diutius ipsi vivere contingat, ad altiora ni fallor aspirabit & pertinget. Prudentia enim singulari præditus est, & plerisque gratus & acceptus. Christianis favet, Iudæos acerrime odit.

---

*VI. De Hibraimo Bassa & ejus ineptiis.*

EXercitus totius summum imperium, ante prælium ad Agriam commissum, penes Hibraimum Bassam fuit, qui in provincia Hertzecovina dicitur natus. Imperatori sanguine junctus est, parum judicii habet, ad imperandum plane ineptus, liberalis tamen & facetus est, ne dicam fatuus & ridicularius. Venetam & Raguseam (olim Epidamnum) Respubli-

ſpublicas ſuas vocat cognatas. Mediolanum claſſe, Melitam vero actis cuniculis infra inſulam ſe occupaturum dicere ſolet, & hujus generis plures ineptias effutire. Apparet ad pacem ipſum maxime inclinare, non modo quia omnium timidiſſimus eſt, verum potius ut Sultanæ (quæ Imperatoris mater eſt) eidemque uxori ſuæ gratum faciat ac morigeretur.

*VII. Sinan Cicala cur Hibraimo in officio ducis & Primo Viſiriatu ſucceſſerit.*
*Cur ab iiſdem officiis depoſitus & in Burſiam relegatus.*
*Cur Venetis non faveat.*
*De Meccha.*
*Ratio una præſentis belli Turcici declaratur.*

HIbraimo ſucceſſit in ducis officio Sinan Cicala. Nam cum in pugna ad Agriam non ita pridem commiſſa, ille parum idoneus ad tam grave imperium gerendum adparuiſſet, hic vero contra, ipſius etiam Mahometis judicio, illius defectum ſuppleviſſet, eoque magis ſtrenuum ſe præſtitiſſet, quam in ipſius diligentia fuiſſet jure requiſitum (exercitum namque recollegit, Imperatoris perſonam in tutum redegit, prælii eventum dubium & ancipitem reliquit) igitur non modo primarii ducis officio dignus habitus, ſed primus etiam Viſir Baſſa creatus eſt. Tandem utroque privatus fuit, quod Imperatori nimis audacter conſuluiſſet, ne Sultanarum verbis fidem haberet, matris in primis: quæ ne iterum filius in bellum proficiſceretur, omnem movebat lapidem, omnemque excogitavit modum quo ipſum effœminatum & imbellem redderet. In Burſiam igitur Aſiæ urbem quondam Turcicorum Principum ſedem relegatus eſt, non citra periculum vitæ. Mater enim Mahumetis (more mulierum, quæ conceptum vel amorem vel odium acerrime animo retinere ſolent) precibus filium fatigare non de-

sinet, donec de ipsius morte certi quid ipsi à filio promissum fuerit. Ferre enim non poterit, mancipium eo audaciæ procedere, ut matrem in filii malam gratiam collocare conaretur. Hujus rei sollicitudo diu anxium ejus animum tenuit, non modo propter inconstantiam & mobilitatem Principis, insignemque erga mulieres affectum atque mollitiem, verum etiam quia cum Hibraimus, ad mandatum Sultanæ & impulsus à conjuge, Constantinopolim recuperato primi Visirii officio (alias enim domum redire ipsi non licuisset) sit reversus, non sine caussa suspicatur, fore ut omni insidiarum genere eum Sultana persequatur, accusationemque, quam non ita pridem demortui Ferrathi Bassæ amici ipsi moverunt (qui ejus capitalis inimicus fuit) fovere & redintegrare conetur.

Sed his omnibus sepositis, cum Cicala sit opulentissimus, ingenio valeat, strenus, & rei militaris, terrestris in primis, cognitionem exactam teneat, utpote qui in Persicis bellis fere enutritus fuit, non est dubitandum, quin ubi hic primum Mahumetis furorem atque impetum effregerit, tela in se directa & conjecta ita elusurus sit, ut facile quæ amisit recuperare possit. Cujus rei jam antea specimen edidit, cum ab Architalassi officio remotus, non modo propter suspicionem quam de se dederat ejus frater proficiscendo Constantinopolim, quam ut ea ratione Reipublicæ Venetæ satisfieret, cujus ipsemet Turcicus Imperator rationem habitam in eo removendo esse palam profitebatur, volebat. Odium quod in rempub. Venetam animo conceperat jam adolescens & Christianus, inde originem traxit, quod ejus reipub. triremes myoparonem, qui ipsius parentis fuerat, rapuissent nec restituissent. Patrem habuit Genuensem; mater Turca fuit Castellinovi nata: ipse vero Messinæ procreatus. Injuriarum acerrimus vindex fuit. Uxorem duxit neptem filiæ

Ru-

Rustemi Bassæ, quam is ex filia Imperatoris Solymanni susceperat. Hæc ipsa est, quæ non ita pridem immensis sumptibus aquæ ductum longissimum in deserto Arabiæ, ut peregrinantium ad Mecham commodis necessitatibusque subveniret, ædificavit. Mecccha autem, vel Macca ut Arabes vocant, ea est urbs, quam communi ipsorum vocabulo Medina Alnabi, id est urbs Prophetæ, quo nomine seductorem illum Mahumetem intelligunt, dicitur. Hæc Sinani Bassæ socrus nostrâ memoria eo nomine clara est, quod caussa non infima extitit belli Cæsari Rodolpho ab Amurathe moti, dolore incensa, quod ipsius filius unicus isque charissimus in prælio ad Cobapim præteritis annis sub Assano Bassa commisso, cum aliis occisus fuerit.

*VIII. De Giafer Bassa & cur ab officio fuerit remotus.*

Ducis officio vel vicarii potius anno præterito in Vngaria ad Belgradum (quæ Alba Græca dicitur) functus est Giafer Bassa eunuchus, natione Hungarus; quo tandem eandem ob caussam qua & Hibraimus privatus est. In Persia sub Osmano Sinano & Feratho Bassis militavit, donec Bassa Tabrisii (quæ olim Ecbatana nunc Tauris vocatur) creatus fuit; quæ cum à Persis obsideretur, acerrime ab ipso, insigni fortitudinis prudentiæ & liberalitatis specimine edito, defensa fuit.

*IX. Assan filius Mahumetis Socolevichi.*
*Officium Beglerbegi Graciæ.*
*Herzecovina provincia.*
*Quo nomine Turcæ illum vocare soleant qui secundum ab Imperatore locum obtinet.*
*De Vidino vel Bidena urbe.*

BEglerbegus Græciæ nunc est Assan Bassa. Græcia autem à Turcis Rumelia ab ipsis Græcis Romania scilicet Europæ dici-

dicitur. Eo enim nomine, ut historiæ testantur, translata Romani Imperii sede Constantinopolim, non modo Asia, sed ipsa etiam Europa inprimis vero Græcia vocata fuit.

Hic Assan Bassa oriundus est è regione Herzecovina, qui olim ducatus sanctæ Savæ dictus. Estq; Bosniæ provinciæ pars quæ versus Ragusiam protenditur, illo itinere quod Constantinopolim ducit. Patrem habuit Mahumetem Socolevichum, à loco quodam Socol, qui est in Herzecovina, sic nominatum: fuitque Vizir Azem, id est, Princeps consilii, & gubernator summus Imperii Ottomannici, sub tribus Imperatoribus: quod officium Diadar vel Devidar à Mamalucis in imperio Sultani Ægypti, à Græcis vero πρωτοσύμβολον vocatur. Militibus gratissimus est propter comitatem & humanitatem. In comitatu suo plerumq; mulieres plurimas secum circumducere solet, & propter sumptus immensos, quos facit, fere non amplius est solvendo, bonis suis pene omnibus decoctis. In Persia militem egit, & ultimis bellis Vngaricis interfuit. Cumque ipsius Imperium dignitate & autoritate præstantius sit reliquorum præfectorum, itaque ejus jurisdictio & dominium latissime se extendit: Bulgariam videlicet Serviam & Albaniam comprehendens, atque ideo multi eum sectantur. In Rosgrado Bulgariæ urbe cum exercitu aliquandiu commoratus est, ut Wallachos & Transylvanos transitu Danubii prohiberet, & rebus sic requirentibus cito ipsemet transfretare posset. Nunc subito Vidinum, olim Bidenam, missus est, qui Sangiachatus est, Græciæ Beglerbego (non Zezeborensi Bassæ, vulgo Temesuar, ut alii volunt) subjectus. Si vita ipsi diuturnior continget, dubio procul in virum præcipuum & primarium totius Imperii evadet.

---

*X. Hafis Haemat cur ab officio fuerit remotus.*
*Ipsum primum fuisse qui equitibus Turcis stipendium solvit.*

Hafis

HAsis Haematus Cairi quondam Bassa, eunuchus est, Vonari Albaniæ pago non procul a Cicalesso dissito natus. In Croatia & Bosnia bello præfuit, sed negligentiæ accusatus quod Petrinam non occupasset, ab officio deiectus est. In gratiam tamen rediit, & in Scopiis nunc degit. Iustitiam colit, prudentia valet, ductus superstitione onus hoc suscepit. Concionatorem Mahumetanum prius egerat, quod vox Hasis denotat. Ille primus fuit, qui equitibus Turcis stipendium solvit, & pecuniam mutuò dedit petentibus. Qua in re si Principes Ottomanni nostrorum morem imitari vellent, immensas copias tam equestres quam pedestres facile colligere possent.

---

*XI. Sophi Sinan Bassa.*
*Mehemeto Satartzgi cur faveat Sultana mater.*
*Haidar Bassa.*
*Odaverti.*
*Velli.*

IN exercitu ad Agriam erat etiam Sophi Sinan Bassa, Budensis, Albanus natione, è montibus Ducaginis ortus, quem Turcæ propter prudentiam & fortitudinem plurimi faciunt. Aderat quoq; Mehemet Satartzgi Albanus & ipse. Præcipui enim duces Turcici ex ea gente originem trahunt. Diu Caramaniæ Bassa fuit, ubi prudentiæ plurima edidit specimina. Iam ut plurimum ingenio & voluntati Sultanæ matris, (quæ ex eadem gente est) sese accommodat, & paci studere simulat, inde officium Tzader Mecter Bassi (quem magistrum tentoriorum vocare possumus) adeptus est: quam si qua cœpit benevolentia prosequi perget, non dubitandum, quin amplissimis tandem præficiatur muneribus. Ferunt eum cum adhuc in aula satellitem ageret in certamine quodam ludicro, non procul à Castro veteri, ubi palatium regium est, habito,

bito, tam strenuum se gessisse, adversariis in fugam conjectis, aut conscissis ingentibus vulnerum plagis, quales inferre lanii solent, ut Satarzgi inde vocatus sit. Alii putant, revera ipsum lanium fuisse. Præter eos, quos modo recensui, in exercitu quoque fuit Haidar Bassa Is Beglerbegus cum esset, ab Amurathe in Muldaviam missus, officio suo tam probe atque industrie functus est, ut aliquo modo illexisse videretur Polonos ad donum quoddam & munus annuum Turcæ quod mitterent decernendum, & res quæ in controversiam venire poterant amice componendas. Nunc in Persia versatur. Belgradi tunc consistebant Odaverdi & Velli Bassæ. Ille in bello, quod in Croatia & Bosnia gestum est, claruit: Hic Muldaviam Serini Petro, qui eam cum turma Cosaccorum majori temeritate quam prudentia occupaverat, rursus eripuit. Adfuerunt insuper in castris plurimi alii Bassæ & Sangiacchi ordinarii, quorum nomina, cum sint novitii neque ita celebres, nobis nondum innotuerunt.

*XII. Assan Bassa, quare concitarit reliquas Mudahari in Gemen.*

PRæterea è Gemen, seu Gimin, Arabiæ felicis urbe evocatum fuisse ferunt Assan Albanum: qui seniori Sinan Bassæ sanguine junctus ab eoque nutritus erat. Hic artificiose reliquias familiæ Mudahari, quæ ab Osmanno quoque defecerant, concitavit, & honestas de illis reportavit victorias. Affluit divitiis, unde facile militū favorem sibi conciliare potest.

*XIII. Halil Bassa Archithalassus, & ejus ignavia. Giafer.*

HAlil Bassa classis præfectus, Turcico Imperatori cognatione junctus, Vngarus est, in Bosnia natus, homo novus, nec ulla re clarus quam quod donaria Imperatori suo, à piratis qui in mari Ægeo & circa Peloponnesum prædantur, exigit:

exigit. Hoc anno monasterium Callogerorum, quod erat in Strophadum insula (duæ sunt ejusdem nominis, hodie Strivali dictæ) exussit, quod classem Hispanicam recepissent. In nulla habetur existimatione. Putant quidam hoc officium ab illo in Giafer translatum iri. Qui in Calabria natus, ab Vlucchiali illo, qui Anno 1571 è strage maritima evasit, enutritus fuit. Hunc rei maritimæ peritissimum esse prædicant.

---

*XIV. Præfectirei maritimæ.*

*Piratæ.*

*Cur Solymannus opera Ariadini usus sit.*

NOn est ut quis dubitet, quin Turcico Imperio viri rei nauticæ periti & ad gerendum bellum maritimum idonei desint. Constat enim ab anno 1572 usque ad hunc diem perexiguam à Turca emissam esse classem. Deficiente igitur occasione, quantū valeat virtus militaris cognosci non potest: languescit potius & sæpe etiam omnis extinguitur. Verū necessitate sic urgente, ut classis valida ipsi paranda, instruenda & emittenda sit, antecessorum suorum consilio uti posset, mercede fortissimum quemvis è piratarum ducibus conducendo: quibus receptaculū præbere solet Thinissæ (quæ hodie Tunetum) Hypponis, quæ Bona olim, & Buscæ aliisque in portubus. Inter quos archipiratas celeberrimi hoc tempore habentur Cara Deli, Amurat Bei, Mehemet Bei, tres è familia Memorum, duo Albani, Cyrneus quidam (Cyrnus hodie Corsica vocatur (Sala Bei, & alii non minus celebres in hac arte quam periti. Gallus quidam Politicus scriptum reliquit, Solymannum Imp. præmiis splendidissimis & pretiosissimis illustrem illum piratam Ariadinum Barbarossam ad se allicere studuisse, ipso etiam Architalassi officio oblato. Idque propterea ab eo factum esse scribit, ut vires sui Imperii augeret, & ipsum Ariadinum ita sibi devinciret, ne amplius rebus Ottomannicis damnum inferret.

Et hæc hactenus de ipsis belli ducibus. Nunc milites & membra minus principalia describere aggrediar. Horum duo sunt genera. Alii sunt proprii, auxiliares alii. Priores in equites & pedites distribuuntur. De illis priori loco nobis dicendum erit, cum in equitatu omne pene Turcarum robur bellicum consistat.

---

*XV. De Spahis & duobus stipendiorum generibus, Timaro & Vlefe.*

*De S. Theodoro Stratilato.*

TVrcici equitatus præstantia in *Spahis* consistit, qui stipendii loco certos habent reditus quos illi Timari vocant. *Timarum* proprie dici potest pensio quædam vel assignatio certorum redituum, qui ex fundis percipiuntur bello acquisitis, qui certa proportione distribuuntur militibus, quorum præ cæteris emicuit magnanimitas, quique strenuam in bello navarunt operam. Cum coloniis antiquis, vel feudis, vel quæ nostra ætate dicuntur Commendaturis, comparari possent. Præmium quod Romani in milites bene de repub. meritos conferre solebant, ut ad dies vitæ fruerentur, *beneficia* appellabant: *beneficiarios* verò qui illo præmio fruebantur. Cum his convenit, quod Græcis λιμάεσον, & λιμαεσῶται personæ dicuntur. Etymologia à voce λιμὴ ducta, quæ honorem significat. Vnde de Theodoro (non eo qui Tiro, sed qui Stratilatus, id est, prætor vel militum ductor vocatus est) legimus, quod à Licinio Augusto arcem Heracleæ in vicem Timari accepit, idque diu antequam ad martyrium propter fidem Christianam tractus fuit: ut habet Philo poëta Græcus, Damascenus, Nicephorus Callistus. Sicut etiam in Meniæo, quod est Officium Græcorum menstruum, legitur. *Vlefe* dicitur ea merces, quæ de die in diem à quæstore militibus, qui stipendium accipiunt & reliquis

qui

qui in aula Imperatoris ſerviunt, perſolvitur. Qui *Vlofezgi*, vel Olophagi dicuntur, quaſi quibus de ſolo victu proſpectum eſt, à Græco illo ὁλοφάγιον voce deducta.

Eorum qui pro timaro in Europa militant ad 1600 numerantur. Quilibet Spahorũ, qui circiter 3000, ad 6000, aſpros annuos habet in reditum, in bellum cum equo uno proficiſci obſtrictus eſt: qui circiter 5000 ad 1000 habet, cum duobus ſe ſiſtere cogitur. Idem de reliquis, qui plus minuſve habent in reditu, habita proportione ſtatuendum eſt. Nonnulli plures equos alere ſolent, prout quis vel dives eſt, vel honoris & gloriæ deſiderio tenetur.

Horum Spahorum pars maxima Beglerbego ſubjectâ eſt, quorum numerus ad 9000 Timarorum accedet. Reliqui Boſniæ, Budæ, & Zoroborenſi (vulgo Temeſvvar dicitur) Baſſæ parent.

---

*XVI. De Spahoglanis, Selectariis, Vlofezgi & Guraaba.*

PRæter eos, quos modo commemoravi Spahos, ſunt *Spahoglani*: qui in aula nutriti delicatuli ſunt, aut aulicorũ more polite & ſplendide veſtiuntur habitu Perſico. Equitant more Aſiatico, parvis utentes ephippiis, è quibus facile deturbari poſſunt. Quondam non tenebantur in bellũ proficiſci, niſi præſẽte Imperatore: ſed non ita pridem eorum plurimi à Sinano & Giafer nolentes in militiam tracti ſunt, quod aliis militibus deſtituerentur. Qui cum in Seruia & Bulgaria hybernaſſent, tam male extorſionibus & rapinis mulctarunt miſeros ruſticos, ut peius ne ab ipſis quoque Tartaris tractari potuiſſent: quorum etiam veſtitum & perſonam ſæpius induerunt, ut ſub ea ſpecie delicta ſua facilius cooperire poſſent.

Horum quatuor ſunt ordines in aula Imperatoria: videlicet *Selectari*, *Vlefezgi*, *Guraba* & *Spahoglani*. Sed poſteriorum numerus omnium maximus eſt. Igitur eorum nomen

sine discrimine omnibus attribui solet. Selectari & Spahoglani in duo agmina divisi sunt: videlicet in Selectaros dextri & sinistri lateris, & Spahoglanos dextri & sinistri lateris. Diversis signis invicem internoscuntur. Quibus si eos, qui Guraba & & Vlefezgi nominantur, adiicias, agmina sex efficient. *Guraba* autem nomen plurale est, à Carip ductum, quod pauperem & nudum denotat. *Vlefezgi* autem, ut supra diximus stipendiarii dicuntur. Horum ordinum quilibet proprium suum habet Agam, qui duobus vel tribus equitum millibus imperat.

---

*XVII. De Acanziis & Haiduchis.*
*De provincia Dobruccia.*

QUi *Acanzii* vocantur, ut plurimum agricolæ sunt. Sed falluntur, qui eos Haiduchis Hungarorum comparant; cum illi equites hi pedites militare soleant. Nec recte eos à Iovio & aliis scriptoribus recentioribus voluntarios milites appellari puto, cum propter exemptiones ipsis concessas in bellum proficisci cogantur, sæpius tamen Zingarorum vel Tartarorum more integras regiones deprædando pervagentur & devastent. Non magna ipsorum ratio habetur: in Dobruccia Bulgariæ provincia ut plurimum ad Danubium desident & morantur.

---

*XVIII. De iis qui Gionli, Baratli, & Muteferaga dicuntur.*

IIqui *Gionli* dicuntur vere sunt voluntarii milites; qui, sicut & hi, quos *Baratli* vocant & spe alicujus muneris consequendi militant, voluntarie sine stipendio in bellum proficiscuntur. Iis Christiani plurimi admixti sunt. Quemadmodum & reliquis, quos *Muteferaga* nominant, sese adjungere solent (qui sunt præcipui aulici) nec in bellum nisi Imperatorem comitandi causa ire coguntur, ab oneribus militiæ exi-

eximuntur. Liberrime omnia devastant: exercitum præveniunt tanquam præcursores: ex præda acquisita partem quintam Imperatori offerunt. Reliqui *Baratli* Bassarum & Sangiachorum familiis & Spahorum servitiis se immiscent.

---

*XIX. Numerus Timarorum Asiæ, Africæ & Europæ.*
*De voce Beglerbegi.*
*De Beglerbego Græciæ & Anatoliæ.*
*De Divano.*
*De Sophia, Tibisca, Nicopoli, Scopia, Sardica, Triadiza, Guthegia, Stamboli seu Constantinopoli.*
*De Præfecto maris & ejus reditibus.*

TImarorum in Asia numerus ad 50000 sese extendit: quæ subducta ratione 150000 tam equitum quam peditum, servis annumeratis, efficiunt. Multitudine Europæas duabus tertiis superant, sed armis non bene instructi parumque fortes sunt, nec ad bellum idonei: exceptis iis pauciss mis, qui ad mare habitant & militiæ nauticæ addicti sunt.

Initio postremi belli Persici triginta fuere in Asia Beglerbegi, & exinde numerus eorū actus fuit. Africa tres habet. Fessæ & Mārocci regna nullos habent, sed potius Turcæ tributaria dici possunt. Europa habet sex Beglerbegos. Quæ vocabuli explicatio mihi subijcieda erit; cum sæpius ejus à me facta sit mentio.

Vox illa Turcica *Beglerbeg* idem valet, quod dux ducum, seu princeps principum. Hi enim supremi sunt duces & præfecti, quibus reliqui omnes, qui aliquo in provincia sibi commissa imperio militari præsunt, subjecti sunt. Hi eandem potestatem obtinent quam illi, qui *Melicul Vmerca* Arabibus, & Græcis ἄρχοντες ἀρχόντων vocantur. Quorum tres authoritate & dignitate reliquos superant, & eundem cum Bassis Viziris locum obtinent. *Vizires* autem vocant Turcæ, qui in Divanum seu consilium regium admit-

admittuntur, utibi in præsentia Imperatoris sententias dicant. *Divanum* autem non recte à quibusdam Dovana & Tiphanum dicitur.

Rumeli Beglerbegus primus est, qui Romaniæ seu Græciæ imperat, & sedem habet in urbe Sophia, quæ olim Tibisca dicta est: metropolis tamen Bulgariæ, vel Volgariæ (à populis qui à Volga fluvio eo migrarunt sic nominata) non est, ut falso quidam opinantur. Neque eo loco habenda est Nicopolis, quæ propter victoriam, quam Traianus de rege Dacorum Decebalo reportavit, claret. Errant quoque qui Sophiam pro antiqua Scopia vel Dardania vel Macedonia sumunt. Neque etiam Sardica est, à qua Synodus Sardicensis sub filiis Constantini habita nomen accepit: hodie enim Triadiza nominatur.

Asiæ minoris seu Anatoliæ Beglerbegus inter primarios secundum locum obtinet. In Cutheia residet, quæ (Cotyæum quondam) in Phrygia sita: imperite à quibusdam in Galatia ponitur.

Denizi Beglerbegus, qui & Supremus Bassa dicitur, maris imperium habet: ut plurimum Constantinopoli moratur, quam Turcæ corrupto nomine Stamboli vocant. Hic armamentarii curam gessit, priusquam à Solymanno ad honorem Beglerbegi evectus esset, & Sangiacco di Gallipoli vocabatur. Ad sustentationem sui fruitur reditibus quos habet officium Subassi di Galata, seu fiscus Perx, quod pro 16000 coronatis elocatur. Habet etiam vberrimos proventus novem insularum, quarum præcipua est Nixia.

Atque hactenus de equitatu, sequitur de peditatu.

---

*XX. De Agiamoglanis & Ianizaris.*

*Vera Etymologia Ianizarorum, & qui apud Persas Janitores fuerint.*

Quo-

*Quomodo ducem præcipuum adpellare soleant.*
*De voce Aga & Agalari.*
*Qua de caussa Janizari superbiant, & de pristina strenuitate & fortitudine plurimum remiserint.*
*De moneta Turcica.*
*De monte Hajon Horos.*
*De Dephterdaris.*

PEdites præcipui apud Turcas sunt *Janizari* qui è numero *Agiamoglanorum* (qui sunt Christianorum liberi masculi, quos in decimis pendere coguntur) ad id vitæ genus à pueris seliguntur & enutriuntur. Reliqui in aula viliſſima quævis subeunt munia. Cum navigiis (quæ Caicchi vocant) hinc inde navigant, vel hortos colunt, vel aliis ejusmodi rebus perficiendis adhibentur, salarium unius tantum aspri in dies singulos accipiunt. Asper seu Asprus (non, ut quidam volunt, Asperus) Græcis dicitur ea moneta, quam Arabes, Osmanni, & Turcæ Acse vocant ab albedine, quia ex argento constat. Eorum species duæ sunt, majores & minores, horum usus frequentior est, licet viliores, & minus pulchri sint: illi bonitate materiæ priores superant. Eo monetæ genere Turcicus Imperator militibus suis & aulicis satisfacere solet.

Scriptores quidam Syderocapsiam vocant, ab arce Syderocapsa, quæ in provincia Thassi ad Athon montem celebrem sita est. Hunc montem Græci αἰγαῖον ὄρος, vel quod mari Ægeo immineat, vel quod capris pascentibus ubique sit refertus, appellant: aliis dicitur ἅγιον ὄρος, mons sanctus, quod Turcis sonat Seitdag. Nam 23. in eo sita sunt monasteria Calogerorum, qui sunt Monachi in solitudine viventes. *Asper* valet 24. manguris. *Manguris* moneta cuprea est, idem valens, quod numulus antiquus. Quinque aspri si boni sint, & justi ponderis, drachmam: duodecim drachmæ thalerum efficiunt. Thalero uno & medio constat *Cecchinus* Venetus,

qui ejusdem est valoris cum Sultanino Turcico aureo, quæ omnium præstantissima moneta Turcarum est, sedecim Paulinos Romanos valens. *Sultaninus*, quem alii Soldanum vocant, à Sultanis seu principibus Ottomannis nomen habet, sicut Cecchini dicuntur ducati, quod Duces reipublicæ Venetæ eos ferire soleant. Et Byzantii vel Byzantini tempore Græcorum ab urbe Byzantio denominabantur, & eiusdem fere cum prioribus erant pretii. Scriptores nonnulli diversè de hac computatione scripsere, precium namque sui temporis considerabant. Asper constabat 8. tantum manguris. Drachma 4. aspris, 9. aspri thalerum efficiebant, Cecchinus vel Sultaninus valebat 54 aspris. Nunc monetarum ratio omnis mutata est. Thalerum efficiunt 70. vel 80. aspri, Cecchinum vero 110. 120. 125. aspri, quod propter varia tributa Constantinopoli & passim propter bellum Persicum imperata & imposita, factum est. Ejus monetæ, quæ quondam in Imperio Ottomannico currebat, usus nunc est prohibitus propter varias imagines, quibus signata erat, à quibus Mahumetana religio penitus abhorret. Verior tamen ejus rei caussa potest allegari, quod videlicet ex ea moneta, quæ purissimo constat argento, si rursus cudatur, multum lucri & thesaurus Imperatoris, & thesaurarii ipsi percipere possunt. Sed ab eo zelo & superstitione nunc paululum remiserunt, eam pro legitima habentes, quæ materia constat perfectissima. Hæc eo à me animo scripta sunt, ut de stipendio, quo Imperatores Turcici suis militibus satisfacere solent, certi quid constet. De reliquis monetis Ægyptiaca videlicet, Arabica, Syriaca & Persica, quarum per universum regnum Turcicum usus est, videatur liber, ea de re non ita pridem scriptus, cujus lectio tamen à Magistratu interdicta est, quod nonnulla minus pia contineat, quo nisi laboraret vitio, cognitione omnium dignissimus esset, propter plurima secreta rerum Turcicarum quæ in eo continentur. Ia-

Janizari igitur pro optimis habentur militibus, qui in regno Turcico reperiuntur, quorum opera & ministeria cum iis conveniunt, quos milites prætorianos olim vocabant, & ut Mammalucci corpus sui principis circumstipant, vel ut iuvenes isti strenuissimi Persarum quos Ianitores vocabant (quorum mentionem facitis, qui sub nomine Aristotelis librum de mundo composuit) Regem vel Imperatorem semper comitantur, & custodiunt. Putarunt nonnulli eos à ianua nomen ferre, alludentes ad nomen portæ, quæ est regia Imperatoris, verum qui opinioni huic innituntur, errant. Nam Turcis porta capi dicitur, non janua. Vnde is qui suprema regiæ curam habet Capizi Bassa vocatur. Vox autem Ianizari à Turcico vocabulo Ienigzeri derivata, novam militiam significat. Nova dicitur non propterea, quod recenter in usu esse cœperit, siquidem ab Osmanno Gasi (quem alii Ottomannũ vocant) instituta, ab Amurathe primo ex consilio Cara Rustem, quem Turcæ ut sanctum colebant, renovata & aucta fuit: Sed quod Ianizari fere omnes Christianorum filii sunt.

Hi parentibus in juventute à ministris quibus illud commissum est negocium, quinto vel septimo quovis anno interdum etiam sæpius tributi nomine eripiuntur, cum octavum, vel decimum, etiam cum vigesimum ætatis implerunt annum. Postea in partes Anatoliæ diversas distribuuntur, ut in lege Mahumetana instituantur, consuetudines & linguam Turcicam addiscant, laboribus & ærumnis assuescant, vocanturque Agiamoglani, ut supra quoque ostendimus, ubi ætatem, quæ tractandis armis convenit, attigerunt, & exercitiis bellicis assuefacti sunt, ad portam remittuntur, ut in numerum Ianizarorum ascribantur. Qui militiæ minus apti sunt, ad naves & triremes relegantur, ut rei maritimæ studeant. Qui bonitate indolis & ingenii præstantiâ alios

ſuperant, illi in Seraliis, quæ ſunt Adrianopoli, Conſtantinopoli & Peræ includuntur. Inde pedetentim ad miniſteria aulæ & cubiculi Imperatoris adhibentur, certos ſuos præfectos habent quibus obedire coguntur. His ſtipendium 5. vel 6 aſprorum in dies ſingulos ſolvitur. Tantundem vero habent nonnulli ex Agiamoglanis qui diverſo à Ianizaris habitu veſtiuntur. Illis duæ veſtes annuæ dantur, tormenta dexterrimè tractant, & verè tormentarii, ſeu pyrobolarii cuſtodiæ Imperatoris dici poſſunt, honoris acquirendi cauſſa obſtinatiſſimè certare & pugnare ſolent. Agiamoglani vero unicum veſtitum annuatim accipiunt.

Ianizarorum quidam ad limites Imperii in præſidiis habentur. Pauci ad mare habitant, & militiæ nauticæ addicti ſunt. Eorum pars maxima aulam & Imperatorem ſequuntur, & plerumque Conſtantinopoli morantur, ubi fere omnes creari ſolent. Nam qui Damalci, Cairi, vel alibi creantur, ubi Conſtantinopolim pervenerint, & ibidem in eo officio non confirmantur, reticulum illud quod Zercula vocant, geſtare non audent.

Cum ultimam in expeditionem ſub ipſorum Aga profecti ſunt, præter morem, ordinem potius militiæ turbarunt quam ut ſtrenue ſuo functi ſint officio. Non enim libenter obediunt primario duci, quem Serdar voce Perſica vel Serdsker lingua Arabica nominant. Tum etiam quod noſtra memoria à diſciplina & præceptis majorum ut plurimum declinarunt, neque in bello ea animi præſentia & fidelitate ſerviunt, qua quondam ſolebant eorum prædeceſſores.

Præfectus Ianizarorum Aga vocatur, qui primus eſt Agalariorum, qui ſunt equites præcipui, qui nunquam à latere Imperatoris diſcedunt, ab Aga, id eſt, baculo ſic dicti, qui poteſtatis, qua pollent, ſignum eſt: Chiliarchas, Tribunos, & Druncarios ſeu Truncarios imitantes, qui olim quoque ejuſmodi baculos vel truncos ferre ſolebant. Ia-

Janizarorum maxima insolentia est, non modo erga privatos, qui eos vehementer timent, sed etiam erga ipsummet Imperatorem. Sciunt enim robur omne Imperii & potentiæ Ottomannicæ ipsorum in manibus versari. Raro etiam vel leviter propter delicta castigantur, unde quanta sit ipsorum potentia, quoque in loco passim ab hominibus habeantur, persenserunt. Imperatori sæpius indignissimè minati sunt abrogationem Imperii, & filii in patris regnum substitutionem. Ab eodem interdum extorserunt furore quodam barbaro, & importunitate maxima res omnium iniquissimas. Cujus rei ut exempla vetustiora fileam, Amurathem proxime defunctum coegerunt, vel vivos vel mortuos sibi dedere Dephterdaros & Mehemetum Bassam Armenium, quem unice diligebat, accusantes eos, quod falsam ab ipsis monetam accepissent in solutione stipendii. Dephterdari enim thesaurarii seu quæstores sunt tres, quorum unus summus est, & præsidet ærario, reliqui ejus Collegæ fiscum curant. Superbiæ & insolentiæ causa quoque non minima extitit, numerus eorum paucis ab hinc annis valde auctus, idque culpa ministrorum, qui ad hoc constituti sunt, ut quos officio illo dignos æstimant, à reliquis Agiamoglanis secernant. Qui non optimum quemvis, & ad militiam aptissimum, ut quondam fieri solebat, sed quos modo nancisci potuerunt, militum inopiâ coacti, elegerunt, etiam Turcas naturales, & Ianizarorum filios: verum ut id faciant, pecunia corrumpendi sunt. Quod ubertime, præteritis annis maxime, contigit, ubi corporis solius dispositionem, & annorum modò numerum in exercitus collectione respexerunt, quo subito magnas conscribere copias potuerint, inter veteranos assumptis iis qui militari disciplina omnino non erant imbuti.

---

*XXI. Spahi pedites.*

SPahi quidam pedites sunt, qui Euboeæ Lacedæmone (hodie Misithra) & aliis locis maritimis commorantur, reiq; maritimæ student, & Archithalasso parent præcipuoque usui in triremibus solent esse.

*XXII. De iis qui Asappi, Besli & Husaroni dicuntur.*

PRæsidiarii insuper pedites sub nomine Asappi & Besli comprehenduntur, qui falsò à Græco quodam autore Hussaris Hungaris comparantur, cum illi pedites sint stipendiarii, hi vero equites.

*XXIII. De iis qui Culcardasi vocantur.*

TAndem cum Amurathes postremus reipsa expertus esset, tantam sibi non esse militum copiam, quam quondam habuere ipsius majores, propter certas quasdam rationes, de quibus infra à nobis agetur, novam instituit militiam tam peditum, quam equitum, rusticorum videlicet, Turcarum. Quibus ampla privilegia, & honores plurimos decrevit, proprio ipsis indito nomine *Culcardasiorum*: quod servorum sive mancipiorum fratres significat. Quæ adpellatio cum solis tribuitur Christianis in Mahumetanam superstitionem adscriptis ac degenerantibus, apud Turcas omnium est honorificentissima.

*XXIV. Milites Africani.*

IN Africa Turcæ equitatum fere nullum aut sane perexiguum habent. Præsidiarii pedites Algerium, Tunetum, Tripolim, Gulettam, atque alia loca quæ in ea regione possident, metu Hispanorum serio custodiunt. Hispani enim propugnacula & arces munitissimas ijs in locis habent, quæ ne ipsis eripiantur diligentissime & firmissimis præsidiis munire solent.

Atque hæ sunt Turcarum copiæ militares equitum & ditum, quibus Imperator in omni bello tanquam manci- suti potest. De quibus pauca quædam considerare con- nit.

*XXV. Observationes quædam authoris de exercitu Turcico.*

NOtandum igitur, exercitum Turcicum quem modo de- scripsimus, & qui primo intuitu immensus apparet, fa- ma potius & opinione hominum, quam revera tam magnum & validum esse. Militum enim perspectæ fortitudinis & expe- rientiæ maxima est raritas, qui mediocriter in rebus bellicis sunt versati non magno constant numero. Qui vero ad res gerendas plane sunt inutiles, & quorum nulla habenda est ratio, ut sunt servi, calones, lixæ & his similes, horum in- gens est copia. Constat etiam, equites Turcicos, in quibus robur atque opes illius Imperii potissimum consistunt, non ea animi alacritate, & promptitudine in bellum profi- ciscí, neque ea patientia & tolerantia labores & incom- moda sufferre posse ut quondam maxima cum laude solebant. Bellis enim in Persia gestis attenuati valde sunt. Inprimis ve- ro Vngaricis hac tempestate; ubi hordei & rerum omnium ad sustentationem hominum æque atque equorum & ca- melorum necessariarum indigentia & caritas maxima fuit. Denique & illud observandum est, Spahos qui primarii sunt Turcarum equites, difficillime hoc tempore equos bellato- res, ne oblato quidem precio nanciscí posse; non modò pro- pter equorum & rerum omnium caritatem maximam, ut mo- do diximus, verum etiam quod equi ut plurimum in bellis periere, & rarissime inveniantur qui ad belli usum valeant: tum etiam quod Spahi, quibus alii reditus non sunt, nisi quod ex timaris percipiunt, amissis prioribus equis, destituantur fere rationibus quibus alios comparare sibi possint. Alii in

ocio

ocio vivere desides consueti, pecuniam fœnore accipiunt, quamara potius emunt quam equos; vel apud alios pecuniam occupant, à quibus postea cedendo bonis ea defraudantur.

Etsi vero præteritis annis equitatum habuerint copiosissimum, diversa tamen ejus rei causa fuit. Turcæ enim nunc multo molliores & effœminati è Persarum delitiis, quæ eosdem fere in ipsis, quos luxuria in Romanis quondam & Græcis effectus habuerunt, redditi, plurima impedimenta, quæ ad commoditates lectorum & rerum ad victum pertinentium conducunt, secum trahere solent, ut multis ad eam rem equis uti necesse sit. Neque quisquam est equitum, licet rusticus sit vel aliàs paupertate prematur, qui non plures uno secum in bellum ducat equum: qui tamen strigosi, male habiti & ad militiam plane inutiles sunt, quod eventus pugnæ ad Agriam commissæ declaravit.

Cum diminutionis exercitus Ottomannici variæ à variis causæ afferantur, non puto me absre facturum, si ea in re meum quoque interposuero judicium.

---

*XXVI. Causæ diminutionis Imperii Ottomannici.*
*De Cadileskieris & Cadis.*
*Cur Græcia non tam bene habitata & culta sit, ut olim.*
*Cur Turcarum regiones frequentia incolarum careant.*

EXtra controversiam est, Ottomannicum Imperium ea militum copia carere, quam quondam in bellum post se trahere Imperatores solebant. Hujus defectus causæ sunt plurimæ, quas singulatim discutiemus. Prima est. Cum Turcarum potentia nunc valde aucta & amplificata sit, ii qui quondam propter angustiam regionis, quam tum incolebant, locustarum instar in bellum, Tartarorum more, effundebantur, nunc majores commoditates delicias & regiones multo fertiliores nacti sunt. Inde fit, ut non nisi coacte & ægerrime propria relin-

relinquunt, & ad incerta acquirenda in bellum proficiscantur. Secundo, ipsæ Turcarum regiones & ditiones tam vagæ & spaciosæ sunt, ut difficulter milites contrahi, & ad bellum congregari propter locorum distantias possint. Neque regiones omnes propter vastitatem incolis frequentari possunt, cum Turcarum Imperatores, provincia aliqua armis subacta, incolas & habitatores ejus vel extirpare penitus vel aliò transferre consueverint. Tertio, his causis etiam hæc addi potest, quod Imperio Turcico valde dilatato, & quam plurimis nobilissimis regnis & urbibus illi additis, Turcæ commoditates majores nacti sunt mercaturæ exercendæ, quam quondam fere negligere & contemnere solebant. Hæc quam plurimos ita velut oppignoratos tenet, ut statuere ipsi secum non possint quo eam rationem vitæ deserant. Quapropter sponte sua nunquam, sed coacti tantum militiæ nomina dare solent. Majori enim cum periculo, & incertitudine rerum suarum ad eas opes & divitias Martis alea pertingere queunt, quas per mercaturam facile possunt acquirere. Quartò, Turcarum exercitus fere totus ex mancipiis, quæ fidem Christianam ejurârunt, constat. Persas enim & Tartaros mancipiorum numero Turcæ non solent adscribere, ne bellicas functiones ac dignitates, in quibus præcipua autoritas & divitiæ consistunt cum illis partiri cogantur. Quæ dignitates profecto tantæ sunt & tam expetendæ, ut sola hæc ratio opponatur ingenti illi periculo, quod immineré Turcico Imperio videtur ex tanta hujusmodi alienigenarum mancipiorum multitudine atque potentia. Illi qui Asiam incolunt, quibus quondam omnes belli functiones concredi solebant, nunc Turcæ nativi sunt, quorum plane nulla habetur ratio: æstimantur timidi, nulloque in precio sunt, nec minus effœminati & molles censentur, quam quondam antiquis Asiæ populi habiti sunt. Kadileskicrorum & Cadorum honores il-

lis solummodo attribuuntur; paucis exceptis, qui militiæ, & Sangiachis atque Bassis inservire solent. Sed & hi tamen plerique mancipia Europæ sunt, in Asiam ad certa munia obeunda missa.

*Kadileskieri* ab Arabibus *Kasiaskeri* dicti, judices sunt in regno Turcico supremi & ordinarii, qui in rebus civilibus & criminalibus jus dicunt. Suntque duo: quorum alter Anatoliæ præsidet, alter Romaniæ. Illi qui Cairi moratur, non recte à quibusdam nomen illud adtribuitur, cum rectius Cadus magnus dici mereatur, fuitque à Selimo institutus, cum Armeniæ, Ægypti, Syriæ & Arabiæ partem sibi subjecisset.

Hunc militum defectum nonnulli ad imminutionem incolarum & habitatorum in provinciis Turcicis referunt infrequentiam. Nam Ægæi maris Insulas & Macedoniam, & Græciæ provincias, ut plurimum cultoribus spoliatas vident, quæ tamen regiones omnium præstantissimæ sunt, quas Turca possidet. Sed hic respondere possumus; ab eo usque tempore, quo Græcæ reipublicæ flos atque vigor extinctus est, multitudinem incolarum imminutam, nec unquam postea ad eam copiam qua prius pollebat pervenisse. Paulus Æmilius in Epiro una die septuaginta tam urbes quam oppida destruxit. In mari vicino plurimæ sunt insulæ, quæ propter sterilitatem incultæ relinquuntur. Sed & bella civilia à Romanis gesta, ipsa Græcorum imperatorum inertia atque desidia, infesta Saracenorum, Latinorum & Turcarum arma variis temporibus Græciæ illata, crebræ piratarum excursiones, nonquam quiescere & à damnis respirare insulas illas & regiones florentissimas sivere. Negari tamen non potest, multa milliaria in Turcico itinere faciendo peragrari, ubi nemo mortalium peregrinantibus obviam fiat, vel ædes ubi diverti possint appareant. Quoniam incolæ oppidis & pagis, qui plerumque ad vias regias & tritas ædificati sunt, relictis,

lectis, loca remotiora & deserta magisque munita petunt, ut tutus ipsis pateat receptus contra direptiones & deprædationes militum, qui suo ex arbitrio quosuis vivere cogunt, vel cædibus & rapinis omnia miscent, eo ipsos instigante contra veræ militiæ leges propria malitia. Quod utinam ne sæpius à Christianis nostris quoque, cum jactura rerum maximarum, & periculis maximis, experiri cogeremur; quemadmodum fusius à me libello de militia Christiana demonstratum fuit.

Hæ sunt, meo quidem judicio & causæ & rationes minus dubiæ, ob quas imminuti & ad exiguum numerum redacti exercitus Turcici videntur, itemque cur majori ex parte ex iis constent militibus, quos extrema inopia, vel libido per injuriam alterius ditescendi, aut desperatio rerum suarum, in bellum ire compellit. Quod eo frequentius evenire solet, quoniam ipsimet Spahi domi desidentes, ubi ad sumenda arma compelluntur & citantur, servos suos inutilia terræ pondera in militiam mittunt; qui ut & alii plerique diutius castra non sequuntur, quam ubi aliquam adhuc prædæ spem superesse norunt, qua deficiente continuo domum repetere solent. Quod Sinan Bassa anno præterito in Walachia expertus est; ubi plerique ex militibus leviter & pessime vestiti, alii indutis tantum tecti, nec contra rigorem satis muniti, ne frigore & fame perirent, ab initio statim, ubi prædæ nihil amplius superesse cognovissent, ipsum deseruerunt. Cum vero Alba Græca discedens Constantinopolim versus iter teneret, omnes fere ipsum comitari voluerunt, & difficulter à ducibus in præsidiis retenti sunt.

Dixi de militibus propriis, nunc de AUXILIARIIS nobis dicendum erit. Omnium igitur quos Turca in auxilium evocare solet, primi copiosissimi & fere unici sunt *Tartari*. Quorum notitiam perfectam cum non omnes habeant, ego

eam ea fide tradam, quo & superiora à me proposita sunt, & quæ adhuc dicenda restant, proponentur. Qua in re solummodo hominum fide dignissimorum, & qui diu inter ipsos versati sunt, sequar judicium & relationem: omnibus fabulis, quas nonnulli de illis finxere, sepositis. Adiiciam quoque de *Circassiis*, qui ab ipsis aliquo modo dependent, ut & de *Curdis*, *Drusis* & *Arabibus* nonnulla scitu dignissima.

---

*XXVII. De Tartaris Grimaus; cur sic appellentur & cur dicantur Pracopii.*

*De vocabulo Han, Zar, Kiokai, Kzerei.*

*Cur Moscovita sibi à Tartaris metuat, & quanam Tartarorum gens ipsi pareat.*

*De Sarmatis.*

TArtari vel Tattari inde dicti putantur, quod reliquiæ eorum Israelitarum, qui ultra Mediam, quæ tunc inculta jacebat, transportati fuerunt. Quod vox Tartari in lingua Syriaca apprime denotare videtur. Gens autem populosissima est & varia. Nos de iis tantum loquemur, quos ad rem & propositum nostrum facere censebimus.

Hi regem habent cui parent, qui in Taurica Chersoneso moratur. Eorumque alii in Europa, alia intra Asiæ fines & Mæotidem paludem (Italis hodie, mar delle Zabacche) Tanaim & Volgam (quæ ipsis Rha dicitur) habitant, Mengreliis & Circassiis vicini, qui omnes Nagaienses vocantur. Alii vero, qui partem ulteriorem Volgæ intra Moscoviam mare Caspium (nunc mar di Baccu dictum) & Georgianos incolunt, partim Moscoviæ Duci subjecti sunt, partim sua fruuntur libertate. Nonnulli Turcico parent Imperio, ubi Demir Capi est, quondam portæ Caspiæ dictæ.

Tartarorum autem rex, cujus non ita pridem mentionem

nem fecimus, Tartarus Cremii, quæ est metropolis imperii, adpellatur: quamquam alias ut plurimũ in eo Tauricæ Chersonesi loco, qui illis Iegnibazca, Polonis autem & Russis Perocopska dicitur, resideat. *Cremum* vel Crimæum urbs extra Chersonesum sita est, ad eam fossam, quam quondam, cum Isthmum perfodere & Tauricam in insulæ formam redigere cogitabant, excauarunt. Vnde Poloni & Russi eos Præcopitas, à *Procop*, quod fossionem significat, denominare solent; secus quã alii statuunt, qui à rege quodam Procobio sic vocatos esse putant. Errant tamen qui eam fossam recenter factam esse asserunt; quod ex Herodoto liquet, qui Cremui emporii in sua Melpomene meminit.

Regum Tartarorum titulus est *Han*; quod herum seu dominum denotat. Minus recte à quibusdam Chan scribitur, nisi Italorum & Germanorum in aliquibus vocabulis pronunciationem asperiorem sequi velint. Poloni eum Zar seu Cæsarem vocant.

Ejus familia *Kirei* dicitur. Vnde nota sunt nomina Principum, qui non ita pridem adhuc vivebant; videlicet Mehemet Kirei Han. Rex qui nunc rebus præest Alip vocatur.

Ea pars Chersonesi, quam mare nigrum usque ad Bosphorum Cimmerium & introitum Mæotidis alluit, Turcæ subjecta est; quæ vero Mæotidem attingit & in meditullio sita est, ad Tartarorum Han spectat; licet multi Christiani Græcos ritus observantes ibi quoque habitent.

Hos quos modo recensui Tartaros pessime timet Moscovitarum Dux; propter subitas eorum & improvisas excursiones & deprædationes, quibus obvia quævis devastare, incolas captivos abducere, & Turcis aliisve vendere solent. Anno 1570 ipsam urbem Moscoviam combusserunt. In majori vero metu & periculo versaretur, si quando ipsi ex diti-

one sua aliò discedendum esset. Eos vero qui ad Asiæ oram sunt impedire potest, ne Christianis damnum inferant, impediendo eos ne Volgam transeant. Quare sæpius jam factum est, ut numero pauciores in bellum Vngaricum profecti sint, quam communis de ipsis rumor & fama fuerit. Qui Moscovitæ obediunt Cæsari *Asdrahan* & *Citrahan* vocantur: hi nihil ad propositum nostrum faciunt. Illis, quos dixi in Europa intus & extra Tauricam & Mœotidem & ad Euxinum Pontum habitare, Moscovita sine Polonorum auxilio resistere non potest. Coguntur enim necessario horum ditionem attingere, si iter ad urbem Smolenscho, vel aliud ad Tunaim vel Mœotidem ducens, tenere volunt; quæ asperrima longinqua & propter fluvios & paludes difficillima sunt.

Hi ipsi quondam Sarmatæ Europæi & Asiatici ab antiquis dicebantur; qui tamen Scythiam cum Sarmatia ut plurimum confundere solebant.

---

*XXVIII. Quibus armis instructi Tartari in bellum proficiscantur.*

TArtarorum arma sunt machæra & arcus. Sagittarum lignearum copia cum destituantur, eas ex calamis, quibus abundant, conficere solent. Acutissimæ sunt; quibus hosti nocere tum propellendo & invadendo, tum etiam à tergo eiaculando & fugam simulando, optime norunt. Illorum belligerandi ratio latronum incursionibus, quam veræ & legitimæ militiæ est similior. Omnes equis vehuntur, qui exigui & parvi sunt, soleis carentes. In harum vicem clavum aduncum unli ipsorum pedi infigunt, ubi glacies, quæ istis in regionibus frequens, superanda est. Animosi sunt, laboribus assueti, & perferendis incommodis maxime idonei.

---

*XXIX. Tartarorum amicitiam cur Turcæ & alii Principes vicini expetant & ære comparent.* Soly-

*Solymanni judicium de Tartaris.*

In bello Turcæ Tartarorum ope uti consuevere, quod eandem cum ipsis habeant originem, & ejusdem superstitionis Mahomeranæ sint asseclæ. Verum alia causa subest, his gravior; ne scilicet contra Turcas societatem cum ipsorum hostibus ineant. Quo nomine ipsos valde metuunt: siquidem facilime Constantinopolim usque cum comitatu immenso excurrere possunt, priusquam fama ea de re ad Turcas pervenire, vel ipsi contra eorum impetum iustos defensionis apparatus facere possint. Idem Solymannum Imperatorem veritum esse ex eo constat, quod ipsemet in concilio quodam de iis principibus, qui damno aliquo Imperium Ottomannicum afficere possint, habito, id fassus esse dicatur. Hinc omnibus officiosis studiis & beneficiis eos sibi demereri & conciliare student, cognatione sibi eos jungunt (Solymanni enim mater Tartara fuit natione, Mehemeris Kirei filia) contributiones, multaque ipsis dona conferunt. Vnde belli tempore Turcis satis caro constat Tartarorum militia; quibus tantum donare coguntur, quo & ipsis eorumque conjugibus, & liberis quos domi relinquunt, satisfieri queat. Verum ut majori cum securitate ipsis fidere possit, præter beneficia, quibus sibi eos obstringunt etiam nolentes sibi obedire cogunt. Tempore enim Solymanni eo adacti sunt Tartari sub Seda Kireo ipsorum Principe, ut aliquo modo Imperium Turcicum revereri & recognoscere cogantur.

His ipsis Tartaris etiam Moschorum Princeps & Polonus, utab ipsorum excursionibus & deprædationibus, quas tempore inducis facere consueverunt, securi atque immunes sint, dona quædam mittere solent. Moldaviæ Princeps, licet Turcæ tributum pendat, insuper tamen Tartarorum dominium aliquo modo respicere & venerari cogitur. Tar-

ti igitur Tartarorum amicitia à Principibus vicinis fieri solet, quanti Helvetiorum confœderationes & societates à Principibus illis finitimis merito fieri videmus.

SED cum variis itineribus expeditiones suas posteriores in Vngariam susceperint, & in posterum susceptori fortasse sint, non absurdum neque inutile futurum puto, si vias præcipuas, quæ illos ex patria in Vngariam ducant, ostendero. Vt Christiani proceres eos tanto facilius, vel impedire, vel ad minimum remoram quandam ac fœnum ipsorum furori & repentinis incursionibus iniicere queant.

---

*XXX. Itinera per quæ Tartari in Vngariam proficiscuntur, videlicet per Russiam, Podoliam, Premisliam, Sambar & Severinum.*

VT Tartari Turcico sese exercitui conjungant, ditiones Polonicas necessario attingere coguntur. Quæ vel habitatæ & cultæ sunt, vel desertæ. Inter habitatas refero Russiam & Podoliam, quæ ipsis ad latus dextrum sitæ sunt. Subita quadam irruptione infra Premisliam valles illas attingere possunt, quæ rectà eos in Vngariam superiorem ducant. Sed hac via facilime Poloni Transylvani & exercitus Imperatoris illis, quo minus susceptum iter perficiant resistere possunt. Possunt etiam Sambur urbem petere, vel Transylvaniam propius attingere: verum hæc via omnium est difficilima.

Per regiones desertas duæ ipsius patent viæ: una quæ à mari est remota, altera quæ vicina. Si *priorem* tenent, fluminis Nestri cursum sequuntur in Moldaviam usque, inde per mediam Wallachiam proficiscentes, ad Severinum (quod ita à nostris ob memoriam Imperatoris Severi nominatur) perveniunt. Verum eo in itinere Poloni pariter & Moldavi cum Valachis eos impedire possunt. Priusquam Severinum cum ditione finitima infestum sibi atque alienum haberent, iter

multo

multò brevius secundo Danubii fluvio incedentes conficere poterant; verum quia Transylvanus jam & loco illi & regioni adiunctæ dominatur, si illius fluvii cursum sequi vellent, armis viam sibi aperire cogerentur; id quod æque ipsis foret difficile quàm si terra proficiscerentur.

Vbi *posterius iter* quod ad mare propius est sequi volunt, ad fluvium Nestrum (Tyram quondã vocatũ) se conferunt; quem prope Achermanum trajiciunt. quæ Polonis Bialogrod, Moldavis Cittatalba, Vngaris vero Nester Alba dicitur. Estq; Sangiachatus Turcicus ad fluviũ Nestrũ (errant igitur, qui ad Istrũ seu Danubium eum collocant) situs non procul distans à Sangiachatu Benderæ, quam Moldavi & Poloni Tegina vocant. Bendera urbs est in Moldavia sita, quã Arõ ejus regionis Princeps Turcis concessit, quo se à rebellionis crimine, quod contra Turcas in bello quod etiamnũ viget admiserat, purgaret.

Per hosce duos Sangiachatus Tartari bifariam Vngariam attingere possunt. Aut enim Pruto & fluviis trajectis in VValachiam irruunt; aut iis fluviis relictis, in Bulgariam Turcæ provinciam copias ultra Danubium traducunt. Hæc posterior via licet omnium maxime secura & commoda sit, difficultatibus tamen non caret: siquidem ipsimet Turcæ nunquam non gravate Tartaris per suas ditiones (quas ne devastent & deprædentur metuunt) transitum permittunt.

Prima vice qua in expeditionem in Vngariam profecti sunt, iter Præmisliam versus instituerunt: in reditu Severini cœnobium petierunt; sed cum à Valachis & Transylvanis damna sæpius maxima in transitu accepissent, ut tanto commodius & facilius domum repetere possent, vltimam viam, quam dixi per Bulgariam esse, ingressi sunt.

---

*XXXI. De Tartaris Gibelus.*

*De muro, quem Imperatores Græci ad littus Ponti Euxini construxerunt.*

*Cur Turcæ opera Tartarorum Gibelorum, & aliorum qui in Sangiachatu Achermanni & Benderæ morantur, uti soleant.*

*Via, per quam Tartari Europæi in Persiam proficisci soleant.*

PRæter eos, quos modo enumeravimus, Tartarorum populos, alii quoque eiusdem nationis reperiuntur, qui *Gibeli* vocantur. Quorum ad plurimum sunt 2000. Machæra, arcu galea & lorica in bello utuntur, unde Gibeli, id est, armati dicuntur. In Dobrucia provincia ultra Danubium sitæ habitant ad ruinas muri, quæ in Sogdiana regione ab urbe Silistria Constantiam usque, quæ est ad Pontum Euxinum, pertingunt. Hic murus ab Imperatoribus Græcis quondam ædificatus dicitur.

Hosce Tartaros Turcæ sæpissime in bellum vocant, ut aliis persuadeant, Tartaros Crimæos sibi auxilio venisse. In eundem finem sæpius *paucos istos*, qui in ultima Moldaviæ parte, intra Nestrum & Danubium fluvios, in Sangiachatu Benderæ & Achermani habitant, quorum superius mentionem fecimus, auxilio sibi venire compellunt; ut timorem in nostris, & rumorem de suis viribus angeant.

ET hæc quidem hactenus de Tartaris dicta sunto. De quibus hoc unicum adjiciam, quod memoria & consideratione dignissimum est. Videlicet Tartaros Europæos Romanorum tempore in Persiam per Demir capi (id est, per Portas ferreas per quas Alexander Magnus ad Georgianos transiit) copias traducere solitos esse. Quorum vestigiis nostra memoria Osman Bassa institit, & eadem via in Persiam tendit. Semper enim eò animi & virium omnes intendit nervos, ut Domitium Corbulonem & Pompeium Magnum (de quibus Tacitus & Dio prolixe scribunt) & alios viros bello claros, magnitudine rerum gestarum non modò imitaretur, verum etiam superaret.

XXXII. *De Circassiis.*
*Osman Bassa à Cossacis teditur.*
*De Phasi fluvio.*

CIRCASSII quondam Zigæ dicti; à Polonis Pientzcorschii, id est incolæ quinque montium vel quinquemontani dicuntur. Horum ditio Cimmerio Bosphoro Mœotide & Euxino Ponto septa, Caspium mare non attingit; ut falsò nonnulli opinati sunt. Quidam eorum sunt liberi, reliqui Tartaro Crimæo parent. Græcorum ritus, variis superstitionibus mixtos, observant. Turcis suam operam pecunia elocant, paupertate coacti: seque invicem vendunt, & in servitutem aliis tradunt, tum quod Mengreliis vicini sint, & ipsis quoq; Tartaris, quibuscum interdū quod agant habent: tum etiam propter Turcicum propugnaculum Asaf, quod est in ostio Tanais. Strenui semper & ingenioſi habiti sunt. Tempore Sultanorum, qui in Ægypto regnarunt, plerique Mamaluchorum ex ea gente originem trahebant, unde Mamaluchi à Turcis Zercas vocati sunt.

In Circassia non ita pridem magna clade à Cosaccis (qui hi sint, suo loco dicetur) affectus est Osman Bassa, cum reduxè Persia Constantinopolim contenderet, & transiisset Phasin fluvium Mengreliæ seu Colchidis, quæ est ad Pontum Euxinum, in Trapezuntis confinibus. Qui fluvius propter vellus aureum celebris habetur; quem Pompeius fugientem Mithridatem insequens transire, præ metu Tartarorum, Circassiorum, & populorum vicinorum, non est ausus.

Hucusque de Tartaris & Circassiis.

---

XXXIII. *De Curdis, vel de Chaldæa.*
*De Drusis & Arabum exterribus.*
*Num Turcicum Imperium merito de his sibi timeat.*

SOlet Turca non raro *Curdos* seu Gurdos ad belli societatem evocare. Hi Mahumetani strenuissimi. Libertate fruuntur.

untur. Babyloniæ provinciæ, quæ hodie est Bagadat, eam partem incolunt, quæ Curdistan seu Chaldæa Arabibus vero Kelden dicitur.

Hos maximo damno aliquando Turcico imperio futuros nonnulli arbitrantur. Quod periculum eidem à Drusis (qui milites sunt Libani montis accolæ) & Arabum extorribus imminere existimant. Sed meo quidem iudicio Imperium hoc potentissimum parùm sibi ab illis timere debet. Nam primi regiunculam perexiguam possident, secundi numero pauciſſimi sunt, tertii latrones sunt nullo ordine in militiam proficiscentes.

VLTIMO loco *de viribus Imperii Turcici* mihi differendum puto; qua videlicet ratione Imperator Turcicus commeatu armis & munitionibus exercitui terrestri & classi prospicere possit. Cum nemo sit, cui non constet, irritos conatus futuros eius, qui instructus maximis copiis, rebus quibus & homines & pecudes sustentet & ad bellum instruat, destituatur, & frustra parari classem sine materiâ & militibus qui illi imponantur. Ostendendum quoque est, quæ ratione illum vel spoliare, vel difficilem apparatum ac copiam rerum earum hosti reddere possimus. Vnde palàm fiet, quantum hostis contra nos præstare valeat.

---

*XXXIV. Commeatus & cibaria, quæ Turcæ in Asia & Europa parare possunt.*

*Error veterum de Macedonia & Servia regionibus.*

*Quomodo commeatus per Pontum Euxinum in Vngariam deferri possit.*

*Item per Thessalonicam Scopiam & Albam regalem.*

*Item per Ciabrum seu Morava Serviæ fluvium.*

*De Cossovo seu Ossæ planitie.*

*Quomodo Turcis commeatus vel eripi, vel ne in Vngariam*

*cum transferant impediri possit.*

*De homagio, quo Sangiachi Spahi & Rustici Turcæ tenentur commeatum exercitui prospicere.*

*De pane biscotto qui Belgradi conficitur.*

COMMEATVS cura prima & diligentissima debet esse omnium belli ducum, sine cuius subsidio exercitus diu sustentari atque haberi non potest. Turcis autem frumenti copia non deest.

Huius maximam copiam passim in Asia colligere, & variis itineribus in Vngariam comportare possunt. Per Euxinum Pontum ad Danubii ostia tutò id fieri non potest, metu Walachorum, qui à Transylvani imperio dependent. Constantinopoli usque in Vngariam ut deferatur, via nimis longa & remota est. Liberrima vero & facillima per mare patet, quo Thessalonicam usque (quæ *Salonicchi* hodie dicitur) transportatur. Inde per Scopiam urbem Belgradum defertur. Indeque planissima patet regio, qua commodè quævis de loco in locum transferri possunt. Quod minori etiam cum difficultate fieret, nisi carrorum & vehiculorum copia destituerentur.

Europa parùm commeatus Turcæ conferre potest. Moldavia & Walachia hordei & frumenti feracissimæ provinciæ, belli cladibus tam infœcundæ sunt redditæ, ut non modò parum colantur & arentur, sed & exiguum illud quod terra producit militibus in prædam cedit, vel ab equis conculcatur. Walachiæ & Moldaviæ Principes tanquam vasalli homagio tenebantur, quantum possent rerum omnium ad bellum necessariarum Turcico exercitui subministrare & procurare, sed neuter suo nunc fungitur munere. Ille enim iugum Turcicum plane excussit: hic vero vix se suosque alere potest.

Per Macedoniam & Serviam, provincias fertilissimas, commeatus tuto & facile in Vugariam deferri potest; quod eæ regiones planæ ut plurimum, & montes propter saxa & rupes non sint invii.

Patet & alia via non minus commoda. Si videlicet Thessalonicâ per Ciabri, seu Moravæ Macedoniæ fluvii, campos in Serviam non procul à fertilissima Cossoviæ planitie transvehatur; quam merularum campos, ab avium istarum copia, quæ ante pugnam, in qua Amurathes primus occisus est, comparuit, scriptores nostri vocare solent. Hinc errorem veterum quorundam videre licet, quibus persuasum erat, Macedoniæ & Serviæ montes vehiculis non patere. Sed non erat plane difficile itinera & vias illac emunire; iis tamen exceptis montibus, qui ex Epiro in Macedoniam tendunt, per quos vehicula duci non possunt.

Vt verò Turcis impedimentum quoddam Christiani inferant, quo minus commeatum in ea loca ubi belli sedes est transportare queant, maximas difficultates & incommoda illis obstitura puto, si maritima æque ac terrestria itinera spectes. Pars enim commeatuum, quæ ex Asia atque adeo ex Ægypto transmittitur, Alexandriæ Damiatæ atque in aliis portubus in naves imponitur, quibus cum instructissima classe occurrendum eæque pugnando superandæ & capiendæ essent. Tum etiam quod Ægæum mare, (quod maxime infestum reddere conveniret) plurimos canales habet, in quos tutus navibus receptus datur. Itinera terrestria si spectes, vnicus eos impediendi modus supereſt (nisi forte Turca regiones suas omni præsidio & militibus nudare velit) ut videlicet Transylvanus à Valachis adiutus traiecto Danubio, intra Bulgariam & Serviam, quæ quondam Misiæ dictæ sunt, castra metetur. Sed ad eam rem instructissimo, & ad pugnam paratissimo ipsi opus foret exercitu, cum citra periculum impedimentum inferre nequiret.

Omnes præterea Spahi aliquam cibariorum partem pro se suisque alendis in militiam secum ferre coguntur. Sangiachi farinæ hordei & aliarum rerum, quantum maxime & quam

(æ-

sæpissime possunt, ad exercitum mittere tenentur. Rustici in pagis, quanta ipsis imperatur, frumenti copiam suppeditare militibus adiguntur. Albæregali maxima copia panis bis cocti ex frumento & hordeo ordinarie confici solet, qui postea inter milites dividitur

*XXXV. Cur Turcæ expeditiones suas anni parte maiore elapsa suscipiant, & exercitum non diu subsignis retineant.*

HOc insuper certissimum est, Turcam priusquam herba crescat & messis facta sit, in bellum proficisci Vngaricum non posse. Tum quod frumentum & alia, quæ Spahi exercitui præstare coguntur, ante illud tempus nullibi parari queant; tum etiam quod neque milites, si his destituantur rebus, diu castra sequi possint; maxime ubi exercitus copiosus sit; quales plerunque Turcarum sunt, qui hominum equorum & camelorum maximo numero constant. Inde quoque usuvenit, quod eiusmodi exercitus diu in aliquo loco subsistere vel coniunctus manere non possit.

*XXXVI. De Oriza.*

SCopia aliquantulum orizæ (cibus Turcis familiaris) suppeditat. In Alexandria quoque eius copia haud vulgaris crescit; inde à mercatoribus ad nos defertur.

*XXXVII. De carnibus; & Herba pulmento.*

TOta regio omni genere carnis abundat, maximè vero ubi exercitus subsistit vel sedes belli est. Veruecum, & boum in primis, ut ita dicam, copia innumerabilis reperitur in iis campis atque pascuis. E Moldavia pecudes mel & butyrum maxima quantitate in castra Turcica deferuntur; Principe id permittente, propter tributa, quæ ipsi hoc nomine penduntur. Verveces tamen ea copia nunc, qua solebant olim, nanciscinon possunt; quòd multò plures hodie, quàm quondam in Poloniam abigantur. Quæres Turcas pessime habet, cum ea carne in primis delectentur, bubulam vero tanti non

non faciant. Circumferunt quoque secum carnem quandam sale cõditam, quæ in pulverem redacta, nutrimentum illis optimum præbet: in primis ubi eam cum pulmento, quod *Tzarba* vocant, miscent & condiunt.

*XXXVIII. De aqua, vino, & tZarbet, quod est potus genus apud Turcas.*

*De regno Tarsi.*

*Quomodo Mahumetes Pseudopropheta assectas suos in arte militari instruxit & ad eam idoneos reddidit.*

AD potum quod attinet, nemo est qui dubitet, quin ubivis locorum, ubi bellum hodie geritur, aquarum sint fontes perennes & fluvii. Nec Turcis hic potus vel rarus vel inusitatus est, quod ex lege Mahumetana eam bibere teneantur. Carthaginenses quoq; eo potu olim utebantur. Vt etiam nunc illo uti, religionis causâ, feruntur incolæ Tarsi regni; quod est in Asia ad Cathaiæ confinia sita, cuius etiam literæ sacræ propter magos, qui inde ad adorandum Christum Bethlehemum profecti sunt, mentionem faciunt. Quantum iste aquæ potus Turcis conducat, illi æstimare possunt, qui aliquamdiu Germanos frequentarunt; licet olim & hi aqua contenti vixere.

Et si quod reliquum est fateri lubet, Mahumetes ille Turcarum Legislator assectis suis, utà vini potu abstinerent, non aliam ob caussam tam seriò edixit, quam quod armis suarum Legum observationem sancire cupiens, sobrietatem illis præcepit, quo ad belli munia obeunda semper parati promptique essent, ducibus parerent, & ad Martis aleam subeundam intrepidi impavidique adgrederentur. Legem quoque tulit, ut crebriori lotione utantur; ut videlicet mundi ipsi, munde in exercitu omnia tractentur, ne morbis, quos immundicies & spurcicies generare solent, milites corripiantur, sed potius ad perferendas omnis aëris & cœli tempestates & incommoditates apti & idonei reddantur.

Potum

Potum insuper Turcæ, quem *Tzerbet* vocant, exuvis passis & aqua conficiunt, admixto citrij succo & musco; quæ omnia saporem suavissimum efficiunt, tentare etiam caput solet uti vinum. Quod si vinum bibere Turcæ aliqui interdum cupiant, Ianizari in primis qui eo mirifice delectantur, magna eis copia est in Hungaria, præcipueque in superiori, ubi vinum Toccajum nobilissimum habetur.

## *XXXIX. Materia sive ligna.*

### *De Bazca & Srema provincijs.*

LIgnis Turcæ non possunt destitui: quorum usus in exercitu, ut Cyrus rex Persarum dicere solebat, æque atque aliarum rerum necessarius est. Etsi vero in quibusdam Serviæ locis, ea quæ toti exercitui sufficiat ligni copia non reperiatur, hunc tamen defectum supplent reliqua loca, per quæ iter faciunt Constantinopoli Belgradum, atque inde cis Danubium Vesprinum usque. In primis vero ligno abundant Bazca & Srema provinciæ. In hac urbs Sirmium, quæ propter Concilium quod ibi celebratum fuit celebris est. Ambæ Danubio Dravo & Savo fluvijs cinctæ, quibus furor belli (quod exercitus Turcicus semel tantum sub Sinano Bassa illac transiit) cum peperciſſet, omnibus rebus necessarijs plus quam aliæ Vngariæ provinciæ abundant.

POSTQVAM ea quæ ad hominum & animalium sustentationem pertinent discussimus: nunc considerandum est, quo *armorum* genere Turcæ utantur, & quomodo *bellicas munitiones* tam ad defensionem quam offensionem nanciſci possint.

## *XL. Arma offensiva & defensiva Turcarum.*

### *De Pusdogan machæra & aliis armis.*

SPahi Europæi ut eminus hostem lædant, lancea pura & pomo ferreo utuntur. Vt cominus feriant, clavum ferreum,

quem *Pusdogan* vocant, & machæram gestant. Hoc armorum genus Persis quondam in usu fuisse Xenophon scribit. Turcæ illud *Cedare*, Arabes *Secle*, Germani *Sabel*, à voce Vngarica & Sclavonica Sabla, nominant. Alij etiam secures & sicas ferunt. Alij peltas & scuta. Reliqua corporis membra armis non cooperiunt. Tormentorum usum non habent; multi sagittas & tela tantùm in hostem tendunt. Qui in Croatiæ & Vngariæ finibus militabant, plerique thoracibus ferreis & lorica induti fuerant. Sed hi fere omnes in militia periere. Qui his succesferunt, nondum huic armorum generi assuefacti sunt. Ianizari omnes & nonnulli Asappi tormenta tractant, sed non ea dexteritate qua nostri solent. Acanzij, Spahoglani, Chiaussij (qui Turcarum legati sunt) alijque equites aulæ Turcicæ, arcu & sagittis, alij lanceis Asiaticis pugnant. Pedites fere omnes galeas non gestant, sed machæris & gladijs Græcorum more accinguntur. Equites Asiatici sariissis quoque uruntur: alij sagittarios agunt: ephippia exigua habent de quibus facile deturbari possunt.

---

### *XLI. De Giebegis, Topigis, Armenis, & quare hi Bocgi vocentur.*

### *De Voinicis & Sachor.*

IN exercitu Turcico diversi sunt ministri & officiarij, qui varia obeunt munia. *Giebegi* sunt, qui arma componunt ac tergunt. *Topigi* vocantur machinarum & tormentorum magistri. E quibus nonnullis stipendia solvuntur, alij sine stipendijs aliunde multa corradunt. *Armeni* fossores & munitores ut plurimum sunt, & apud Turcas ea præstant, quæ caminorum purgatorib. apud nos committuntur, unde per ludibrium Bocgi vocantur. Exercitum quoque sequuntur multi *Voinici*, quod lingua Sclavonica bellicosum significat, quod in bello quondam strenu-

strenuam operam navarint. Hi rustici sunt in Servia & Bulgaria habitantes,& Græco more viventes quosvis labores subeunt. Sunt & alij pariter qui sponte sua in exercitu vivunt, quos *Sarchor* nominant; fossores agunt,& vilissima atque abjectissima quæque perficiunt.

ORDO requireret, ut integrum nunc de *militari disciplina Turcarum* tractatum subijcerem, sed de eo multi alij doctissime scripserunt, ad quos lectores remitto. Pauca tamen quædam hic inseram non nota omnibus, ne lectorem hinc jejunum dimittam, cui in aliis me satisfeciisse spero.

---

*XLII. Turcarum disciplina militaris.*
*Quænam in milite Christiano requirantur.*
*Victoriæ Christianorum contra infideles.*
*Defectus quibus laborant exercitus Turcici.*
*De Scanderbego.*
*Robur & vires Turcarum.*
*Qua ratione tormenta pilas & pulverem nanciscantur.*

TVrcarum milites à nostris, qui quidem exercitati sint, superari certissimum est. *Nostros* autem voco, non Italos modo, sed & Hispanos, Gallos, Hungaros, Germanos, atque aliarum nationum homines, qui sub nostris signis militant. *Exercitatos* verò intelligo non tam eos, qui artem tractandorum armorum probe & longa experientia didicerunt, quam qui sub Christi militia merere probe assuefacti sunt; ut videlicet eorum fortitudinem animi sinceritas & vitæ inculpatæ probitas comitetur, quo eo securius belli periculis sese objicere, & victoria sub nostrorum Principum auspicijs potiri valeant, licet militum numero hosti longe cedant.

Nota sunt & clara insignium victoriarum exempla, quas Christiani sub Marco Aurelio, Constantino, duobus Theo-

dosijs, Honorio, Aëtio & alijs de infidelibus reportarunt; in primis vero de Saracenis sub Pelagio primo Castiliæ rege, qui cum mille suorum 20000 hostium delevit. Carolus Martellus unico prælio 375000 hostium devicit. Vt eas omittam, quibus sub Alfonso Casto Ranimirus; ut & Ferdinandus, & Walterus Teutonicorum Equitum magister, potiti sunt. Quorum hic 100000 Tartarorum una vice delevit, unico solo ex suis militibus desideraro. Corvinus, post quam maximarum pugnarum victor evasisset, octava vice cum 80000 Turcarum manus conserere non dubitavit, licet ejus exercitus ultra 15000 militum non constaret. De qua re diligentissime scripsit Thomas Bozius in libro suo contra Machiavellum edito.

Constat porro omnibus, qui aliquando contra Turcas bellum gesserunt, eorum militandi ratio. Castra latissime metantur. In expeditione nullo ordine & confuse incedunt, ut à tergo facile infestari possint. Quod animadvertens Georgius ille Castriotus (celeberrimus omnium qui unquam cum Turcis bella gesserunt, à quibus *Iskanderbegh*, id est, dominus Alexander vocatus, eo nomine ipsi in circumcisione ab Amurathe, apud quem obsidem agebat, indito: tunc enim Turcæ nomina mutare in usu habent, quemadmodum Christiani solent in baptismate) multarum horribilium & maximarum pugnarum victor, de hostibus suis triumphos egit. Insuper Turcæ spem victoriæ in numero & multitudine pugnantium potius, & in fato strepituque instrumentorum bellicorum, atque horribili sonitu barbararum vocum & clamore collocant, quam ut ordini decenti & veræ militiæ studeant.

E contra res plurimas habent & observant quæ illis in maximum emolumentum cedunt. Qualis est autoritas summa & absoluta ejus, qui supremum caput est exercitus & dux generalis. Obedientia militum: quæ tamen hodie aliquantulum imminuta

minuta est. Auxilia promptissima, ubi necessitas ea requirit. Neque enim opus habent, ut hinc inde mendicando quasi colligant exercitum more nostrorum Principum. Qui sæpissime aliorum viribus plus quam proprijs confidunt, & ut exercitum justum conscribant omnes exhaurire thesauros suos coguntur; præcipuumq; temporis spacium & rebus agendis utilissimum inutiliter plerumque & nihil agendo transigunt. Turcæ contrà thesauros suos ad res maxime serias, & donec necessitas requirat asseruant; vel militibus inde dona liberaliter conferunt, quibus acutissimi calcaris instar ad pugnas & pericula subeunda promptissimi paratissimique redduntur. Bello finem nunquam aut raro imponunt, nisi hostem aliqua ratione debellarint. Vires suas in res parvi momenti nunquam collocant. Quæ in bello sibi expediunda sumunt, justo ordine & maximis apparatibus antea factis suscipiunt: prælio rarò de summa rei decertant, nisi commodissima illis affulgeat occasio.

Putant nonnulli, Turcis tormentorum & machinarum magistros, & quos ingegnieros Itali vocant, præstantes deesse; adparet tamen nihil esse tam validum nihilque tam probe munitum, quod ipsorum viribus non cedat. Propugnacula, quæ inexpugnabilia habita sunt, ipsi citra molestiam occupant: honoribus & vi pecuniæ promissâ atque stipulatâ duces & præsidiarios, qui ea tuentur, corrumpunt. Nunc æneis machinis horrenda in muros fulmina noctes atque dies jaculando, locum expugnationi aperiunt: fossas materia replent, cuniculis subterraneis in urbes obsessas penetrare tentant; obsessis à laboribus requiem nunquam concedunt: à proposito suo nunquam recedunt.

Munitiones bellicæ ipsis undique suppetunt. Pilas ubi opus sibi fore putant, maximâ copiâ conficiunt. Machinarum

ti igitur Tartarorum amicitia à Principibus vicinis fieri soler, quanti Helvetiorum confœderationes & societates à Principibus illis finitimis merito fieri videmus.

SED cum variis itineribus expeditiones suas posteriores in Vngariam susceperint, & in posterum susceptur fortasse sint, non absurdum neque inutile futurum puto, si vias præcipuas, quæ illos ex patria in Vngariam ducant, ostendero. Vt Christiani proceres eos tanto facilius, vel impedire, vel ad minimum remoram quandam ac frænum ipsorum furori & repentinis incursionibus iniicere queant.

---

*XXX. Itinera per quæ Tartari in Vngariam proficiscuntur, videlicet per Russiam, Podoliam, Premisliam, Sambar & Severinum.*

VT Tartari Turcico sese exercitui conjungant, ditiones Polonicas necessario attingere coguntur. Quæ vel habitatæ & cultæ sunt, vel desertæ. Inter habitatas refero Russiam & Podoliam, quæ ipsis ad latus dextrum sitæ sunt. Subita quadam irruptione infra Premisliam valles illas attingere possunt, quæ rectà eos in Vngariam superiorem ducant. Sed hac via facilime Poloni Transylvani & exercitus Imperatoris illis, quo minus susceptum iter perficiant resistere possunt. Possunt etiam Sambur urbem petere, vel Transylvaniam propius attingere: verum hæc via omnium est difficilima.

Per regiones desertas duæ ipsius patent viæ: una quæ à mari est remota, altera quæ vicina. Si *priorem* tenent, fluminis Nestri cursum sequuntur in Moldaviam usque, inde per mediam Wallachiam proficiscentes, ad Severinum (quod ita à nostris ob memoriam Imperatoris Severi nominatur) perveniunt. Verum eo in itinere Poloni pariter & Moldavi cum Valachis eos impedire possunt. Priusquam Severinum cum ditione finitima infestum sibi atque alienum haberent, iter

multo

multò brevius secundo Danubii fluvio incedentes conficere poterant; verum quia Transylvanus jam & loco illi & regioni adiunctæ dominatur, si illius fluvii cursum sequi vellent, armis viam sibi aperire cogerentur; id quod æque ipsis foret difficile quàm si terra proficiscerentur.

Vbi *posterius iter* quod ad mare propius est sequi volunt, ad fluvium Nestrum (Tyram quondã vocatũ) se conferunt; quem prope Achermanum trajiciunt quæ Polonis Bialogrod, Moldavis Cittatalba, Vngaris vero Nester Alba dicitur. Estq; Sangiachatus Turcicus ad fluviũ Nestrũ (errant igitur, qui ad Istrũ seu Danubium eum collocant) situs non procul distans à Sangiachatu Benderæ, quam Moldavi & Poloni Tegina vocant. Bendera urbs est in Moldavia sita, quã Arõ ejus regionis Princeps Turcis concessit, quo se à rebellionis crimine, quod contra Turcas in bello quod etiamnũ viget admiserat, purgaret.

Per hosce duos Sangiachatus Tartari bifariam Vngariam attingere possunt. Aut enim Pruto & fluviis trajectis in VValachiam irruunt; aut iis fluviis relictis, in Bulgariam Turcæ provinciam copias ultra Danubium traducunt. Hæc posterior via licet omnium maxime secura & commoda sit, difficultatibus tamen non caret: siquidem ipsimet Turcæ nunquam non gravate Tartaris per suas ditiones (quas ne devastent & deprædentur metuunt) transitum permittunt.

Prima vice qua in expeditionem in Vngariam profecti sunt, iter Præmisliam versus instituerunt: in reditu Severini cœnobium petierunt; sed cum à Valachis & Transylvanis damna sæpius maxima in transitu accepissent, ut tanto commodius & facilius domum repetere possent, vltimam viam, quam dixi per Bulgariam esse, ingressi sunt.

---

*XXXI. De Tartaris Gibelis.*

*De muro, quem Imperatores Græci ad littus Ponti Euxini construxerunt.*

*Cur Turcæ opera Tartarorum Gibelorum, & aliorum qui in Sangiachatu Achermanni & Benderæ morantur, uti soleant.*

*Via, per quam Tartari Europæi in Persiam proficisci soleant.*

PRæter eos, quos modo enumeravimus, Tartarorum populos, alii quoque eiusdem nationis reperiuntur, qui *Gibeli* vocantur. Quorum ad plurimum sunt 2000. Machæra, arcu galea & lorica in bello utuntur, unde Gibeli, id est, armati dicuntur. In Dobrucia provincia ultra Danubium sita habitant ad ruinas muri, quæ in Sogdiana regione ab urbe Silistria Constantiam usque, quæ est ad Pontum Euxinum, pertingunt. Hic murus ab Imperatoribus Græcis quondam ædificatus dicitur.

Hosce Tartaros Turcæ sæpissime in bellum vocant, ut aliis persuadeant, Tartaros Crimæos sibi auxilio venisse. In eundem finem sæpius *paucos istos*, qui in ultima Moldaviæ parte, intra Nestrum & Danubium fluvios, in Sangiachatu Benderæ & Achermani habitant, quorum superius mentionem fecimus, auxilio sibi venire compellunt; ut timorem in nostris, & rumorem de suis viribus augeant.

ET hæc quidem hactenus de Tartaris dicta sunto. De quibus hoc unicum adjiciam, quod memoria & consideratione dignissimum est. Videlicet Tartaros Europæos Romanorum tempore in Persiam per Demir capi (id est, per Portas ferreas per quas Alexander Magnus ad Georgianos transiit) copias traducere solitos esse. Quorum vestigiis nostra memoria Osman Bassa institit, & eadem via in Persiam tendit. Semper enim eò animi & virium omnes intendit nervos, ut Domitium Corbulonem & Pompeium Magnum (de quibus Tacitus & Dio prolixe scribunt) & alios viros bello claros, magnitudine rerum gestarum non modò imitaretur, verum etiam superaret.

XXXII. *De Circassiis.*
*Osman Bassa à Cossacis caeditur.*
*De Phasi fluvio.*

CIRCASSII quondam Zigæ dicti, à Polonis Pientzcorschii, id est incolæ quinque montium vel quinquemontani dicuntur. Horum ditio Cimmerio Bosphoro Mœotide & Euxino Ponto septa, Caspium mare non attingit; ut falsò nonnulli opinati sunt. Quidam eorum sunt liberi, reliqui Tartaro Crimæo parent. Græcorum ritus, variis superstitionibus mixtos, observant. Turcis suam operam pecunia elocant, paupertate coacti: seque invicem vendunt, & in servitutem aliis tradunt, tum quod Mengreliis vicini sint, & ipsis quoq; Tartaris, quibuscum interdū quod agant habent: tum etiam propter Turcicum propugnaculum Asaf, quod est in ostio Tanais. Strenui semper & ingenioſi habiti sunt. Tempore Sultanorum, qui in Ægypto regnarunt, plerique Mamāluchorum ex ea gente originem trahebant, unde Mamaluchi à Turcis Zercas vocati sunt.

In Circassia non ita pridem magna clade à Cosaccis (qui hi sint, suo loco dicetur) affectus est Osman Bassa, cum redux è Persia Constantinopolim contenderet, & transiisset Phasin fluvium Mengreliæ seu Colchidis, quæ est ad Pontum Euxinum, in Trapezuntis confinibus. Qui fluvius propter vellus aureum celebris habetur; quem Pompeius fugientem Mithridatem insequens transire, præ metu Tartarorum, Circassiorum, & populorum vicinorum, non est ausus.

Huc usque de Tartaris & Circassiis.

---

XXXIII. *De Curdis, vel de Chaldæa.*
*De Drusis & Arabum exterribus.*
*Num Turcicum Imperium merito de his sibi timeat.*

SOlet Turca non raro *Curdos* seu Gurdos ad belli societatem evocare. Hi Mahumetani strenuissimi. Libertate fruuntur.

untur. Babyloniæ provinciæ, quæ hodie est Bagadat, eam partem incolunt, quæ Curdistan seu Chaldæa. Arabibus vero Kelden dicitur.

Hos maximo damno aliquando Turcico imperio futuros nonnulli arbitrantur. Quod periculum eidem à Drusis (qui milites sunt Libani montis accolæ) & Arabum extorribus imminere existimant. Sed meo quidem iudicio Imperium hoc potentissimum parùm sibi ab illis timere debet. Nam primi regiunculam perexiguam possident, secundi numero pauciſſimi sunt, tertii latrones sunt nullo ordine in militiam proficiscentes.

VLTIMO loco *de viribus Imperii Turcici* mihi differendum puto; qua videlicet ratione Imperator Turcicus commeatu armis & munitionibus exercitui terrestri & classi prospicere possit. Cum nemo sit, cui non constet, irritos conatus futuros eius, qui instructus maximis copiis, rebus quibus & homines & pecudes sustentet & ad bellum instruat, destituatur, & frustra parari classem sine materiâ & militibus qui illi imponantur. Ostendendum quoque est, qua ratione illum vel spoliare, vel difficilem apparatum ac copiam rerum earum hosti reddere possimus. Vnde palàm fiet, quantum hostis contra nos præstare valeat.

---

*XXXIV. Commeatus & cibaria, quæ Turcæ in Asia & Europa parare possunt.*

*Error veterum de Macedonia & Servia regionibus.*

*Quomodo commeatus per Pontum Euxinum in Vngariam deferri possit.*

*Item per Thessalonicam Scopiam & Albam regalem.*

*Item per Ciabrum seu Morava Serviæ fluvium.*

*De Cossovo seu Ossæ planitie.*

*Quomodo Turcis commeatus vel eripi, vel ne in Vngariam*

*eum transferant impediri possit.*

*De homagio, quo Sangiachi Spahi & Rustici Turcæ tenentur commeatum exercitui prospicere.*

*De pane biscocto qui Belgradi conficitur.*

COMMEATVS cura prima & diligentissima debet esse omnium belli ducum, sine cuius subsidio exercitus diu sustentari atque haberi non potest. Turcis autem frumenti copia non deest.

Huius maximam copiam passim in Asia colligere, & variis itineribus in Vngariam comportare possunt. Per Euxinum Pontum ad Danubii ostia tutò id fieri non potest, metu Walachorum, qui à Transylvani imperio dependent. Constantinopoli usque in Vngariam ut deferatur, via nimis longa & remota est. Liberrima vero & facillima per mare patet, quo Thessalonicam usque (quæ *Salonicchi* hodie dicitur) transportatur. Inde per Scopiam urbem Belgradum defertur. Indeque planissima patet regio, qua commodè quævis de loco in locum transferri possunt. Quod minori etiam cum difficultate fieret, nisi carrorum & vehiculorum copia destituerentur.

Europa parùm commeatus Turcæ conferre potest. Moldavia & Walachia hordei & frumenti feraciissimæ provinciæ, belli cladibus tam infœcundæ sunt redditæ, ut non modò parum colantur & arentur, sed & exiguum illud quod terra producit militibus in prædam cedit, vel ab equis conculcatur. Walachiæ & Moldaviæ Principes tanquam vasalli homagio tenebantur, quantum possent rerum omnium ad bellum necessariarum Turcico exercitui subministrare & procurare, sed neuter suo nunc fungitur munere. Ille enim iugum Turcicum plane excussit: hic vero vix se suosque alere potest.

Per Macedoniam & Serviam, provincias fertilissimas, commeatus tuto & facile in Vugariam deferri potest; quod eæ regiones planæ ut plurimum, & montes propter saxa & rupes non sint invii.

sæpissime possunt, ad exercitum mittere tenentur. Rustici in pagis, quanta ipsis imperatur, frumenti copiam suppeditare militibus adiguntur. Albæregali maxima copia panis bis cocti ex frumento & hordeo ordinarie confici solet, qui postea inter milites dividitur

*XXXV. Cur Turcæ expeditiones suas anni parte maiore elapsa suscipiant, & exercitum non diu sub signis retineant.*

HOc insuper certissimum est, Turcam priusquam herba crescat & messis facta sit, in bellum proficisci Vngaricum non posse. Tum quod frumentum & alia, quæ Spahi exercitui præstare coguntur, ante illud tempus nullibi parari queant; tum etiam quod neque milites, si his destituantur rebus, diu castra sequi possint; maxime ubi exercitus copiosus sit; quales plerunque Turcarum sunt, qui hominum equorum & camelorum maximo numero constant. Inde quoque usuvenit, quod eiusmodi exercitus diu in aliquo loco subsistere vel coniunctus manere non possit.

*XXXVI. De Orizæ.*

SCopia aliquantulum orizæ (cibus Turcis familiaris) suppeditat. In Alexandria quoque eius copia haud vulgaris crescit; inde à mercatoribus ad nos defertur.

*XXXVII. De carnibus; & Herba pulmento.*

TOta regio omni genere carnis abundat, maximè vero ubi exercitus subsistit vel sedes belli est. Veruecum, & boum in primis, ut ita dicam, copia innumerabilis reperitur in iis campis atque pascuis. E Moldavia pecudes mel & butyrum maxima quantitate in castra Turcica deferuntur; Principe id permittente, propter tributa, quæ ipsi hoc nomine penduntur. Verveces tamen ea copia nunc, qua solebant olim, nanciscinon possunt; quòd multò plures hodie, quàm quondam in Poloniam abigantur. Quæres Turcas pessime habet, cum ea carne in primis delectentur, bubulam vero tanti

non

non faciant. Circumferunt quoque secum carnem quandam sale cõditam, quæ in pulverem redacta, nutrimentum illis optimum præbet: in primis ubi eam cum pulmento, quod *Tzarba* vocant, miscent & condiunt.

*XXXVIII. De aqua, vino, & rZarbet, quod est potus genus apud Turcas.*

*De regno Tarsi.*

*Quomodo Mahumetes Pseudopropheta assectas suos in arte militari instruxit & ad eam idoneos reddidit.*

AD potum quod attinet, nemo est qui dubitet, quin ubivis locorum, ubi bellum hodie geritur, aquarum sint fontes perennes & fluvii. Nec Turcis hic potus vel rarus vel inusitatus est, quod ex lege Mahumetana eam bibere teneantur. Carthaginenses quoq; eo potu olim utebantur. Vt etiam nunc illo uti, religionis causâ, feruntur incolæ Tarsi regni; quod est in Asia ad Cathaiæ confinia sita, cuius etiam literæ sacræ propter magos, qui inde ad adorandum Christum Bethlehemum profecti sunt, mentionem faciunt. Quantum iste aquæ potus Turcis conducat, illi æstimare possunt, qui aliquamdiu Germanos frequentarunt; licet olim & hi aqua contenti vixere.

Et si quod reseſt fateri lubet, Mahumetes ille Turcarum Legislator assectis suis, utà vini potu abstinerent, non aliam ob causſam tam seriò edixit, quam quod armis suarum Legum observationem sancire cupiens, sobrietatem illis præcepit, quo ad belli munia obeunda semper parati promptique essent, ducibus parerent, & ad Martis aleam subeundam intrepidi impavidique adgrederentur. Legem quoque tulit, ut crebriori lotione utantur; ut videlicet mundi ipsi, munde in exercitu omnia tractentur, ne morbis, quos immundicies & spurcicies generare solent, milites corripiantur, sed potius ad perferendas omnis aëris & cœli tempestates & incommoditates apti & idonei reddantur.

Potum

Potum insuper Turcæ, quem *Tzerbet* vocant, exuvis passis & aqua conficiunt, admixto citrij succo & muſco; quæ omnia saporem suavissimum efficiunt, tentare etiam caput solet uti vinum. Quod si vinum bibere Turcæ aliqui interdum cupiant, Ianizari in primis qui eo mirifice delectantur, magna eis copia est in Hungaria, præcipuequein superiori, ubi vinum Toccajum nobilissimum habetur.

## *XXXIX. Materia sive ligna.*
### *De Bazca & Srema provinciis.*

LIgnis Turcæ non possunt destitui: quorum usus in exercitu, ut Cyrus rex Persarum dicere solebat, æque atque aliarum rerum necessarius est. Etsi vero in quibusdam Serviæ locis, ea quæ toti exercitui sufficiat ligni copia non reperiatur, hunc tamen defectum supplent reliqua loca, per quæ iter faciunt Constantinopoli Belgradum, atque inde cis Danubium Vesprinum usque. In primis vero ligno abundant Bazca & Srema provinciæ. In hac urbs Sirmium, quæ propter Concilium quod ibi celebratum fuit celebris est. Ambæ Danubio Dravo & Savo fluvijs cinctæ, quibus furor belli (quod exercitus Turcicus semel tantum sub Sinano Bassa illac transiit) cum peperciſſet, omnibus rebus necessarijs plus quam aliæ Vngariæ provinciæ abundant.

POSTQVAM ea quæ ad hominum & animalium sustentationem pertinent discussimus: nunc considerandum est, quo *armorum* genere Turcæ utantur, & quomodo *bellicas munitiones* tam ad defensionem quam offensionem nanciſci possint.

## *XL. Arma offensiva & defensiva Turcarum.*
### *De Pusdogan machæra & aliis armis.*

Spahi Europæi ut eminus hostem lædant, lancea pura & pomo ferreo utuntur. Vt cominus feriant, clavum ferreum,

quem *Pusdogan* vocant, & machæram gestant. Hoc armorum genus Persis quondam in usu fuisse Xenophon scribit. Turcæ illud *Cedare*, Arabes *Secle*, Germani *Sabel*, à voce Vngarica & Sclavonica Sabla, nominant. Alij etiam secures & sicas ferunt. Alij peltas & scuta. Reliqua corporis membra armis non cooperiunt. Tormentorum usum non habent; multi sagittas & tela tantùm in hostem tendunt. Qui in Croatiæ & Vngariæ finibus militabant, plerique thoracibus ferreis & lorica induti fuerant. Sed hi fere omnes in militia periere. Qui his succesferunt, nondum huic armorum generi assuefacti sunt. Ianizari omnes & nonnulli Asappi tormenta tractant, sed non ea dexteritate qua nostri solent. Acanzij, Spahoglani, Chiaussij (qui Turcarum legati sunt) alijque equites aulæ Turcicæ, arcu & sagittis, alij lanceis Asiaticis pugnant. Pedites fere omnes galeas non gestant, sed machæris & gladijs Græcorum more accinguntur. Equites Asiatici sariissisquoque utuntur: alij sagittarios agunt: ephippia exigua habent de quibus facile deturbari possunt.

---

### *XLI. De Giebegis, Topigis, Armenis, & quare hi Bocgi vocentur.*

### *De Voinicis & Sachor.*

IN exercitu Turcico diversi sunt ministri & officiarij, qui varia obeunt munia. *Giebegi* sunt, qui arma componunt ac tergunt. *Topigi* vocantur machinarum & tormentorum magistri. E quibus nonnullis stipendia solvuntur, alij sine stipendijs aliunde multa corradunt. *Armeni* fossores & munitores ut plurimum sunt, & apud Turcas ea præstant, quæ caminorum purgatorib. apud nos committuntur, unde per ludibrium Bocgi vocantur. Exercitum quoque sequuntur multi *Voinici*, quod lingua Sclavonica bellicosum significat, quod in bello quondam

Arenu-

strenuam operam navarint. Hi rustici sunt in Servia & Bulgaria habitantes,& Græco more viventes quosvis labores subeunt. Sunt & alij pariter qui sponte sua in exercitu vivunt, quos *Sarchor* nominant; fossores agunt,& vilissima atque abjectissima quæque perficiunt.

ORDO requireret, ut integrum nunc de *militari disciplina Turcarum* tractatum subijcerem, sed de eo multi alij doctissime scripserunt, ad quos lectores remitto. Pauca tamen quædam hic inseram non nota omnibus, ne lectorem hinc jejunum dimittam, cui in aliis me satisfeciisse spero.

---

*XLII. Turcarum disciplina militaris.*
*Quænam in milite Christiano requirantur.*
*Victoriæ Christianorum contra infideles.*
*Defectus quibus laborant exercitus Turcici.*
*De Scanderbego.*
*Robur & vires Turcarum.*
*Qua ratione tormenta pilas & pulverem nanciscantur.*

TVrcarum milites à nostris, qui quidem exercitati sint, superari certissimum est. *Nostros* autem voco, non Italos modo, sed & Hispanos, Gallos, Hungaros, Germanos, atque aliarum nationum homines, qui sub nostris signis militant. *Exercitatos* verò intelligo non tam eos, qui artem tractandorum armorum probe & longa experientia didicerunt, quam qui sub Christi militia merere probe assuefacti sunt; ut videlicet eorum fortitudinem animi sinceritas & vitæ inculpatæ probitas comitetur, quo eo securius belli periculis sese objicere, & victoria sub nostrorum Principum auspicijs potiri valeant, licet militum numero hosti longe cedant.

Nota sunt & clara insignium victoriarum exempla, quas Christiani sub Marco Aurelio, Constantino, duobus Theo-

dosijs, Honorio, Aëtio & alijs de infidelibus reportarunt; in primis vero de Saracenis sub Pelagio primo Castiliæ rege, qui cum mille suorum 20000 hostium delevit. Carolus Martellus unico prælio 375000 hostium devicit. Vt eas omittam, quibus sub Alfonso Casto Ranimirus; ut & Ferdinandus, & Walterus Teutonicorum Equitum magister, potiti sunt. Quorum hic 100000 Tartarorum una vice delevit, unico solo ex suis militibus desideraro. Corvinus, post quam maximarum pugnarum victor evasisset, octava vice cum 80000 Turcarum manus conserere non dubitavit, licet ejus exercitus ultra 15000 militum non constaret. De qua re diligentissime scripsit Thomas Bozius in libro suo contra Machiavellum edito.

Constat porro omnibus, qui aliquando contra Turcas bellum gesserunt, eorum militandi ratio. Castra latissime metantur. In expeditione nullo ordine & confuse incedunt, ut à tergo facile infestari possint. Quod animadvertens Georgius ille Castriotus (celeberrimus omnium qui unquam cum Turcis bella gesserunt, à quibus *Iskanderbegh*, id est, dominus Alexander vocatus, eo nomine ipsi in circumcisione ab Amurathe, apud quem obsidem agebat, indito: tunc enim Turcæ nomina mutare in usu habent, quemadmodum Christiani solent in baptismate) multarum horribilium & maximarum pugnarum victor, de hostibus suis triumphos egit. Insuper Turcæ spem victoriæ in numero & multitudine pugnantium potius, & in fato strepituque instrumentorum bellicorum, atque horribili sonitu barbararum vocum & clamore collocant, quam ut ordini decenti & veræ militiæ studeant.

E contra res plurimas habent & observant quæ illis in maximum emolumentum cedunt. Qualis est autoritas summa & absoluta ejus, qui supremum caput est exercitus & dux generalis. Obedientia militum: quæ tamen hodie aliquantulum imminuta

minuta est. Auxilia promptissima, ubi necessitas ea requirit. Neque enim opus habent, ut hinc inde mendicando quasi colligant exercitum more nostrorum Principum. Qui sæpissime aliorum viribus plus quam proprijs confidunt, & ut exercitum justum conscribant omnes exhaurire thesauros suos coguntur; præcipuumq; temporis spacium & rebus agendis utilissimum inutiliter plerumque & nihil agendo transigunt. Turcæ contrà thesauros suos ad res maxime serias, & donec necessitas requirat asseruant; vel militibus inde dona liberaliter conferunt, quibus acutissimi calcaris instar ad pugnas & pericula subeunda promptissimi paratissimique redduntur. Bello finem nunquam aut raro imponunt, nisi hostem aliqua ratione debellarint. Vires suas in res parvi momenti nunquam collocant. Quæ in bello sibi expediunda sumunt, justo ordine & maximis apparatibus antea factis suscipiunt: prælio rarò de summa rei decertant, nisi commodissima illis affulgeat occasio.

Putant nonnulli, Turcis tormentorum & machinarum magistros, & quos ingegnieros Itali vocant, præstantes deesse: adparet tamen nihil esse tam validum nihilque tam probe munitum, quod ipsorum viribus non cedat. Propugnacula, quæ inexpugnabilia habita sunt, ipsi citra molestiam occupant: honoribus & vi pecuniæ promissâ atque stipulatâ duces & præsidiarios, qui ea tuentur, corrumpunt. Nunc æneis machinis horrenda in muros fulmina noctes atque dies jaculando, locum expugnationi aperiunt: fossas materia replent, cuniculis subterraneis in urbes obsessas penetrare tentant: obsessis à laboribus requiem nunquam concedunt: à proposito suo nunquam recedunt.

Munitiones bellicæ ipsis undique suppetunt. Pilas ubi opus sibi fore putant, maximâ copiâ conficiunt. Machinarum

bellicarum ingens numerus Constantinopoli, Peræ, Alba Regali, Budæ asservatur. Majori ex parte Christianis ereptæ, partim ab ipsis Turcis fusæ sunt. Sed ipsorum Christianorum culpa, quibus sat non fuit hostes tam immanes & feritate barbaros sub Amurathe ex Asia in Europam transportasse, nisi etiam præceptores ipsis in arte bellica extitissent. Sed utinam ne iisdem (iram Dei veriti, & suam propriam, quæ imminet, ruinam considerantes) arma quoque clam suppeditarent! Pulvis tormentarius Cairi, & prope Constantinopolim in loco qui Aquebianche dicitur, atque alibi conficitur.

Viribus suis Turcæ stratagemata admiscent & fraudes, legi Mahumetanæ insistentes. Nec desunt fraudum & insidiarum magistri. Nam plerique omnes, qui semel militiæ nomen dederunt, eò studiosè laborant, ut omnia quæ ad bellum scire & cum utilitate gerendum spectant, recte addiscant. Tum etiam quod Turcæ præ omnibus alijs fraudum optimi sint architecti.

His de rebus commode alia in medium adduci à nobis possent; verumtamen, qui plura cognoscere cupit, eos consulat, qui præmeditato studio de rebus Turcicis scripserunt; in primis vero Renatum de Lusinge, Dominum de Alimes, qui de origine conservatione & diminutione Imperij Turcici doctissime scripsit.

HACTENVS de potentia & viribus Imperij Ottomannici terrestribus: sequuntur maritimæ.

---

*XLIII. De Turcarum navalibus, quæ in Asia Europa & Africa habent.*

*De Raislaris seu nauarchis.*

*Quomodo Turcæ ligna ad ædificandas naves habere possint.*

Tur-

TVrcarum Imperator plurima habet navalia, quæ *Terſani* vocant. Præcipuum eſt Sinopoli non procul Trapezunte ſitum. Conſtantinopoli 137 concameratione ſunt navium uſibus deſtinatæ. In Nicomedia & Anchiali Thraciæ urbe ad Euxinum Pontum ſita, materia claſſis parandæ maxima abundantia aſſervatur.

Triremes & alia navium genera extruunt, ubi ligna & arbores abundant: ejusq; rei curam ut maxime nauarchis committunt, qui *Raùlari* vel Raiſi illis vocantur.

Malorum & ligni maximam copiam habent in ſinu Nicomediæ.

In Aſia, è regione Conſtantinopolis, è Ducaginorum montanis per Drinum fluvium in Albaniæ urbem Liſſum, quæ hodie Alexium dicitur, arbores transferri poſſunt. Pars quoque Velonæ conſervatur, & Polonæ ejusdem provinciæ urbibus; quarum hæc propter Auguſtum Cæſarem, qui ibidem literis operam dedit, Cajo Cæſare à conjuratis occiſo, celebris habetur.

In Africa navale habet Poſidij, maris rubri urbe. Vbi triremes quædam in ſtationibus habentur, quæ quondam contra Luſitanos cum expeditionem contra Diu & Ormuz Indiæ urbes ſuſcepiſſent, extructæ ſunt: ſed parum hoc navale conducit, quod regio ipſa lignis careat. Vt vero eò ex Bithynia & Caramania ſecundo Nili flumine Cairum uſque atque inde Poſſidium (quæ hodie Suez dicitur) camelis tranſportetur, multis difficultatibus & ſumptibus conſtat.

---

*XLIV. Turcarum triremes cur parum valeant.*
*Vnde picem nanciſci poſſint.*
*Vnde ſevum vela clavos habeant.*
*De myeparonibus Sultanarum.*

Tur-

TVrcarum in fabricandis navibus ea est negligentia, ut sñ cædenda materia neque anni tempus neque lunæ cursum observent, sed celeriter omnia & negligenter conficiant. Asserum (quibus teguntur) structuras tam male inter se compingunt, ut vectores â pluvijs & imbribus tuti non sint. Vnde ipsæ triremes diu sartæ tectæ manere non possunt.

Picem duram & mollem habent Velonæ, & Rhizinij urbe ad sinum Rhizonium (vulgo Golfo di Catharo dicitur) sita. Durior è terra effoditur, mollior ex arboribus colligitur.

Abundant sevo propter boum & vervecum maximam copiam, quæ ijs in locis reperitur.

Cannabis quod satis sit, non habent; unde velorum quoque copia destituuntur. Eum defectũ augent Sultanarum myoparones triginta, & aliæ octodecim naves quas *maone* vocant. Solent eas Alexandriã varijs mercibus onustas mittere, quibus instruendis permissu Imperatoris, quantum libet velorũ funium & aliarum rerum necessariarum ex navalibus depromunt. Tum etiam quod ij, qui harum rerum curam gerunt, parum diligenter eas asservant, & furtim alijs divendunt, ut aliquid lucri inde percipiant.

Clavos ferreos rarò nanciscì possunt, in quorum vicem ligneis quibusdam peracutis utuntur.

---

*XLV. De nautis Turcicis & remigibus.*

*Avaritiæ tributi genus, pro nautarum & remigum solutione impositum.*

NAutarum quantum expedit conquirere possunt. Ad eam artem Asappos præcipue assuefaciunt. Vbi vero numerum eorum supplere non possunt, Cretensium opera utuntur (quorum plurimi semper versantur Constantinopoli) atque aliorum Græcorum qui hujus rei periti sunt. Nolentes etiam & repugnantes ad remos compellunt. Exercent quoque in

ea re certum puerorum & servorum numerum, qui semper in navibus tam præsidiarijs, quam alijs asseruantur.

Sed quod maximi ponderis est, remigibus peritis destituuntur. Navis enim sine nauclero nullum esse usum constat. Neque ad ea munia Christiana mancipia idonea sunt, neque quæ ex Africa illis mittuntur. Tartaros vero Persas & Georgianos in mancipiorum numerum non recipiunt, ne imperium militare, quod totum penes mancipia est, ipsis committere cogantur, cujus rei superius etiam mentionem feci, & libro tertio de ea nobis dicendum erit. Imperant sæpius, ut remigum onera & labores subeant Asappi atque alij vilissimæ conditionis homines. Quibus ut stipendia solvantur, tributum Christianis Europæis, quod Avaria dicitur, impositum fuit, quod 300000 Cecchinorum summam faciebat: qui hodie in alios usus impenduntur. Vbi summa rerum sic exigit necessitas, Armenios Judæos & Christianos vi remis affigere solent. Quam consvetudinem Cicala ultimo imperij sui maritimi anno secutus est.

Ad insularum Africæ, quæ Barbaria dicitur, custodiam, triremibus militant Spahi nonnulli, qui aliud stipendium non habent, quam Timarorum reditus; propterea prædas undiquaque & continuo agere solent. Vbi præter ordinarias triremes, aliæ quoque, puta ad 30 vel circiter, instruuntur & armantur. Ianizarorum præsidium illis imponi solet.

---

*XLVI. Commeatus navium.*

PANEM bis coctum maxima abundantia conficiunt Epidamni, Naupacti, in Eubœa, & ad sinum Thessalonicensem in loco qui Volo dicitur: eo per Axium fluvium, qui hodie Vardare dicitur, omne frumentum, quod in Macedonia & Servia crescit, ratibus defertur.

ATQVE hæc de robore, & viribus regni Ottomannici

terrestribus æque atque maritimis dicta sufficiant. Sed cum ex mente præstantissimorum belli ducum, aurum & pecunia nervus sit validissimus belli, qui & spiritum & animum reficit, & motum dat exercitui subijciam quædam de *divitijs Turcicis*, in quibus major pars virium hujus Imperij & aliorum Principatuum consistit.

---

*XLVII. De Hasnad seu ærario Turcici Imperatoris.*
*Diversi modi, quibus ærarium suum locupletare solent.*
*De avaritia Amurathis* III.
*Quare Cairum Ægypti urbs vocetur Misizir.*

SI initiò consideremus, quantum usus Timarorum Regno Turcico prosit, quidve utilitatis conferat, intelligemus, non facile reperiri Principem vel Monarcham, cui Turcicus Imperator divitijs & potentia æquet. Siquidem ex solis Timaris ad 300000 hominum obstrictos sibi atque obligatos habet; ut, quoties ipsi libuerit, & quo terrarum loco eos ire jusserit, in bellum, nullo Imperatoris sumptu, sed proprijs impensis, proficiscantur. Quod si tantam militum copiam alere, ipsisque justa stipendia solvere vellet, quot quantisve auri cumulis atque acervis opus haberet, facile quivis judicare potest.

Habet insuper Turca duo Gasnad (alij cum aspiratione Hasnad pronunciant) seu thesauros, quorum alterum ærarium exterius seu peregrinum, alterum domesticum seu interius vocant. *Illud* decem auri milliones annuos habet in reditu; qui in sumptus regni, & in stipendia eorum qui munera gerunt publica, atque alios usus, ad conservationem Imperij necessario impenduntur. *Hoc* immensos continet thesauros. Quia omnia dona & munera quæ Imperatori ab alijs Principibus, Christianis potissimum, dantur, tum & à suis subditis & servis, atque adeo à cunctis quibus aliqua coram ipso negocia

sunt expedienda, huc in locum conferri solent. Nemini enim vacuis, quod dicitur, manibus in ipsius conspectum venire conceditur. Magnificentiæ id tribuunt; quod immensam secum trahit utilitatem. Quod si quis penitus in omnes Turcarum actus oculos figere velit, cognoscet, eò ipsos unice intentos esse, quo aliunde cumulate rapiant, ut Imperatori quæ rapta sunt donent. Sic per eorum manus, tanquam per aquæ ductum quendam, omnes isti thesauri hujus Imperij diffluunt, seque in oceanum avaritiæ Imperatoris exonerant. In hoc quoque ærarium reditus Cairi, qui millionem auri excedunt, deponuntur. (Hanc urbem Turcæ & Arabes Miszir vocant, corrupta voce Hebraica Mizraim, quam quòndam Memphin adpellare solebant.) Eodem congeritur precium vel æstimatio hæreditatum ab opulentioribus relictarum. Quas pro suo arbitrio tractat, cum omnes mancipiorum omnium facultates in ipsius manu & potestate sint; non etiam eorum, qui Turcæ naturales sunt. Huc referuntur confiscationes, pœnæ pecuniariæ, quæ multæ & magnæ sunt: tributorum, vectigalium, atque salinarum reditus: decimæ omnium spoliorum & prædarum quæ terra mariq; acquiruntur, pecudum, & frugum proventus, metalli fodinarum. Quæ multæ sunt & diversissimæ in Servia, unde argenti provincia dicitur; in Bosnia prope Iaizam, in Macedonia & alijs in locis. Hi reditus omnes inæstimabilem auri vim faciunt: prout Imperatorem sua trahit avaritia, vel ministri diligentes se & avidos in extorsionibus & exactionibus præbent. Est & aliud tributi genus, quod soli Christiani solvere coguntur, videlicet pro singulis capitibus, ubi decimumquartum ætatis annum attigerunt, Sultaninum unũ; instans tamen bellum Vngaricum fecit, ut tributum illud auctum sit. Turcæ ex lege Mahumetana ab ejusmodi tributis eximuntur, sed in eorum vicẽ quilibet vigintiquinque aspros solvit, quod donum vocant.

Reperit Mahumetes in suis ærarijs vim auri immensam à patre Amurathe congestam. Qui omnium avidissimus habendi & fere sordidus in corradenda pecunia, contra in expensis & largitionibus atque muneribus parcissimus semper fuerat. Vnde etiam flores horti sui divendi, & pecuniam inde colligi volebat: debitoribus nunquam satisfaciebat: militibus dona & congiaria fere nulla, aut perexigua conferebat: quod institutum plane contra morem & consvetudinem hujus imperij eveniebat. Vt breviter dicam, in omnibus impensis quotidianis æque atque extraordinarijs restrictissimus & ad exactam rationem diligens erat; exceptis ijs, quas in suas pellices faciebat, quas nunquam è suo complexu, nisi insigni aliquo munere donatas, vel pretiosa gemma ornatas, discedere volebat.

His omnibus adjungi quoque possunt (horret animus dicere, & oculi vix lachrymas comprimunt) tributa, vel ut honestiori vocant titulo, recognitiones, quas Principes Christiani Turcico Imperatori pendunt. Quarum recordatio sola & memoria animos ipsorum justa ira & indignatione contra iniquum hunc & barbarum Tyrannum accendere & instigare deberet; quò tandem aliquando jugo hoc excusso conjunctis viribus & opibus ad gloriam Christi, ad suam ipsorum salutem, vigilarent, & sumptus hosce in ipsius Tyranni perniciem atque ruinam impenderent atque collocarent.

---

*XLIIX. Tributa & recognitiones, quæ varij Christianorum Principes Turcis & Tartaris solvunt.*

*Quantum valeat certa asprorum quantitas.*

*Quæ munera Imperatori & ejus ministris donentur.*

*Quare eis munera publice in conspectu offerri soleant.*

IN Vngaria Cæsar, ut pace fruerctur, Turcæ ejus regni nomine,

minc, si recte memini, solvebat 45000 thalerorum. Waivoda Moldaviæ solvit 31 sommas asprorum. Somma autem unica 100000 asprorum constabat; qui 2000 coronatos faciebant, eo tempore, quo tributum illud imperatum fuit. Coronatus enim tunc 50 aspros valebat; nunc plus 100 valet. Idem Tartaris solvit viginti carros, quorum quisque quatuor bobus trahitur, melle onustos, & quinquaginta equos: sed forsitan ex novis conventionibus & pactis hodie plus vel minus solvit, quod me latet. Waiwoda Walachiæ, priusquam Transylvano se conjunxit, quinquaginta sommas asprorum pendebat. Et hoc ex ipsis Moldaviæ & Walachiæ commentarijs excerpsi, quæ diversa esse ab aliorum qui ea de re scripserunt opinionibus scio. Transylvanus ante bellum quod nunc geritur 15000 cecchinos solvebat. Respublica Ragusea (quæ Epidaurus quondam dicta) 12500 cecchinos solvit. Respublica Venета propter insulam Zantem (olim Zacynthum) 1000 cecchinos. Moscovita Tartaris qui in Taurica Chersoneso habitant munera quædam conferre solet, ut ipsorum excursiones impediat: quas vel proprio motu vel instigati à Turca in ejus regiones facere solebant. Polonus misit Turcæ Anno 1591 pelles Scythicas (Zibellinæ vulgo dicuntur) quæ 25000 coronatis æstimatæ fuisse dicebantur. Sed non est census annuus, ut quidam referunt. Tartaris annuatim certam pecuniæ summã solvit Polonus, qua machæras & vestimenta comparent, idque ex veteribus quibusdam pactis, ut habent Polonorum annales. Hæc autem munera Tartaris, priusquam cum Turcis societatem irent, solvi à Principibus quos nominavi consverant. Eaque etiam hodie pendunt, quo ipsimet Turcæ gratum faciant.

Sunt porro etiam alia tributa & dona, quæ Principes Afri & Arabes atque Georgiani alijque Turcico Imperatori tri-

buunt: sed ea exigui sunt momenti, & ad nostrum propositum nihil faciunt, ideoque silentio præterire volui.

Tandem & alia quamplurima dona sunt, quæ extra ordinem Principes, quorum superius memini, in ministros hujus Barbari Tyranni faciunt, ut eos sibi concilient: qui occasione & necessitate id requirente etiam ipsi Imperatori suo profuse & liberaliter donare coguntur, ut vel in ejus se gratiam insinuent, vel conceptum erga se odium & iram leniant.

Præterea omnes ij, qui aliquod ambiunt officium & munus, vel qui è provinciarum administratione vel expeditione domum redeunt, res preciosissimas Imperatori offerre, quasi ex debito quodam tenentur.

Hunc in finem omnia quæ donantur munera, publice & in conspectu omnium offerri vult: ut hoc barbaro fastu subditorum suorum & peregrinorum animos ad largiter donandum accendat.

PARTIS PRIMÆ FINIS.

PARS

# PARS SECUNDA.

*In qua consilia & deliberationes Principum Ottomannicorum erga Christianos Principes declarantur, & causa origo ac progressus belli quod nunc geritur in Hungaria. Ejus initium ab Amurathe patre Mahumetis repetitur, ut eo melius omnia intelligi possint.*

COgnita nunc & perspecta Mahumetis III Turcarum Imperatoris natura, & qui ipsius mores: tum quæ membra, quod robur, quæ vires immanis hujus corporis sunt: expedit ad plenam harum rerum omnium cognitionem, ut cogitationes ejus & machinationes, quas animo voluit, contra Principes Christianos in primis, investigemus. Vt inde belli, quod nunc Hungariam tam misere affligit, causæ certissimæ adpareant, & quod fuerit ipsius initium, quosque hactenus progressus habuerit, manifestum fiat.

Sed cum regnante adhuc Amurathe (qui Mahumetis III pater fuit) belli hujus fomes erumpere cœperit, necessarium fore puto, ut de eo quædam hic inseramus, & originem belli ab ejus inde imperio deducamus. Hinc quid illi ut plurimum cum alijs Principibus orbis terrarum negocij, quoque animo erga eos affectus sit, aperietur.

XLIX. *Natura & mores Amurathis* III.

*Quomodo Turcæ & Arabes nominent librum, qui continet ipsarum leges.*

*Cur Amurathes fuerit dictus Bongi.*

*Cur sæpius usus sit opio.*

*Veræ causæ belli Persici, & cur tandem compositum & pax facta fuerit.*

Quid

*Quid significet vox Mirisa.*
*Cur Ismael, Persarum rex Sophi dictus sit.*
*Cur Persæ appellentur Khiselbassi.*
*Cur Tartarij Zagataij vocentur Ieschilbassi.*
*Quid sit Turban, & cur sacris literis pomum appelletur, & quæ sit ipsius significatio.*
*Expositio Oraculi Turcici.*
*De Zercola.*

AMurathes Turcarum Imperator Mahumetis pater, moderate satis & modeste, quatenus Turca & infidelis fuit, regnavit. Librum quem Muschaphum nominant, in magno precio habuit. Nam is leges Mahumetis continet, & Arabibus Alkoran dicitur, quasi per excellentiam quis dicat ὁ γραφὴ, quemadmodum & Hebræi literas sacras Kara nominant. Historias majorum suorum libenter legit, Selimum I imitatus, qui lectione historiarum Alexandri Magni & Julij Cæsaris mire delectatus est. Philosophiæ quoque studuit, unde per ludibrium Bongi fuit adpellatus, quo nomine quondam Bajazetes II fuit insignitus. A vini potu abstinuit, secus quam Selimus ejus pater fecerat. Voluptates si spectes, in primis verò abominandam illam luxuriam, quæ Turcis aliàs familiaris esse solet, continentem se præbuit, maxime vero annis aliquot qui proxime ipsius mortem antecesserunt. Iuris & æqui (quoad in hominem barbarum eumque sordide avarum cadere potuit) fuit observantissimus. In eo valde solicitum se gessit, ut omnia Principum aliorum secreta pernosceret. Ante omnia vero statum Imperij sui sibi quam perspectissimum esse volebat; & in hunc finem proprios commentarios omnium negociorum quæ occurrebant, omnium reddituum qui quovismodo ad ipsum perveniebant, & sumptuum qui diebus singulis expendebantur, penes se in mensa quadam repositos habebat,

qui

qui post ejus mortem in filii manus pervenerunt, qui eos diligenter asseruat: sicuti Tiberium Augusti similes commentarios diligenter legisse historici tradunt.

His negociis aliquantulum gravioribus districtus & detentus, vel naturæ inclinatione ductus, plerumque valde fuit melancholicus taciturnus & in omnibus rebus suspicacissimus. Vt igitur per vices animum ad hilaritatem traduceret, opio uti solebat: de quo Turcarum est illa opinio, quod colorem faciei egiegiam inducat, hominis animum recreet, quique semel eo usus fuerit, nunquam eo non delectetur. Alebat quoque in aula sua certum pygmæorum & mutorum numerum, quos sæpius inter se committebat, quo se tam ludicro & inani spectaculo oblectaret. Bella plus religionis causa, & ut subditos continuo in arte & disciplina militari exerceret, gessit, quàm quod ingenio bellorum avido & pugnaci esset. Cum Mahumethe Quudabenda Persarum rege (qui Tamas patrem & Ismaelem avum habuit) & cum Abbas, qui nunc eo imperio potitur (quem male quidam *Mirisa* vocant, quod primogenitum regis, & proximum regni successorem denotat) strenuissime per quindecim vel sedecim annos bella gessit. Nec unquam pacem se initurum cum Persa jactavit, priusquam Casbin, quæ est sedes regia, occupasset. Idque duabus de causis: ut nimirum cineres Bajazetis filii Solymanni recuperaret, qui parentis iram fugiens ad Tamas regem se receperat, à quo in gratiam Solymanni, quem sibi Tamas reconciliare cupiebat, interfectus fuit: deinde ut everteret sepulchrum Arduelis, patris Ismaelis illius, qui sectæ Persianæ primus author extitit.

Hic *Sophi* cognominatus est, vel à σοφός, quod originem è gente magorum & sapientum Persarum duceret, vel quod sapientiæ laudem apud Persas acquisivisset, vel à dictione Arabica Sophi, quæ lanam significat. Persæ enim pilei illud

genus quod Tulpantem vocant, non ex tela subtilissima, ut solent Turcæ, sed ex lana rubro colore tincta gestant, quo majori zelo se erga religionem affectos esse simulent. Vnde *Kisselbassi* seu rubra capita per jocum à Turcis vocantur: ad differentiam Tartarorum, qui Zegatai hodie quondam Bactriani dicebantur, hi enim à Mahumethis prophetæ posteris se ortos gloriantur, viridi colore utentes *Ieschilbassi* dicti sunt. *Tulpante* vel Tocca, tiara illa Turcica est, quæ sphæræ instar variis circulis & voluminibus fasciarum linearum, quas hodierni Græci φακιόλιον vocant, constat, quo pilei vice utuntur. Rectius tamen Turbante à figura turbinata, quæ Græcis κῶνος dicitur, nominaretur. Ea nunc magis rotunda quàm quondam utuntur. Quid si forte quis conjiciat, propter eam formæ speciem tiaram illam in sacris literis sub pomi nomine intelligi? Vbi David Hierosolymæ ruinam deplorans, dicit: templum Domini in pomorum custodiam positum esse: quod non absre de Turcis interpretari posse videtur. In Oraculo Turcico, quod notum est omnibus, & à variis varie interpretatum fuit, inter alia hæc continentur: fore ut Imperator Turcicus pomum rubrum prius sibi subjiciat, quam à Christianis imperium ejus evertatur. Quo pomo non Constantinopolim, sed regnum Persicum intelligi, nonnulli volunt. Alii tiaram hanc Turcicam in fortitudinis symbolum accipiunt. Quo admoneri volunt, eos qui eo cooperiuntur, ut in bellum proficiscentes de reditu non cogitent, sed gloriose mortem oppetere non dubitent, cum sindonem secum circumferant, qua defunctorum corpora involvuntur & sepeliuntur. Ianizari Tulpante non utuntur: sed peculiare pilei genus, quod Zercola vocant ex penula alba factum, cujus forma passim depicta cernitur, alii rubram penulam, gerunt.

Sed ut ad rem redeamus; Amurathes tandem non minus quam ejus subditi diuturni istius belli laboribus & curis defati-

fatigatus. re cum Persis composita, pacem iniit. Tum quod regionem amplissimam maxima sua cum laude & gloria acquisivisset, qua merito contentus esse debebat: tum vero ut ea ratione regionem bello partam componeret, tutamque pace redderet, eamque in Timarorum formam redigeret, quibus inter subditos nuper sibi subjectos divisis eorum benevolentiam sibi conciliaret, propugnacula passim ad limites imperii construeret quæ sibi invicem periculo imminente subsidio & auxilio esse possint.

*L. Visiriorum consilia, quibus Amurathi persuadere conati sunt, ut novum bellum suscipiat.*

*Quinam sint Visirii, & quid sit Porta.*

INterim dum Amurathes pace fruebatur, domi desidebat ociosus & melancholicus. Consiliarii ejus intimi multis rationibus ad novum bellum suscipiendum ipsum pertrahere conabantur. Hos *Visirios* nominant, qui de rebus bellicis & aliis ad regni statum pertinentibus deliberant. Concilium vero, quod ex his constat, *Divanam* nominant, ut superius quoque dictum; idque aliud est quam *Capi* seu Porta, quo aula ipsa significatur. Eaque in re, ut in plurimis aliis, Turcæ priscos imitati sunt Persas; qui ut habet Xenophon, eodem fere nomine Aulam Regiam appellabant.

Consulebant igitur Visirii, ut bellum renovaret: quod magna imperia sine armorum usu diu consistere non valeant: quia respublica Romana quoque cum Carthaginiensibus, & ipsi Romani Imperatores in Germania bella gesserunt, imperium firmum & stabile conservarint: quod, qui ante ipsum regnarunt Ottomannici Imperatores horum exempla secuti nunquam belli finem pacem (ut Principes Christiani, & qui suis viribus diffidunt, facere solent) sibi propositam habuerint, sed omni tempore bella foverint, quibus non modo Imperium ad eam in qua nunc est magnitudinem eve-

xerint, verum etiam subditos bellis occupatos & distentos, à rerum novarum studio & seditionibus, quæ ocium parere solent, distraxerint. Quod subditi tempore pacis alii de bellica fortitudine multum remittant, alii nimis avide mercaturæ se dedant, alii deprædationibus inhient. Hinc verò usum militiæ nauticæ iam dudum intermissum omnino disperire: terrestrem vero militiam si diutius differatur bellum vilescere & pristino robore spoliari, neminem esse qui non videat. Hinc ducum atque militum, qui fortiter & audacter se belli periculis objiciant, inopiam necessario induci: cum solus belli usus atque exercitatio milites aptos & idoneos ad militiam reddat. Constat porro, iisdem quibus res acquiruntur mediis ut plurimum easdem conservari; quod verum esse plurima exempla & argumenta docent.

*LI. Gallorum regis & Angliæ Reginæ legati Amurathem ad bellum exhortantur.*

*Amurathes tam subito, quid in hoc negocio sibi faciendum sit, statuere non potest.*

BAssæ, qui eas quas dixi belli movendi rationes Amurathi allegarant, maxime suum commodum & utilitatem spectabant. Inprimis vero Sinan ille & Feratus, inter quos perpetua æmulatione, uter alteri honore præcederet, concertatum est. Hi non ignorabant, tanta autoritate se pacis tempore frui non posse, quanta in bello pollerent: nec ad eas se redire divitias, quas præ nimia avaritia immensa libidine fuderant. Bellum igitur mordicus suadebant. Nec minus in id incumbebant Galliæ Angliæ & Principis in Ceilan legati, ut infra quoque dicetur.

Sed in re tam ardua & tam gravi, quid faciendum esset, Amurathes sese initiò expedire non potuit. Non equidem quod animum non haberet armatum & ad bellum propendentem; sed quod nondum ipsi certo constare videretur, in

quem

quem potius, & cum maiori suo commodo & absque maximis incommoditatibus & periculis, arma transferret; quod in hac re consiliarii ipsius minime consentirent, à quibus diversæ sententiæ dictæ & in medium allatæ fuerant.

Quæ sententiæ cum res gravissimas quæ in toto orbe tunc agitabantur contineant; inprimis vero utilitatem orbis Christiani spectent, non pigebit illas eo ordine referre, quo ex aliorum fideli relatione ad nos delatæ fuerunt. Continent insuper secreta quam plurima & res gravissimas, quæ non in quorumvis notitiam hactenus pervenerunt. Principibus vero Christianis, quæ in eos Turcici tyranni sint machinationes, aperiet: ut quibus modis ipsi resistere possint, non modò consilium ineant, verum etiam, ut omnes privatas inimicitias reipublicæ condonent, & conjunctis viribus & opibus viriliter & generose ipsi bellum inferant, & Deo clementer annuente, tandem ipsum vincant, eiusque tyrannidem evertant.

Octo autem fuerunt consiliariorum Turcicorum de bello movendo opiniones.

1. Vt bellum contra Persas renovetur.
2. Vt arma inferantur Marochiensi & Fezensi regi.
3. Vt contra regem Hispaniarum bellum suscipiatur.
4. Vt Malta insula obsideatur.
5. Vt armis petatur Veneta Respublica.
6. Vt parti alicui Italiæ bellum moveatur;
7. Vel regi Poloniæ;
8. Vel ipsi tandem Imperatori & Vngariæ regno.

---

*LII. Consilium de renovando bello Persico.*
*Turcæ Persiam sub Azemiæ nomine intelligunt.*
*De Vsbeghan & de Tartaris Kerziebassis.*
*De Principe in Geilan.*
*De Curginis.*

RATIONES, quibus opiniones suas comprobare volebant Principi suo consiliarii, hæ fere erant.

Vt bellum contra Persiam, quod Turcæ sub Azemiæ nomine intelligunt, redintegretur, hæ causæ in medium adferebantur. Quòd omni tempore, quo Turcas alio bello implicatos nosceret Persarum rex, pacem rupturus sit, tum ut regionem suo cum dedecore maximo amissam recuperet; tum ut tot tantasque sibi iam dudum à Turcicis Imperatoribus illatas iniurias vindicet. Fore insuper, ut Christiani Principes eius rei suasores & impulsores ipsi existant: Hispanus in primis, qui propter Indiæ vicinitatem, illud absque rerum suarum dispendio procurare, & machinarum atque tormentorum magistros ipsi commode suppeditare possit, quod non ita pridem factum esse constabat. Regionem nuper acquisitam in statum quietum & tranquillum nondum esse redactam: propugnacula recens extructa & eorum incolas in periculo versari: nec ipsis propter itineris difficultatem & diuturnitatem prompte subsidio veniri posse. Quod si Persæ nullum aliud inferunt damnum, quam ut prædas è provincia illa agant, eamque depopulentur, dictos incolas in eas redactos iri angustias, ut regio acquisita rursus deserenda, vel fame ipsis pereundum sit. Non tantum vincere, sed victoria uti atque eam persequi, veram tandem esse gloriam. Caveret sibi Amurathes, ne iram & indignationem Mahumetis in se concitet. Nam cum ipsius favore & auspiciis tot victorias, quot quisquam alius ex suis maioribus de hostibus suæ religionis reportarit; decere Principem pium & religiosum, ut injurias Deo & hominibus illatas severe vindicet.

His addebatur, quod Vsbegh Han promptum subsidium & auxilium ad illud bellum offerret. Hic Princeps Tartarorum est, qui proxime Persiam attingunt. Eorum regio Bahera à Turcis dicitur, quondam Battra vel Bactra vocata; ipsi

Ketziebassi, quod penula caput tegant, nominantur. Nec ita dudum Vsbegh Han, de quo modo dixi, mortuus est, filio duodecim annorum relicto.

Idem quod Tartarus, offerebat etiam Princeps qui in Geilan dominatur; quæ provincia à mari Caspio magis versus ortum tendit.

De victoria, quam iam in manibus se habere putabant, ex successibus priorum bellorum Turcæ judicium faciebant. Neque à Persarum equitibus, licet Arabibus utantur equis, sibi quicquam timendum rebantur, quod ex timiditate sæpius iam in fugam versi fuissent. Neque etiam verendum, ut in Persarum gratiam Georgiani (quos Gurgginos Turcæ vocant, quondam Iberi dicti sunt) arma sumant; quod nonnulli eorum Turcis pareant, & Bassæ in Tiflis & aliis, postquam Bassalucchi à Mustapha facti fuerunt, sint subiecti; alii vasalli sint Turcæ: reliqui suos habeant Principes Simonem & Alexandrum, quorum imperium haud gravate sequantur, nec ad altiorem fortunam aspirent, sed sua regione licet parva, contenti, eam tueantur atque defendant; quæ natura loci & situ munitissima est, ut vix aditus ad eam pateat, propter montes sylvas & viarum angustias quibus passim cingitur.

---

*LIII. Consilium de bello inferendo Seripho.*
*De portubus Aguero & Larace.*
*De rebellione cuiusdam Marabut.*
*De quibusdam locis, quos Hispani in Africa tenent.*

SECVNDA, quæ dicta fuit, sententia, erat, ut bellum in Africam contra Seriphum transferatur, propter has fere causas.

Ottomannico Imperio magno probro & dedecori futurum, quod Maurosistos & Afros, qui numero pauciſſimi sunt, hactenus subjugare non valuerit. Nec minus turpe & inhonestum, quod in Africa, quæ tertia pars orbis terrarum est, & propter vicinitatem Italiæ tam diu Romanos bello exagita-

exagitavit, exiguam adeo terræ particulam possideant. Algerium & Tunetum nunquam tutò posse dici; neque subditos & piratas, qui eas urbes incolunt, contentos fore & quieturos, donec regnum illud integre libereque possideant. Occupandum esse promontorium Aguero & portum Lixæ seu Larissæ (quæ loca extra fretum Herculeum sita sunt) quod Anglis & aliis Turcarum amicis, qui in eo mari prædatoriam exercent, multum commoditatis allatura sint, & eorum navigationem tutam redditura. Quamvis Seriphus Mahumetanæ religioni sit addictus, & regnum suum in feudum ab Ottomannico imperio teneat, clàm tamen cum Hispano & Equitibus Melitensibus conspirasse dicitur; unde hi non ita pridem Tripolim ipso connivente ex improviso fere occupassent. Quod rebellionem, quam movit Morabut & eius successor, clàm promoverit: atque etsi hominum multitudine valeat, re tamen pecuniaria destituatur. Quamvis etiam Hispani in Africa possideant Marasschebir, Oran, Pegnon, Tangir, Arzillam, Mazagan, Ceutan, & Septam, atque adeo Mauros juvare illisque assistere queant, illorum tamen impetus & conatus instructa classe facile cohiberi, & ipsam Hispaniam infestari posse. Tum etiam quod expugnationem Tuneti & Golettæ (quæ ab Hispanis inexpugnabiles judicatæ, à Sinano verò Bassa magna sua cum laude captæ sunt) tam recenti adhuc memoria Hispani teneant, ut non facile quid contra Turcas in gratiam Maurorum molituri videantur.

*LIV. Consilium de bello Melitensibus inferendo.*

TERTIA de bello movendo sententia contra Melitam seu Maltam Insulam dicta fuit, quam classe obsideri & debellari volebant.

Quod equitum sacrorum triremes indies maximis damnis tum mercatores, tum qui religionis causa Mecham contendunt, afficerent. Non igitur religionis solummodo causa bel-

sa bellum eo transferendum, quo viam, quæ eo ducit, ab equitum incursionibus tutam reddat: verùm etiam ut veteres iniurias, & damna iam dudum accepta ulciscatur; in primis vero ut dedecus atque infamiæ notam, quam Solymannus incurrerat, cum frustra Melitam obsedisset, deleat, damnumque resarciat. Præterea etiam communes subditorum querelas in medium afferebant. Esse videlicet quamplurimos, qui amicorum; plures, qui cognatorum, quos miseram servitutem apud equites servire sciebant, ærumnas & calamitates defleant, à quibus tandem eos liberari petebant. Querentes tantum abesse, ut sub eius maioribus talia Turcis perferenda fuerint, quin ipsos contra equites Rhodo insula & propugnaculo fortissimo, quod versus Orientem Christianum defendebat orbem, spoliarint. Pœna insuper equites multandos, quod Afros rebelles omni munitionum genere iuverint, & Methonem, hodie Modon dictam, ex improviso occupare tentarint.

---

*LV. Consilium de Hispano oppugnando.*
*De Algerio Vrbe.*
*Quomodo Hispanus à Mauris Gallis & Anglis simul bello peti possit.*
*Qua ratione in Mari rubro & sinu Persico ipsi resistendum.*

QVARTO loco eorum, qui Hispanum bello petendum esse rebantur, sententia nobis dicenda est.

Hi contendebant fieri non posse, ut Turcicum Imperium ad totius mundi monarchiam, tanquam ad scopum, ad quem omnes omnium Turcarum actiones & machinationes directæ semper fuerint, pertingat, nisi prius Hispani debilitentur vires & immensa potentia, qua omnes alios Christiani orbis Reges & Principes longe superare credatur. Nullum esse periculum, ut Hispanus Algerium obsideat;

quam nunc longe melius munitam norit, atque fuerat tempore Caroli V Imperatoris; quem Turcæ Crai voce Sclavonica nominare solent. Et quamvis Hispani sine intermissione Regé de ea expeditione sollicitent, quod nova indies damna & calamitates à piratis Afris accipiant: tamen quo minus illorũ petitioni annuat, obstare periculum, quod ab hostili classe, quam eo modo in mare Hispanicum attracturus esset, sibi suisque imminere sciat. Præsidiarias Hispanorum triremes, non facile regiones versus Orientem sitas, quas Turcæ incolunt, petituras esse: ne minus procul è patriæ conspectu, quæ ipsarum ope ut plurimum indiget, discedant. Hispaniæ regem vel multitudine negociorum, vel aliis de causis retardari, quo minus quæ in concilio militari decreta sunt, subito exequatur. Et quantum ex eo judicare possumus, quod non ita pridem ad Nicopolim, quæ Proneza hodie, & Navarinum, quæ quondam Pylus dicta est, contigit, Hispani sibi ab armis Ottomannicis sedulo cavere videntur. Ipsum Regem cautissime in suis versari negociis certissimum est, ne cum Turca bello concurrere tandem aliquando invitus cogatur: quod videre fuit, cum non ita pridem sub exitum belli Persici, auxilium Persarum regi denegarit, cui succurrere poterat & ante solitus fuerat. Quod si defensionem parare, & vim vi repellere omnino velit, vix tamen ipsi tantum virium superesse, ut præter ea, quæ nunc diversis in locis bella gerit, novum insuper suscipere, & quantum sat est militum & pecuniæ aliarumq; rerum ad bellum necessariarum, suppeditare possit. Instare ipsi Belgii defensionem, & amissarum provinciarum recuperationem, quæ propter fluxum maris & multitudinem fluviorum munitissimæ, & ab incolis mira animi præsentia & pertinacia, libertatis & religionis conservandæ caussa, defendantur. Hispanum capitali odio ab Angla dissidere, quæ bellum hoc multis modis iuvare possit, si in Lusitaniæ regnum

impe-

impetum faciat, vel navibus, quæ Indiæ thesauros advehunt, insidias struat: vel in alia eius regna incursiones tentet, quemadmodum non ita pridem Coronæ portum occuparit, qui locus commodissimus est ad infestandum Hispaniam, & impediendas navigationes Indicas, atque alias quæ in Oceano fieri solent. Bellum verò Gallicum tam implicatum & sollicitum tenere Hispanum, ut qua ratione citra honoris & bonorum iacturam se expediat, modum vix ullum reperire possit.

Quod si vero cum Principibus supra dictis pacem ineat, ut nullum inde inposterum periculum ipsi creari possit, alia tamen remedia quærenda & in manus sumenda esse: aromatum aliarumque mercium negociationem, ex qua maximos ille percipit fructus, impediendam. Eius quoque naves, si opus fuerit, Persico sinu exturbandas ope illarum triremium, quæ Posidii (hodie Suez dicitur) in statione teneantur. Propugnacula, quæ in illis locis possider, aggrediunda, & si fieri possit occupanda, quemadmodum contra Lusitanos in Diu & Ormuz tentatũ fuit. Quod Alfonsus Albuquerquensis Lusitaniæ prorex in India efficere studuit, cum celeribus equis regionẽ illam percurrens, Mecham spoliare ex improviso, & Mahumetis sepulchrum deprædare contendit. Idemq; sub Imperio Sultanorum quoque evenit: & Traianus Imperator iam olim eodem modo grassari conatus est. Ea quæ in Africá possidet loca, adoriunda esse, & littus Hispaniæ quod est ad mare mediterranenm infestandum. Vt subditis Afris qui indies illud so liciterogabant, aliquando gratificetur: quo secure negociari, & peregrinari possint: ipsique Mauri tandem aliquando ab Hispanorum dominio liberentur, quod Selimo proxime defuncto persuasum aliquando fuerat: verùm id multo commodius hoc tempore fieri posse, quod Maurorum gens nunc valde aucta sit, invitique Hispanis pareant, ex mercaturis

maximas divitias acquisierint, naturæ vero ductu & religione moti, odium acerrimum contra Hispanos conceperint. Huc non parum conducere Africæ portus, in quos navibus semper tutus patebit aditus.

Porro maximi ad hoc bellum momenti rem esse, quod Galliæ rex & Angliæ regina sponte continuationem belli contra Hispanos offerant. Gallus Navarram invadat, & ius, quod ad illud regnum prætendit, armis repetat. Angliæ regina non modò ipsum in Indiis occidentalibus, in Oceano versus Septentrionem & occasum aggrediatur, sed & novos tumultus & motus in Portugalliæ regno excitet. Ibi quam plurimi subditorum ægerrime Hispanorum imperium ferunt. Sibi enim ita persuadere, & vere quidem: cum postremo Portugalliæ rege, qui verus & legitimus ipsorum erat dominus, omnem prosperitatem & tranquillitatem se amisisse. Hic enim pacem cum Galliæ & Anglia regibus coluit, unde subditi maximas divitias negociando acquirere poterant: ubi vero in Hispanorum manus inciderunt, propter bella perpetua, nova indies sibi damna inferri & pericula creari conqueruntur.

Insuper magnam exulum Hispanorum copiam passim reperiri, qui male contenti & pertæsi dominationis Hispanicæ, non modo ex Portugallia sed ex ipsa etiam Aragonia & aliis regni partibus profugerunt, nunc vero in Gallia & Constantinopoli degant, qui auxilia & subsidia plurima occulte ac palam liberaliter offerant. Eadem Mauros quamplurimos polliceri. Hosce vero omnes perfacilem expeditionem, & certissimam victoriam promittere, si ex improviso quis Hispaniam invaderet; quod fere nullus ibi sit militiæ usus, cum incolæ raro domi sese in armis exerceant; neque in locis necessariis ordinaria præsidia sint disposita, & perpauci equi ad bellum idonei reperiantur.

Con-

Considerandum porro, Hispaniam viris, qui rem bellicam fortiter & strenue tractarint, valde exhaustam esse, propter crebros copiarum delectus, quæ in Indias Italiam atque Belgium fere quotidie transmittuntur. Inde haud leviter vires earum regionum attritas & extenuatas adeo esse, ut si valido & numeroso exercitu impetus in eas fieret, vix à suis defendi aut iuvari posse videantur, sed aliarum vicinarum ditionum huic regno subiectarum, præsidio & auxilio opus habituræ sint; quæ si vel impediantur, vel in tempore adesse cessarent, tantò faciliorem parti adversæ victoriam sui relinquerent.

---

*LVI. Consilium de bello Venetis inferendo, & oppugnanda insula Corzyra, Catharo, Cerigo, Novigrado, Zara, Butintro, & littore maris Adriatici devastando.*

*De Pola, Ragusa, & plurimis portubus Turcarum in eo mari sitis.*

*De Candia Insula.*

*De Sinano Bassa, & causis ipsius obitus.*

*De Ferat Chereilam, & cur odium Mahumetis incurrerit, cur Musul factus, id est, ab officio depositus fuerit.*

*De Bastia & Andronico.*

*De Emiris & cur Tulpantem viridem gerant.*

*Qua via vinum Maluaticum ex Creta in Germaniam, Poloniam, & Moscoviam transvehatur.*

VT pax Venetæ Reipublicæ quondam concessa, discutiatur, illi qui QVINTO loco sententiam suam dixerunt, Amurathi persuadere conati sunt; rationibus utentes verisimilibus potius quam veris, licet illæ Turcis minus dubiæ videri poterant, quod ea facile & libenter credere solemus quæ cupimus.

Dicebant hi, nullam expeditionem minus difficilem futuram

futuram hac ipsa: iudicio de rebus præsentibus è præteritorum bellorum eventibus sumpto, in quibus semper Turcæ Venetis aliquid eripuerunt, qui ut pacem obtinerent, multis nominibus Turcis satisfacere cogebantur. Rempublicam Venetam sibi à Turcis timere, & à bello alienam esse, inde patere; quod semper sibi finem actionum omnium pacem proposuerit, & nunquam ad arma maiorum insistens vestigiis nisi coacta pervenerit. Quid, si forte ad primum armorum strepitum locis aliquibus ultro cedat? ne maiori damno afficiatur vel penitus vincatur, quod in Cypri deditione factum esse constat. Quid, si eius tanta non sit potentia & belli robur, ut sola resistere possit? Quod si cum aliis sese iungat moram haud brevem interceſſuram propter difficultates, quæ in iciendis fœderibus occurrere solent. Quod Hispano non æque iam ut olim iuncta sit, cuius etiam auxilio nuperrime destituta, pacem cum Selimo inire coacta fuerit. Quod si omnino Venetis se iungere contra Turcas Hispano animus sit; fieri tamen nullo modo posse, ut quæ necessariò ad bella requiruntur, quibus ille nunc est irretitus, suppeditare possit. Ipso vero absente, omnem aliam confœderationem ad bellum maritimum gerendum fore inutilem & inanem. Quæ Pontifex huc conferre possit, esse perexigua. Licet enim officio ille suo fungatur, alios Principes ad ferendum auxilium adhortando, & ad bellum instigando, præter subsidium tamen aliquod pecuniarium è suis thesauris vel Ecclesiasticorum reditibus depromptum, vix ipsum amplius quippiam præstiturum esse: vel ubi ad summum res conatum perveniet, cum Veneta classe quinque suas triremes coniuncturam; quæ cum Sabaudi, Melitensium equitum, & Florentini navibus, classem 20 triremium solummodo efficient, quod perexiguum esse videtur. Notandum & hoc: inter Venetam Remp. (ut sibi persuadent Turcæ) & reliquos

Christia-

Christianos Principes forsitan eam non esse animorum coniunctionem & familiaritatem, quam gravitas periculi, quod illi ex bello Turcico imminere potest, & ipsa necessitas exigit & requirit. Hactenus dissolvendis alienis nominibus proximo bello contractis, & construendis propugnaculis, eius thesauros exhaustos, forsitan nunc non ea auri copia instructos, quam belli moles efflagitat. Tandem cum Venetorum tota ditio passim propugnacula habeat quamplurima, fieri nullo modo posse, ut simul omnia milite aliisque munitionibus bellicis tam bene munita sint, quam ratio belli postulat & requirit.

IN hoc bellum fere omnes Visirii consenserunt, sed quo belli primus impetus dirigendus esset, variorum variæ fuerunt opiniones quas particulatim recensebo.

Sinan Bassa Albanus, natus in pago Topoiano, qui est in Sangiachatu Philippopolis, quæ Preserem hodie dicitur, anno præterito, vel ex languore quod bellum Vngaricum ex voto minime cessisset, vel veneno necatus occubuit. Hic primam expeditionem contra *Corcyram* insulam (quæ hodie Corfu dicitur) suscipiendam esse suadebat: quod ut iusta de causa fieri crederetur, 300 cecchinos prætendebat, quos Corcyrenses fisco Turcico ab Anno 1537 deberent, proter Bastiam quæ illis tunc temporis ea conditione concessa fuerat. Est autem Bastia desertus quidam in Epiro locus, pago cuidam Turcico contiguus, Corcyra 12000 passuum distans. Non procul inde absunt salinæ ad fluvium Calamattan, quas Turcæ possident. Illic merces, quæ ex Græciæ regionibus adferuntur, navibus imponuntur, ut in Corcyram transvehantur. Hanc ille suæ expeditioni prætexebat causam, sed aliam fuisse, certum est; nimiam videlicet ipsius ambitionem, qua titulum & laudem strenuissimi expugnatoris & debellatoris arcium acquirendi desiderio maximo flagrabat.

grabat. Quam certo se consequi posse sperabat, si Corcyram, quæ natura loci & arte munitissima & inexpugnabilis habetur, expugnaret: eundem sibi belli eventum promittens, quem expeditio eius qua Golettam cepit habuerat.

Feratus Bassa, Charailam seu niger serpens cognominatus, anno præterito vivere desiit; Mahumetis scilicet jussu (quam vero prudenter, alii iudicent) strangulatus. Accusatus enim fuerat, quod clam cum Tartaro Crymæo conspirasset, ne, ut debebat, in bellum Vngaricum proficisceretur, quia Ferat dux belli generalis non fuisset creatus: tum quod Michaelem Waiuodam cum Transylvano reconciliare tentarit. Quorum defectionis caussam, non odium erga Turcas, sed indignationem contra Sinanum Bassam fuisse, in consilio Visiriorum dicebat. Verum hæc ficta ab eo fuerant, quo autoritatem Sinani Bassæ imminueret, à quo capitali odio diffidebat, postquam propter tumultum, qui in circumcisione Mahometis inter Ianizaros, & Spahioglanos extitit, Masul factus, id est ab officio remotus, cum ignominia fuisset. Hic suadebat ut *Catharo* (quæ Ascruvium Ptolomæo dicitur) occuparetur, quod eam obstare putaret Castello novo, & clavis præcipua Dalmatiæ, maris Adriatici, & Veneti territorii esset. Nimis diu immoratus sum in Sinano & Ferato Bassa, quod eorum antehac mentionem fecerimus, & postea etiam facturi simus, quod primi fere & præcipui sint, qui clavum Reipublicæ tenuerint. Nunc ad reliquos pergo.

Sinan Cicala, Venetorum propter rationes supra allegatas hostis, *Cytheram* Insulam, Cerigo hodie dictam, invadendam esse suadebat, lucernam Archipelagi eam vocans, & exploratricem actionum Turcicarum, maxime vero, quod ex ea insula facillimus in Peloponnesum sit trajectus. Sic Demaratus Spartanorum rex in Persia exulans Xerxi suasit,

suasit, ut quantocyus possit, Cytheram insulam sibi subjiceret, si quod affectabat, Græciæ imperitare vellet.

Aliorum Bassarum erat opinio, ut *Novigradum* & *Zaramirizi* urbes occuparentur, quo injuriæ multis jam annis ab Vscocchis illatæ vindicentur, & eorum audacia reprimatur, vel saltem, ut Veneti ad ea damna, quæ terra marique Turcæ à piratis & latronibus istis quotidie patiuntur, resarcienda astringatur. Negabant enim Veneti, se eo nomine Turcico Imperatori ullo modo esse obligatos. Nec quicquam ea de re vel Constantinopoli vel alibi in commentarijs publicis scriptum reperiri. Volebant iidem Bassæ, ut Veneti à Buthroti piscationibus (hodie Buotintro dicitur) 10000 passuum à Bastia distans, è regione Corcyræ sita arcerentur. Non equidem, quod ejus loci possessionem jure quodam ad Turcas spectare putarent (cum Veneti multo antea illum tenuerint, quam Turcæ pedem in Albania fixerint): sed quod 100000 Cecchinorum in reditu piscationes illas habere, fama, sed falsa tamen, ferat, cum ultra sex millibus vel circiter nunquam locari soleat.

Alijs quibusdam videbatur commodum, ut classis Turcica in procinctu stans, ventum exoptatum & secundum expectaret, quo flante vel ex Peloponneso vel Naupacto (hodie Lepanto) vel Nicopoli, quæ Prevera, vel Orico quæ Velona dicitur, solveret, *maris Adriatici littus omnemque oram maritimam* deprædaretur: & qui ipsis omnium commodissimus visus fuerit locus, eum occuparet. Quod eo facilius se consecuturos confidebant, quin maritimæ oræ terrestribus etiam copijs à Turcis infestari possint, utpote qui omnes illas regiones fere obtineant.

Iidem Bassæ hoc in primis urgebant, quod absque difficultate, sed maximo cum commodo, *Pola* & *Ragusa* occupari possent. Illam incolis denudatam portum habere præstantissimum

mam & in Istria sitam esse: quæ provincia militum & habitatorum multitudine, nec non etiam propugnaculis destituatur, sed inprimis tamen, quia ultra 120 millia passuum Venetiis non distet. *Ragusa* vero post Corcyram, alterius quasi portæ instar sit, qua in Venetem ditionem per Adriaticum mare aditus pateat, & tam commode sita, ut rota inde Italia bello peti possit. Habere etiam portus tutissimos & capacissimos, quibus Turcæ ijsin oris destituantur. Dyrrachij (quæ Durazzo dicitur) portus ultra quatuor triremes non capit, & introitum minus tutum habet propter syrtes. Inde ad 12 lapidem ad promontorium, Capo di Lacchi dictum, alius est portus 20 navium capax, sed nec hic tutus, nec aquam bonam haber. In sinu Velonæ seu Orizi alius est, totidem capax triremium. Hinc ad 8000 passum est portus Ragusæus, qui 20 navium stationem habet: versus septentrionem, occasum & meridiem à ventis tutus non est. Extra sinum Adriaticum, quem veteres montibus Acroceraunijs (hodie Dichimara vocantur) terminabant, primus qui occurrit ad Epirum, est portus di Santi Quaranta, ubi quædam triremes consistere possunt. Non procul distat Neriho olim Oricum: ubi primum Romani quondam appellere solebant, cum Hydrunte in Epirum navigarent, 40 triremium capax, sed non adeo securus est. Soli Ragusæi portus, quorum 5 vel 6 sunt, insigni capacitate præstant. Tres in primis, & ex his ille, qui de sancta cruce nomen habet, non Turcicam modo, sed quamvis maximam classem capere posset. Hæc urbs præter utilitates quas dixi, hanc insuper rebus Turcicis afferret, quod triremes aliæque naves ex materia, quæ è montibus Ducaginis eo transferetur, ibi construi possint, quod cà commoditate in nullo alio ex portubus supra dictis fieri potest, ut alibi quoque à nobis demonstratum est.

Sed major pars Visiriorum in expeditionem *Cretæ insulæ* incli-

inclinabant: quam ideo expugnandam judicabant, quò navigatio Turcarum, qui vel Alexandriam negociationis causa vel ex superstitione Mecham petunt, ab Hispanis Melitensibus & Florentinis triremibus, tuta reddatur: quod fieri non possit, nisi alterum ex his duobus remedijs, quæ præcipuus quidam ex Emiris proposuerat, observetur, ut videlicet Veneti non modo eò adigantur, ne ullum illis navibus in mari, cujus imperium habent, aditum præbeant, sed etiam ut damna resarciant, quæ ipsorum culpa navibus Turcicis ab hoste inferantur; vel ut eum in finem classem Turcicam in Candiam, ubi stationem habeat, recipiant. Emiri illi, quorum memini, profitentur se ex Mahumetis prophetæ descendisse prosapia: ideoque tiaram seu Tulpantem viridi colore infectum gestant. Nec dubitandum, quin expeditio hæc felicem habitura sit exitum, siquidem insulæ illius regnum, propter discrepantes ritus, quos Græci & Latini in suis Ecclesijs observant, inter se divisum sit: Nobiles Veneti (in quo fortassis hallucinantur) à Cretensibus dissideant: illis etiam, qui privilegijs atque imunitatibus fruuntur, cum reliquis, qui angarijs obnoxij sunt, pessime conveniat: Rusticorum animi à nobilibus valde sint alienati. Sed hoc maxime ad rem facere, quod nullo impedimento à Turcica classe quavis ex parte impetus in eam insulam fieri possit, cum Turcarum ditione fere undiquaque cingatur, Natolia scilicet, Caramania, Barbaria, Alexandria, Morea, & Archipelago, quæ regiones omnes Turcarum Imperio parent, è quibus subsidia & supplementum militum nullo negocio ad exercitum mitti possint. Præterea si insula hæc, quæ omnis generis fructuum feracissima & fertilissima est, occuparetur, tum omne maritimum imperium in manibus Turcarum positum iri. Nam fere centrum non solum maris mediterranei sed totius orbis dici potest: quod æquali distantia ab Asia Africa & Europa dissideat. Vn-

at. Vnde non incommode à veteribus sedes mundi opportunissima habita est. Hoc quoque observandum, quod occupata ea insula, Venetorum classis multarum triremium jacturam factura sit: Ottomannicum Imperium contra oportunitatem maximam adipiscatur, quam plurimas in ea insula construendi. Tandem cum Constantinopoli maximus sit Cretensium numerus, illi de locorum oportunitatibus Turcas informare & juvare possent. Inter eos quam plurimi sunt exules, qui eo confugerunt, ut laborando in armentario vel Peræ victum acquirant: vel negotiationem exerceant, vini in primis preciosissimi, quod insula profert. Inde enim per Pontum Euxinum ad Danubij ostia, & rursus ad urbem Chilia, Galaz Rene usque Flaz, quæ est in Valachia, transfertur, ubi carris impositum in Poloniam transportatur. In Germaniam vero non ea via, ut nonnulli scripserunt deportatur, sed per Oceanum Hamburgum Lubecam & Gedanum transmittitur. Pars quoque itinere quod Venetias ducit, in Germaniæ urbes præcipuas defertur.

---

*LVII. Consilium de invadenda Italia.*

*De expeditionibus quas in Italiam fecerunt Hunni, Alani, Gothi, Vandali, Teutones, Galli, Hispani & Saraceni.*

*Laudes Italiæ.*

*Quomodo Itali sibi de re frumentaria prospiciant.*

POsthabitis prioribus de bello movendo consiliis, SEXTA successit sententia. Alij enim Bassæ, omnes imperij Ottomannici vires terrestres æque atque maritimas contra Italiam dirigi volebant.

Quod ad otbis terrarum monarchiam, quam Turcæ semper sibi, tanquam scopum suarum actionum, propositam habuerunt, nunquam perventuri sint, nisi prius Italiam in potestatem redegerint. Hæc enim tanquam centrum universi orbis

bis consilia reliquis membris & auxilia suppeditare soleat, quibus aliorum machinationes impediuntur. Romanos tandem totius mundi dominos extitisse, quod hanc potissimum obtinerent. Huc omnes suas cogitationes direxisse, qui ex Ungaria per Dalmatiam eo profecti sunt. Alani & Gothi, qui utram vis Daoubij ripam incoluerunt, postquam Græciam subjugarunt, per Bosniam & Croatiam in Italiam irruperunt. Vandali Hispania subacta, ex Africa classe eo solverunt. Teutones Galli & Hispani varias in Italiam expeditiones susceperunt. Saraceni (de quibus Romani quondam dicebant, eos vel in amicorum numero habendos, vel non tractandos ut inimicos) postquam totam Italiam devastarunt, diutissime illius imperij potiti sunt, ipsa dominatrice Roma capta. De qua stulte sane dicere solebat Solymannus, eam jure ad Imperium Ottomannicum pertinere, quod à Constantino in præjudicium successorum fuisset alienata.

Concludebant tandem, quod nulla tam honesta tamque fructuosa expeditio hac ipsa suscipi possit: quod Italia velut reginæ locum inter alias provincias obtineat, propter situs opportunitatem, aëris temperiem, omnium rerum ad victum humanum necessariarum abundantiam, maximas pulcherrimas & ditissimas urbes, propter sedem primariam Ecclesiæ Christianæ, propter antiquam gloriam & majestatem Romani Imperij, aliasque causas.

Neque hanc expeditionem adeo difficilem fore; quod Italia diversis Principibus pareat, quorum imperio quamplurimi ipsorum subditorum invite obsequantur: quod incolæ per multos jam annos in pace vixerint, ideoque ad bellum minus apti, sed timidi atque imbelles existerent. Quod si antequam segetes matureſcant, expeditio illa, vel ex uno, vel pluribus locis incipiatur, Turcis nunquam, quæ ad victum spectant defutura:

rura: incolas vero, quorum magna est frequentia, earum rerum penuria laborantes, & inclusos suarum urbium muris & propugnaculis, in extremum famis periculum adductos iri. Id verò inde magis patere, quoniam hoc tempore, quo pace fruuntur, frumentum, quantum sufficiat ad victum non habeant, sed aliunde, in primis vero ex Peloponneso Constantinopoli & urbibus Oceani maritimis, illis advehatur.

Considerandum porrò quod plerique Italorum non alia ratione, quam suis laboribus & manuum suarum operibus, vel negociationibus victum sibi parent. Qua ratione si spolientur, brevi tempore eò illos redactos iri, ut conditionibus, quas victor propositurus sit, pareant, vel tributa solvant, Imperioque Ottomannico se subijciant.

Nec milites illubentes in bellum hoc profecturos, quod neque per steriles regiones neque glacie congelatas aut incultas, neque per sylvas vel montes inaccessos ipsis proficiscendum sit; sed in suarum ædium conspectu, & per proprias ditiones in bellum hoc ituri sint. Et siquidem Turcæ, ut constat, sæpius eo penetrare potuerint, cum limites remotiores & itinera incommodiora haberent, multòfacilius id nunc fieri posse, cum opportunitatem nacti sint, & hostem in propinquo habeant.

*LVIII. Consilium de bello in Poloniam transferendo.*

*De Coslou.*

SEPTIMA quæ dicta fuit sententia, eorum fuit, qui bellum in Poloniam primum, exinde in Ungariam & Germaniam transferendum esse putabant. Cujus rei rationes illi allegabant. Primum dignitati & majestati Ottomannicæ detrahi, quod Poloviæ rex tributum debitum solvere aliquoties recusarit; illud ni & armis repetendum esse censebant, quod eò facilius impetraturos se sperabant, quoniam inter ipsos Polonorum præci-

puos

puos inimicitiæ passim gliscerent. Nec difficile illud bellum futurum, quod Polonia cum Moldaviâ Tartaris & Sangiachatibus Achermani & Banderæ & Vosia terminatur. Neque tutam & plenariam Moldaviæ & Valachiæ possessionem unquam Turcas habituros, nisi Polonorum audacia reprimatur: quod earum regionum Principes, quos Waiwodas vocant, ubi multis opibus se locupletarint, semper in Poloniæ regnum recurrere soleant. Fore insuper ut injuriæ à Cosaccis illatæ (qui Coslou Tauricæ Chersonesi urbem occuparant) vindicentur: & mercatura in Moscoviam liberior & tutior reddatur. Moscoviæ Duci timorem incussum iri, propter regionis vicinitatem: qui Dux imperio Ottomannico impedimento fuerit, quo minus totius Persiæ regnum obtinuerit.

Et cum hoc modò Germaniæ paulatim appropinquetur, forsitan eo rem deventuram, ut insigni aliqua clade imperator afficiatur; eoque magis magisque Imperium ejus armis & præsidijs Turcicis exponatur & cingatur.

Poloniam planam & apertam esse regionem, neque propugnacula ad resistendum habere; incolas militiæ scientia non valere, quod diu jam pacem coluerint, & bellum cum Maximiliano Austriaco parum duraverit: Stephanus rex in bellis quæ contra Moscovitam gessit, ut plurimum militibus Ungaris usus sit, & obsidendo potius, quam pugnando ea bella confecerit.

---

*LIX. Consilium de bello Imperatori Romano inferendo. Quomodo à Turcis Imperator & Vienna appelletur. Solymanni & Selymi consilia & deliberationes. Quanta facilitate bellum Imperatori inferri possit.*

QVi OCTAVAM & ultimam dixere sententiam, bellum Romano Imperatori inferri volebant: quem Turcæ regem Viennæ (quæ illis Betz dicitur) nominant; olim Vindoniana fuit.

Cau-

Causas belli movendi has proferebant. Quod Uscocchi eò insolentiæ processerint, ut terra marique Turcas sine intermissione deprædarentur, unde non modo propter damna, quæ inferantur subditis, sed propter ipsam Imperij Ottomannici majestatem & honorem, eorum audacia diutius non perferenda. Horum injuriis præcipue factum esse, quod mercatores privato suo cum damno, & publico Imperatoris detrimento, Narenta seu Narona Turcici Imperij oppido relicto, emporium sibi constituerint Salonam (hodie Spalato) quæ ditionis Venetorum est. Sed ne sic quidem mercatorum securitati consultum esse, licet pax cum Imperatore & Venetis observetur. Nam & terrâ omnia deprædationibus ipsos miscere, animalia abigere, pagos exurere, liberos è matrum complexu & sinu abripere. Hinc quis animus ipsis sit, facile intelligi posse. Nec dubitandum, si occasio sese offerat, quin, si aliquod magni momenti propugnaculum occupare possint, omni conatu id tentaturi sint. Quod quantum dedecoris & ignominiæ, ut damnum fileatur, toti Ottomannico Imperio allaturum sit, facile quemvis æstimare posse.

Nec obscurum est quam vilipenderit Imperator noster Turcam, eo quo bellum cum Persis gessit tempore serò nimis tributum persolvens, quod violandæ potius quam stabiliendæ pacis signum sit.

Nec adeo dubiam & difficilem fore victoriam, quod & versus Croatiam Vngariam & Austriam impressio fieri possit. Regionem omnibus rebus necessarijs abundare, exercitui sustentando commodam propter vicinitatem, & quod fere semper in Turcico territorio iter faciendum sit. Propugnacula præcipua Vngariæ, Belgradum, Budam, Albam regalem, aliaque loca munitissima Turcarum præsidijs & milite custodiri, quo milites tanquam in tutum sese recipere possint, si clade aliqua afficeretur

ceretur exercitus, vel etiam in amissi locum ex præsidiis vicinis alius substitui possit.

Imperatorem Romanum paci potius studere quam bello: quod non eo loco & honore à cunctis Germaniæ Principibus forte haberi videatur, quem ipsius & dignitas & majestas requirat. Germanorum proceres propter religionem & fines territorii acriter inter se dissidere. In primis vero propter novi Rom. regis electionem, pertæsos Imperii domus Austriacæ, à qua contrariæ religionis Principes inprimis abhorrere videantur. Tum quod nimis anxie de cumulandis & asseruandis suis thesauris sint solliciti.

Tandem cum multis abhinc annis Germani bella nulla gesserint, ad arma tractanda minus eos fore idoneos & ducibus parum obedientes. Eos nunquam non dissidere solitos Vngaris Italis & Hispanis, quod hæ nationes à Germanis parum diligantur, ne dicam odio habeantur. Qui etiam inter se propter variarum religionum studia non consentiant, & semper in eo versentur metu, ne si forte Imperator Turcam bello vicerit, religionem, quam semel receperunt, iterum ejurare & Pontificis Rom. jugo se submittere cogantur. Hanc ob causam à bello ipsos potius atque auxiliis summittendis abstenturos, quam ut sui & Imperii defensionem suscipere velint.

Nec verendum esse, ut exteri Principes Imperatori hoc bello occupato auxilium ferant. Polonum & Transylvanum nunc in pace cum Turca vivere, nec belli tempestatem in proprias ditiones derivaturos. Tum etiam quod Poloni eo in metu sint positi, ne patriæ limites deserere & versus mare glaciale se conferre cogantur. Transylvanus vero à Turcico Imperatore imperium acceperit, quo rursus ab eodem exui & spoliari possit. Regem Hispaniarum ea quidem valere potentia, ut maxima domus Austriacæ auxilia subministrare

possit, verùm aliis in locis ipsum distineri. Pontificem Romanum non ubivis locorum præsto futurum. Italiæ Principes neque thesauros suos neque subditos in alterius gratiam insumpturos. Venetam Rempublicam non temere Turcarum arma in se concitaturam, sed ocioso potius belli spectare exitum, quam alieno periculo se immiscere, præoptaturam.

HÆ præcipuæ sunt Visiriorum de bello movendo sententiæ; non maturo aliquo consilio, ut fere solet, excogitatæ, sed ex barbara quadam temeritate profectæ: qua moti plurimarum rerum facilimam expeditionem sæpius sibi persuadent, quas effectu non modo difficilimas, sed etiam perniciosissimas sibi experiuntur.

SCIO nonnullos esse, qui de rerum quas enumeravi certitudine dubitent: quem scrupulum ipsis eximere animus est. Breviter igitur ostendam, quomodo Turcis res nostræ innotescant & Turcarum res in nostram noticiam perveniant. Demonstrabo etiam, omnibus Principibus hoc usu venire, ut de rebus maximi ponderis eiusmodi deliberationes instituant, præcipue Ottomannici reges, exemplo à Solymanno & Selymo ducto. Ille enim cum suis Bassis omnium orbis terrarum Principum vires & potentiam examinabat & ponderabat: Hic vero, qua ratione de omnibus Principibus victoriam reportaret, consilium inibat.

---

*LX. Quomodo res, quæ inter Christianos Principes aguntur, in notitiam Turcarum perveniant.*

HAUD dubium est, Turcicum Imperatorem eiusque consiliarios non modo earum rerum quæ inter Christianos quotidie accidunt, verùm etiam arcanarum, & quæ ipsis solummodo Principibus eorumque Consiliariis notæ sunt, cognitionem habere. Quibus explorandis, tum mercatorum, quorum ex omnibus nationibus Constantinopolis magnum

magnum numerum alere solet, opera utuntur: tum ex mancipiis & captivis, qui singulis diebus in ipsorum potestatem perveniunt, intelligunt: hi plerique fidem Christianam eiurant, præmiis allecti, vel pœnarum metu quibus durissime affliguntur.

Habent etiam alias rationes hæc expiscandi. Non ita pridem Secretarius quidam Imperatoris, qui Constantinopoli morabatur, plurima in illorum noticiam pertulit. Et Judæi hac in parte fidelem ipsis navant operam. Hi sagacissimi sunt exploratores, Christianorum hostes; qui passim per Turcicum Imperium sparsi, mercaturam exercent in præcipuis emporiis & vectigalia fere soli redempta habent. Vnde summo studio res nostras indagant, ut Turcis eas revelando gratiam ab iis ineant, bonis & facultatibus suis prospiciant, seque suosq; liberos in tuto conservent: tum etiam ut præmium aliquod & mercedem ab ipsis accipiant, sibique eos devinciant. Occasio præcipua belli, quod proxime Veneti cum Turca gesserunt extitit, ut fertur, Ioannes Miches Hebræus, qui infesto erga Venetos animo, quod merces suas, quas sub ficto quodam nomine Venetias advexerat, obtrudere ea specie prohibitus fuisset. Iohannem Lopes Hebræum affirmant plurima secreta Sixti V Pontificis Amurathi aperuisse, quæ exploraverat dum Romæ vixit. Ideo eius imago ab Inquisitoribus combusta fuit.

Habent etiam Turcæ exploratores suos fere in omnium Principum aulis, quibus certa stipendia soluunt; etiam (quod mirum est, sed verum tamen) in Helueria & apud Rhætos superiores, ut de copiis & exercitibus, qui inde in alias regiones emittuntur, certiores reddantur.

---

*LXI. Quomodo de rebus Turcarum certiores reddamur. Quis apud illos Muphti vocetur.*

*Assam Bassa avaritia & ratio emungendi pecuniam.*
*De Sultana.*
*De Zingi Han.*
*Cur Tartari & Turcæ capitis tegumenta pennis exornent.*

AD Christianos Principes quod attinet, notæ sunt impensæ, quas faciunt, non modò ut aliorum consilia & actiones secretiores explorent, etiam cum damno & pudore eorum qui in ea re ipsis inserviunt, sed præcipue ut quid Turca, qui communis est hostis, in animo gerat & contra illos machinetur, expiscentur. Vnde quorum plurimùm interest, etiam in ipsa urbe Constantinopoli, suos maximo cum sumptu alunt exploratores Iudæos & Turcas, atque primorum Bassarum fidissimos: & quoties arcanum quiddam ipsis communicatur, liberaliter illis dona conferre solent.

Nonnunquam ipsimet Bassæ Principum legatis ea, quæ in secretiori Imperatoris consilio proponuntur & tractantur, communicare solent. Verum huic malo hoc ille solet adhibere remedium, ut præcipuos consiliarios sub venationis specie rus secum abducat, quo ea quæ decreta sunt minus facile euulgentur.

Variæ autem sunt caussæ, quæ Bassas movent ut de Imperatoris sui consiliis alios certiores faciant. Sæpius animorum quædam inclinatio eos permovet; qua Mahumetes Socolevich Primus Visirius sub Selymo, & Muphtius eo tempore, erga Venetam Rempublicã bene affectus, plurima Reipublicæ illius legato concredidit. (Muphtius autem apud Turcas primus eius superstitionis antistes, atque Mahumetanæ legis præcipuus interpres est: tantæ in speciem autoritatis in concilio, ut ipsius sententiæ nunquam quisquam aperte contradicat. Dixi, *in speciem:* nam quoties Imperator serio aliquid vult, ille vel timore vel adulatione motus princeps ad laudandum & suadendum prodit.) Sæpius ubi inter

præcipu-

præcipuos Consiliarios contentiones oriuntur, ut deliberationes suorum æmulorum impediant, quo minus optatum exitum sortiantur, illis quorum interest eas patefaciunt; quod Mehemetem Bassam & Muphtium, nec non ita pridem Sinanum & Feratum feciſſe constat. Nonnullos avaritia ad hoc movet. Natura enim Turcæ sunt avariſſimi seu donorum cupidiſſimi. Qua in re Assan Bassa Venetus Cilestri natus reliquos sui temporis Bassas superavit. Hic ante Cicalam Architalassi officio functus est: & cum quadam die in concilio quidam è Visirbassis Imperatori pollicitus esset, se ex improviso Venetias occupaturum, nec ille tamen auditus sed derisus potius propter vanitatem & temeritatem fuisset: Assan iste ad legatum Venetum se contulit, eique consilium aperuit, quasi ab aliis in medium allatum, se vero naturali inclinatione erga eam Rempublicam motum obstitisse, ne executioni mandaretur. Vnde splendidiſſimo & ditiſſimo munere fuit donatus.

Sub hoc titulo consiliarii sæpius servos suos & famulos remunerari solent. Nam arcana illis communicant, ut ea aliis, qui liberaliter donant, aperiant, atque lucrum inde faciant.

Idem cum suis uxoribus observant. Vnde Sultanæ (quæ Imperatoris sunt amasiæ vel cognatæ) cum perpetuò in Seralio habitent, ubi negotia præcipua tractantur & expediuntur, eorum esse insciæ non possunt, eaque per eunuchos, qui ipsarum custodiam habent, Principum ministris revelant. Student sibi hoc officii genere Principum animos devincire, ut splendidum aliquod munus ab iis eblandiantur. Mater huius Mahumetis honorem singularem Venetæ Reipublicæ deferre simulat, & sæpius donum aliquod ab ea postulat. Non ita pridem omnes Sultanæ à Venetis petierunt, ut prohiberent, ne fictæ illæ pennæ vitreæ, quæ Murani conficiuntur

& erodii pennis similes sunt, Venetiis in Turciam efferantur: quod magno cum applausu & vili precio passim Constantinopoli emerentur: unde ipsæ impediantur, quo minus pennas precioſissimas, quæ dono ipsis è diversis regionibus magno numero mitti consueverunt, eo precio quo ante solebant vendere possint. Apud Turcas enim mulieres æque atque viri cristas gerunt, consuetudine à Tartaris ducta, postquam Zingi Han, (perperam alii Cangio eum vocant) servatus à bubone fuerat. Cum enim hæc avis arbusculis quibusdam consedisset, sub quibus Zingi latebat metu hostium eum insequentium, putavere illi neminem in eo loco ubi tam secura avis consideret delitescere. In huius rei memoriam Tartari avem hanc summopere venerantur; ut qui eius pennas tum nanciſci potuit, felicem sese æstimarit: atque alii deinceps iis pennis capita insignire summe studuerunt, ut est apud Haytonem relatum. Sed ad institutum.

---

*LXII. Quare Amurathes bellum Romano Imper. inferre decreverit.*
*De Assan Bosnia Bassa.*
*De propugnaculo Petrina.*
*De Assan Bassa de Vuan.*

AMurathes Turcarum Imperator, ubi diu in ea consiliorum varietate anceps hæsisset, incertus quid nam de bello decerneret, tandem Cæsarem aggrediundum esse statuit. Sperabat enim hac quoque in parte gloria & laude suos anteceſſores superare, ut in Persia se feciſſe iudicabat. Idque eo facilius, quod bellum gerendum esset in regione, quæ proxime suum territorium attingebat: unde commeatus & alia necessaria in castra commode deferri possent.

In eo proposito à Sinano Bassa fuit confirmatus. Qui cum vidisset, frustra se Corcyrensem expeditionem consuluisse, hanc fovere studuit: speransse Generalis (ut vocant)

&

& Supremi ducis officio potiturum, quo ſuis æmulis reſiſtere & maximas divitias acquirere poſſet. Quod tandem ipſi ex animi ſententia ceſſit, ſiquidem ad ſeptennium ſupremum belli imperium ea poteſtate, quam Imperator ipſe habet in caſtris, conſecutus eſt.

Illud negocium præ reliquis quoque promovit Aſſan Boſniæ Baſſa, homo temerarius potius quam ſtrenuus, ſi res eius in Croatia geſtas ſpectes. Putabat eo modo divitias ex eo bello (ut mos Turcarum eſt) maximas, & ſuprema belli munia, quæ à vatibus quibuſdam vel potius auguribus promiſſa fuerant (nam eorum auſpiciorum erat inprimis diligens obſervator, cum accipitrariæ rei præeſſet) ſe conſecuturum. Igitur Amurathem indies de damnis, quæ Vſcocchi & alii Archiducum miniſtri & ſubditi inferebant, deque incendiis deprædationibus eorundem & rapinis commonefaciebat. Inſtigans eum, ut in Croatia bellum inciperet: inde vel contra Cæſarem vel Venetos illud continuaret, vel ex improviſo in Italiam impetum faceret, ut ſub Mahumete Baiazethe & Solymanno factum fuerat; unde omnibus Italiæ Principibus maximus metus incuteretur, & milites ditiſſimis ſpoliis locupletarentur. Ea importunitate tandem effecit, ut poteſtas ipſi data fuerit, bellum in Imperii finibus auſpicandi; ſub hac tamen conditione, ne ipſius Amurathis juſſu ſed proprio motu id à ſe fieri profiteretur. Petrinæ propugnaculum ad Culpam ſeu Colapin fluvium, quam de ſuo nomine Aſſan Grad nominari voluit, extruxit. Inde faciles incurſiones in ditionem finitimam fieri poterant & periculum minabatur Caroloſtadio Zagabricæ & Metlicæ, aliſque urbibus & pagis vicinioribus. Omnia terrore lachrymis & querelis percellebantur & perſonabant.

Sed obiter hic ſingulare quippiam obſervandum duximus; cum videlicet qui primus Perſiæ regiones infeſtavit,

ante-

antequam bellum proximum motum fuit, & pacem inter Persas & Turcam violavit, idem cum hoc nomen tulisse, & vocatum Assan Bassam de Wan; quæ Mediæ urbs est, hodie Siruan & Waspracan dicitur, qui eo tempore ultimus Turciæ terminus versus Persiam erat.

Sæpius *Vscochorum* mentionem fecimus: quinam igitur sint, clarius ut explicemus, propositi nostri ratio requirit, quoniam caussa & occasio tanti belli, quod nunc geritur, extitisse dicuntur.

---

*LXIII. De Vscochis, & quare sic dicti.*
*Vbi ipsorum latebræ & receptacula sint.*
*Vnde ipsis ad mare aditus sit.*
*Quomodo ipsorum depræda tionibus variis modis resisti possit.*
*De Chimeriottis, Martelossis, & Murlachis.*
*Sententia Azam Bassæ.*
*Decretum Vscochorum de non diminuendo suorum numero.*

VScochus voce Sclavonica saltatorem significat; quod capreoli in morem per præcipitia montium calceis lorariis saltare soleant. Sed errant, qui cum Iovio inhabitatores Chimeræ eos statuunt; siquidem à Chimeriotis ad quingenta miliaria distant; qui in Albania Acroceraunios montes ad promontorium Iapygium, quod Capo di Santa Maria dicitur, incolunt. Vscochi Sclavonicam, Chimeriotæ Albanicam linguam loquuntur: illi Romanos, hi Græcos observant ritus: illi collectitii sunt & pauci, hi vero indigenæ & maximo numero. Inter illos plurimi versantur Murlachi, quibus sub Turcis vivere non licet: qui aut ex Veneta vel aliorum Principum Italorum ditione proscripti, vel paupertate coacti, illis se adjungunt. Recipiunt quoque in suam societatem Martelossos, qui exploratores & latrones sunt eius ditionis, ut ipsa vox Martelos demonstrat, quæ professionem non nationem quandam denotat.

De *Morlachis* sic statuendum. Eo nomine omnes Christianos intelligi, qui montes incolunt. Inprimis vero, qui in monte Lica prope Novigradum & Seniam habitant. Vox ea Morolachia tunc primum innotescere cœpit, ubi in Italiam Barbari irruperunt. Nam cum ex Walachia ad mare Adriaticum perveniissent, eo nomine omnes maris accolas adpellarunt, & sub voce Vulachi vel Vloschi Italos omnes intellexerunt; non aliter ac Turcæ, qui Francorum nomine omnes Italos appellitabant.

*Vscochi* maritima loca habent Seniam & Buccari: interius vero Othozaż & Vinadol, quæ regio ad Comitem Sedrim pertinet. Et licet omnes oras finitimas deprædentur (quemadmodum Turcomanni quondam in Græcia solebant) ab Imperatoris tamen præfectis tolerantur, ne eos àse alienent siquidem sine ullo stipendio audaciissime limites istos defendunt & tuentur, Cosaccos Polonos ea in re imitantes; de quibus infra fusius. Quod cum manifeste contra pacta conventa, inter Archiducales & Turcas, & cum ipsis quoque Venetis inita, fiat, sæpius causam & occasionem Turcis dedere, ut ad defendendos subditos, & merces quæ Anconam & Venetias deferuntur, arma arripuerint. Eo etiam Venetos redegerunt: tum propter jurisdictionem, quam in mari Adriatico se habere Veneti prætendunt: tum etiam ne Turcis occasionem præbeant, ut armis in Venetos conversis injurias ab Uscocchis illatas ulciscantur. Adhoc etiam ne Veneti à Turca odiose interpellentur: ut fieri solet, qvoties Turcis aliquo damno adfectis satisfactionem ab ijsdem Venetis Turcæ petunt. Nec verò Turcarum modò bona prædari solent, sed Christianorum etiam facultates aggredi, Venetorum inprimis; non equidem quo damna quæ in obsidione Senix acceperunt resarcirent, (ut quondam ipsorum Voviadæ & Arambassi causabantur) sed potius, ut injustissimis

modis divitias & opes acquirerent. Quod eo libentius faciunt, quoniam optime norunt, quod à Venetis vix impediri possint, dum ab Imperialibus defenduntur & quoties lubet in tutum se recipere queunt.

Vscocchis tamen quatuor viæ patent in mare ad prædas agendas. Prima est inter flumen Vessiam atque Chersum insulas: secunda inter dictas insulas & Arben: tertia inter Arben & Pagum: quarta denique inter Pagum & Zaram, quæ angustissima & 100 passus vix patet.

Veneti triremes habent atque alias naves armatas, quas ad impediendos Vscocchorum impetus emittunt: sed quia parum ordinate res administratur, parum etiam hactenus ipsis nocuerunt. Navium igitur numerus augendus & præsidia in loca opportuna collocanda sunt, quibus commode ipsis resistatur. In quæ etsi sumptus majores impendendi essent, hæc tamen utilitas inde expectanda, quod Vscocchis semel in fugam compulsis non facile sese recolligere & unire possint. Et mercatores ipsi (de quorum salute & utilitate ut plurimum agitur) libenter eos sumptus contribuent.

Vel etiam hac ratione ipsis resistendum, ut Vscocchorum ducibus certa pecuniæ summa solvatur, ut à damnis tam Christianis quàm Turcis inferendis abstineant; cum latrocinia vix ulla ratione latronibus illis audaciſſimis & animosis interdici possint, nisi seriò in id & aperto bello incumbatur. Sed verentur nonnulli, ne ex ea re Turcarum Imperator indignationem contra Venetos concipiat, qui cum Vscocchis conspirasse ea ratione videri possent, ut ipsorum mercatores solummodo pace fruantur & tutò negociari possint, neglectis aliis. Nec fieri etiam posse, ut in hunc modum tam secrete cum Vscocchis transigatur, quin Turcæ resciscant. Verum huic malo duobus modis succurri poterit. Primum, ut quid rei cum illis geratur Turcarum

carum Imperatori significetur, cum in eo omnis tractatio constat, quo ipsi solummodo satisfiat, Vel, ut Pontifex bono consulens publico sese interponat, & acceptam à Veneta Republica vel à mercatoribus pecuniam suo nomine inter Vscochorum duces distribuat. Præterea etiam Cæsari subsidium aliquod pecuniæ largiri posset, ut præsidio valido Seniam & loca vicina muniat. Vel, quod optimum foret, si, ut pacate inde discedant, eaque loca rapinis exercendis commodissima deserant, cum ipsis constituto precio vel ex pacto conveniri posset. Constat enim publicos ipsos esse latrones, & maximis damnis Christianum orbem afficere.

Alia ratione, nec vires ipsorum imminui, neque etiam penitus extirpari poterunt: quod nunquam à quoquã impediantur, quin militem suum augeant, & quosvis ad militiam paratos sibi associent. Hoc enim lege apud ipsos cautum est, ut marito defuncto conjux in omnia defuncti bona succedat, & qui hanc duxerit possessionem illorum bonorum possit acquirere.

Huc usque de Vscocchis, & quomodo ipsorum insolentiæ resisti possit, dictum sufficiat.

---

*LXIV. Sigismundus Battorius ad Cæsarem transit, quod plurimum Cæsari profuit.*

*Quæ Sinan Bassa Amurathi obtulit.*

*Obitus Amurathis & ejus sepultura.*

*Cur Turcarum templa seu Meschitæ vocentur Moschææ.*

*Successio Mahumetis in regno paterno.*

*Quid Ferat & Sinan Bassa prætendant.*

*Cur Mahumetes in bellum profectus sit.*

VBI bellum inter Amurathem & Cæsarem eo quo dixi modo recruduit, Sigismundus Battorius Transylvaniæ Princeps Turcis adversari & Cæsaris partes sequi cœpit. Quod ut illis præter spem & omnem expectationem evenit; ita neque ab

ipsum certiorem fecisset. Ferat contra optimè de Mahumete se meritum esse statuebat, quod tempore exiguo in possessionem regni paterni illum collocasset. In primis vero tam periculoso tempore, maximis necessitatibus rempublicam urgentibus. His invicem illi altercabantur rationibus, donec tandem alter alterius necis & obitus caussa extitit.

Sed ubi rebus domesticis aliquantulum Mahumetes prospexit, easque ex voto composuit, bello se accingere coactus est. Tum propter rationes superius à nobis in medium prolatas: tum quod milites palam profiterentur, se in militiam non amplius profecturos, nisi Imperatore ipso præsente, quod à primis belli ducibus Sinano & Ferato in bellis præteritis minime ipsis satisfactum, sed pessime etiam ab iisdem tractati fuissent: tum etiam, quod militum animi alij in alios duces inclinarent, & Cicala facilimam victoriam ipsi promisisset, si ipsemet bello interesset.

---

*LXV. Agria occupatur à Turca.*
*De urbibus Toccai & Sacmar.*

PRimo expeditionis suæ anno *Agriam* occupavit. Quæ licet non adeo munita sit, propter montem qui ipsi imminet: situs tamen ratione maximi est momenti. Quod facile impedimentum inde Transylvani & Cæsaris copiis, quo minus se conjungant, creari possit: & Turcæ viam, quæ Cassovia Toccaium versus ducit, continuo infestare queant, cum superior illa, quæ est versus Sacmar, multò sit longior. Quod si muri & propugnacula Agriæ reficiantur, nullo negocio exercitus validissimus inter utrosque hostes ibidem in excubiis haberi poterit.

---

*LXVI. Expeditio Mahumetis.*
*Fuga ejusdem.*
*De Tamur Han.*

Agriæ expugnationem *prælium* est secutum. De quo verè dici potest: quod vel uterque exercitus victoria sit potitus, Cæsaris sub principium, Turcarum sub exitum pugnæ, vel quod neuter ab adversario fuerit victus, quia ambo sese receperint, incerto rerum suarum statu relicto. Quod inter Ludovicum XI Galliæ regem & Carolum Burgundum eadem fere ratione contigisse legimus; ut Græcorum & Romanorum exempla taceam. In primo statim congressu Mahumetes propriis suis oculis vidit exercitum suum dissipatum, & in fugam conjectum; ipse de sua salute sollicitus in montem quendam in ipso Agriæ conspectu confugit, faciemque parte vestis Mahumeris, quam religionis caussa secum circumferebat, absterssit.

Quanta vero nostrorum militum virtus, & in debellando hoste audacia fuerit, non est obscurum: quod minus quinquaginta millibus militum (quos Franciscus Maria Urbini Dux ad extirpandam Turcicam tyrannidem sibi deposcere solebat) instructi, hosti obviam procedere, manus cum eo conferere, & exercitum qui trecentorummillium hominum atque adeo totius Imperij Ottomannici robore constabat, in ipsius Imperatoris conspectu in fugam coniicere valuerint. Vnde nemo temere dubitare debet, quin si nostri minus avari, melius uniti, magisque providi, inprimis vero erga ducem belli fideliores extitissent, victoriam splendidissimam reportaturi fuissent: qualem forsitan ante ipsos nunquam Christiani de Turca tulerunt, ipso Mahumete capto. Quemadmodum Bajazetem à magno TamurHan, id est, domino ferri (qui corrupte alijs Tamerlanus vel Tamberlanes dicitur) captum esse scimus.

Et ut

Et ut tandem hanc partem absolvam, Turcarum Duces exiguam fortitudinem & rei bellicæ peritiam in eo prælio demonstrarunt: unde plurimi honoribus suis privati, alij vita mulctati sunt, milites vero timidi & pavidi redditi.

HINC futurum conjicimus, ut eorum Imperator melius rebus suis in proximum annum prospiciat, & vel pacem ineat, vel cum minori suo periculo bellum gerere studeat. Interim perplexe Christianus Orbis de ejus machinationibus est sollicitus. Quare cogitationes hostium altius examinare, & quid Christiani Principes ad gloriam Dei & sui conservationem præstare possint & debeant, judicare nostri officij esse censemus.

FINIS II PARTIS.

PARS

# PARS TERTIA.

*In hac parte agitur, an Cæsar & Transylvanus pacem à Turca oblatam acceptare debeant, nec ne. Deinde etiam ostenditur, quid damni ijdem Turcico Imperatori inferre, si bellum continuarint, tum quantum alij Christianorum Principes ipsi nocere, possint. Ut omni tempore periculum, quod Christianitati à Turcis imminet, evitetur.*

IN ultima igitur hujus nostri libelli parte, Primo loco demonstrare animus est: num Cæsari atque Transylvano expediat, ut pacem, si à Turca iis offeratur, accipiant. Tum etiam exponam, quæ Turca sibi pericula à Cæsare & Transylvano, tum etiam ab aliis Christianorum Principibus imminese timeat, si bellum quod nunc geritur continuetur. Multarum quoque gentium & locorum descriptionem addemus, quæ non minus jucunda quam utilis lectori erit futura.

*LXVII. Consilium Mahumeti datum, ut pacem cum Cæsare ineat. Transylvanus Cæsari se conjungit, quem Turcæ maxime timent.*

*Cur Mahumetes belli continuationem tandem decreverit.*

Cum belli initium in Vngaria Amurathes fecisset, pacis tractationem penitus recusavit. Quam tamen Galliæ & Angliæ regum legati strenue urgebant: ex adverso verò bellum maritimum contra Hispanum suscipiendũ, diligenter hi suadebant, ut à bello, quod contra Galliam & Angliam Hispani gerebant, distraherentur. Majori studio & contentione eandem rem tractarunt, postquam duplici clade in Croatia & Vngaria Amurathes affectus esset, & Constantinopoli domesticæ seditiones, & civiles discordiæ palàm serperent, & indies latius manarent.

Post

Post Amurathis obitum Mahumeti successori sæpius eadem in animum revocarunt, belli hujus difficultatem ipsi ostendentes, & quanto facilius expeditionem in Hispaniam suscipere possit. Hoc inprimis ipsi ponderandum relinquentes; quod Transylvanus præter omnem spem Cæsari se conjunxisset, unde Turcarum rationes belligerandi summopere impeditæ fuerint. Siquidem Princeps ille juvenis & audax, maxima nunc autoritate apud amicos æque atque inimicos ob ampliſſimas res gestas polleat; qui nunquam ad officium reduci possit, nisi pace cum Cæsare facta ipse excludatur. Sed ejusmodi pacem vix esse sperandam, propter utriusque emolumentum, quod alter ab alterius salute dependere videatur: tum etiam propter confœderationem recens inter eos initam, & novam affinitatem, qua Cæsari non ita pridem fuit junctus. Allegabant etiam Rascianorum rebellionem, & quod Moldaviæ & Walachiæ Waiwodæ secessionem à Turcis fecissent: tum etiam quod omnes Turcarum subditi in maximo timore versarentur, ne vires Imperij Ottomannici à Transylvano non modo deprimantur, sed ne penitus illud regnum destruatur & evertatur.

Hisce Legatorum rationibus & monitis Mahumetes patulas præbuit aures. Illud etiam veritus, ne societatem mutuam Christiani Principes contra se inirent: à qua re Turcarum Imperatores semper sibi valde timuerunt. Igitur ex responso quod legatis dedit, & ipsius quoque actionibus apparuit, ejus animum à pace non esse alienum. Permisit enim Græciæ præfecto (quem Beglerbegum vocant) ut ea de re cum Imperatoris Transylvani & Walachi officialibus ageret.

---

*LXIIX. Cur Turcæ libenter de pace tractent.*
*Ferdinandi Archiducis consilium.*
*Cur Maximilianus Imperator Albam regalē non occuparit.*

Sed verior tamen opinio fuit, Mahumetem etiam tum, non minus

nus quam Amurathem, armatum animum gessisse, maxime vero postquam in Croatia cæsus fuerat; ut amissam scilicet recuperaret gloriam. In qua sententia etiam Ferdinandus Archidux erat. De pace tamen tractare simulare volebat: tum propter rationes superius allegatas, tum vero ut in hac quoque parte usum militiæ, in primis vero Ottomannicæ, sequeretur. Siquidem ea tractatione hostem negligentem & dubium in consilijs definiendis & apparatibus faciendis reddere cogitabat. Sperabat etiam fore, ut durante ea tractatione nostrates tardius & remissius in bello contra eum procederent, ne majoribus injuriis ejus indignationem in se concitarent. Qua in re Maximilianum II in occupanda Alba Regali deceptum fuisse sciebat, dum de pace ineunda cum Solymanno tractaret: quæ licet confecta, tamen non diu pòst, maximo cum Christianorum damno, iterum dissoluta & discussa fuit.

Sed statuamus, Mahumetem eo tempore pacis fuisse cupidum, vel eam nunc serio ab ipso desiderari; expedit tamen ut diligenter quid in hoc negocio rationes nostræ poscant, consideremus. Ego particulatim omnia ea referam, in quibus cardo hujus rei gravissimæ versatur. Quorum quædam ad Cæsarem spectant; quædam ad Transylvanum: reliqua ad dignitatem & emolumentum totius Christiani orbis pertinent. Iudicium penes alios esto.

---

*LXIX. Quas pacis conditiones Turca propositurus videtur.*
*Turcarum mos non restituendi quæ semel in bello ceperunt.*
*Cur Georgius Vacowichius ditionem suam ab Amurathe receperit.*
*Cur Ferat Bei plurima loca Iacobo Soranzio restituerit.*
*Quænam loca à Cæsarianis & Turcis in hoc bello occupata fuerint.*
*De vocabulo Banus.*

Primum

PRIMVM quod in considerationem venit in eo consistit, quod Turca nunquam pacem cum Cæsare & Transylvano facturus est, nisi uterque quæ hoc bello ipsi ademit restituat: econtra ipse haud facile quæ occupavit, inprimis vero quæ alicujus sunt momenti, reddet. Sic enim inter Turcas constitutum est, ut quæ semel ipsorum equi pedibus calcarunt, ubi ea occuparunt nunquam restituant: maxime vero si templa vel Meschitas ibi construxerint, vel commodum & emolumentum inde sperent.

Etsi enim Amurathes II Georgio Wocovichio Serviædominatum, quo ipsum spoliarat, restituerit: id tamen præcipue factum est, quod Amurathes Ungaros, quorum potentiam verebatur, sibi conciliare voluerit. Tum etiam quod Princeps ille, hujus filiam, quæ Græcorum tamen religionem colebat, in matrimonio haberet à patre collocatam. Quod unum ex ijs gravissimis sceleribus existimari debet, propter quæ Deo ultori visum est opibus & libertate plurimos ejus gentis regulos spoliare. Sicut plane eidem Georgio contigit post ultimam illam Ladislai cladem. Unde in Sclavonicis cantilenis vulgò adpellatur *Heviernich*, id est, infidelis.

Veneti quoque Cefaloniam insulam hodie possident: quam Turcico Imperatori auxilio Consalvi Cordubensis (quem magnum Capitaneum vocant) eripuerunt. Sed putat forsitan Turca, hanc insulam sibi parum conducere, vel ejus acquisitionem fore difficillimam. Selymus pace non ita pridem cum iisdem inita permisit, ut Ferat Bei (qui non ita pridem mortuus est Budæ, ubi Bassa fuit) Iacobo Soranzio Reipublicæ legato tredecim oppida prope Zara (olim Zacynthum) sita, quæ Turcæ in bello ipsis ademerant, restitueret, quatuordecim vero prope Sebenicum, & nonnulla prope Spalatum. Cupiebat autem Venetorum amorem eo modo retinere, ut à fœdere Chri-

stianorum, quod maxime timebat, eos distraheret.

Postulata Turcæ, quæ verendum est ne nostris proponat, hæc erunt, ni fallor. Vt sibi restituatur à Cæsarianis, in Croatia quidem propugnaculum munitissimum Petrinæ, & quæ ipsi ad viam, quæ ultra Dravum Canisa usque Bahoz ducit, quæ Sigetho vicina est, erepta fuerunt: tum in Hungaria inferiore Strigonium & Vicegradum: in superiori vero Vaccia Fileckum & Novigradum. Muros etiam Hatwani restaurari petet. Hisce addet tributi augmentum, & ut sumptus quos in bellum hoc fecit ipsi rependantur. A Transylvano postulabit sibi tradi Walachiam: & ut omni suo juri, quod in eam prætendit, renunciet. Lippam ad Marissonem fluvium sitam, arcem maximi momenti Temesvariæ Bassæ ante subjectam dedat; precium Sangiachatuũ duorum Ianomæ, & Bezcherech, aliorumque minus celebrium locorum hoc in bello à Transylvano exustorum, sibi solvi, cum muneribus & annuorum tributorum auctione, poscet.

Contra vero eorum quæ ipse nostratibus eripuit, non est ut quis restitutionem speret. Tenet autem Turevopoliæ ditionem, quæ intra Savum & Culpam sita, olim Banno paruit. Dicuntur autem Banni provinciarum Rectores, Beglerbegis autoritate & potestate inferiores. Nec restituet Biz vel Bicagi: quæ versus mare vergit, non procul à ditione Veneta sita, eâ viâ quæ versus Novigradum ducit: nec in Ungaria citeriori Vesprinum & Iaurinum, nec in ulteriori Agriam quam postremo occupavit.

Hæc fusius à nobis ideò posita sunt, ut quæ loca utraque pars hoc in bello occupavit, innotescat & clarius fiat.

---

*LXX. Imperatorem & Transylvanum neque conjunctos neque disjunctos invicem pacem cum Turca facere debere.*

*Quo nomine Turca se læsum à Transylvano putet.*

SECVNDO loco & hoc considerandum est, si Mahumetes cum ambo-

ambobus pacem facere recuſet, an alter ſeorſum ab altero conſentire paci debeat.

Qui in rebus agendis ſunt exercitati, facile dijudicare poſſunt, ſi hi Principes à mutuo fœdere diſcedant, eum qui viribus erit inferior, vel à pace excludatur, in maximum conjectum iri periculum. Tum hæc animorum disjunctio, fœdera & pacta conventa juramento confirmata, & promiſſionem ſummo Pontifici præſtitam, violaret atque infringeret.

Quod ſi à parte Cæſaris primum offendatur, quis non videt, quanta ingratitudinis & neglecti officij culpa in ipſum ſit redundatura, quod eum deſerat, qui tempore maxime neceſſario in ſuas partes contra Turcam conceſſerit?

Quod ſi Tranſylvanus officij immemor pacem cum Turca ineat, credo erit timendum ipſi, ne in ſummum dedecus apud quoſvis incuriat, quod immemor promiſſionis toties iteratæ, (cujus inprimis tenax eſt) tandem præ formidine conditiones ejusmodi inierit, quas in hunc uſque diem fortiter reſpuerat; licet commoda majora & perpetua protectio, tum ab hoc Mahumete, tum ab ipſius patre Amurathe, oblata & promiſſa fuerint. Quæ ſi Ferdinandus Imp. conſideraſſet, nõ omnis fere Ungaria in jus Turcarum ditionemque conceſſiſſet. Præterea quis tam demens unquam, tamque omnis rationis expers ſit, ut in fide hominis infidelis acquieſcere velit? cui tantùm non ſemper id metuendum ſit, fore ut ad quamvis occaſionem quę Turcę ſpem aliquam lucri faciendi præbeat, fœdera pacis prohibita violet & rumpat, cum hujus rei nunquam prætextus idonei deeſſe poſſint, Barbaris in primis principibus qui fraudi ſtudent. Huius rei teſtes erunt Veneti; quibus Anno 1570 pax fuit à Selymo violata; præter alia exempla infinita, quæ in medium adferre poſſemus. Quod ne ſibi quoque contingat, ſi quiſquam alius Principum, certè Tranſylvanus meritò timere debet. Siquidem

dem domus Ottomannica omnes sibi illatas injurias ipsi soli imputat, & damna hoc bello accepta ab uno se accepisse Transylvano putat. Sola ipsius rebellione (sic illi justum desiderium, quo eximere se Turcicæ servituti voluit, nominant) consilia sua impedita, seque à cursu victoriarum, quas animo jam voluebat, retardatum fuisse. Id porro eo magis metuendum, quod vix ac ne vix quidem tantis Turcarum viribus resistere posset, si in ipsum solum converterentur: nisi vel Polonus vel Imperator manus ipsi porrigat vel cum defendat, quod exiguæ aliàs Transylvani vires & divitiæ sint. Quod si ejus ditiones natura & locorum situ munitæ esse videantur, ut facile ad tempus defendi possint, cogeretur tamen vel sponte sua vel vi coactus immensæ huic potentiæ cedere; quæ universo jam orbi formidabilis est, adeoque propter hominum multitudinem divitias & omnis bellici apparatus copias insuperabilis videtur.

Neque Cæsar omni metu atque periculo vacuus erit, si Transylvanus cum Turca transigat. Id solummodo enim spectat Turca, ut Principes hosce armis semel exuat, & à bello securos reddat; quod milites eorum, ubi semel domum ad propria defluxerint, non facile militiam repetere soleant. Qua re Cæsarem maxime laborare novit: quod bellum auxiliaribus potius quam proprijs copiis gerat, ad quarum collectionem plurimùm temporis, & Ordinum atque Circulorum Imperij conventus requiruntur.

Ex his quæ diximus facile unusquisque intelliget, pacem ejusmodi Cæsari atque Transylvano parum utilem, sed perniciosissimam potius futurum. Quos nempe ubi arma semel deposuisse cognoverit Turcicus Imperator, non erit illi difficile, bellum cum majori commoditate, & locis maxime oportunis redintegrare.

*LXXI. Contra quos belli molem Turca sit conversurus, si pacem cum Cæsare & Transylvano ineat.*

Quod

*Quod Persis non facile bellum mutorus sit.*
*De Turcomannis & Corizzis.*

TERTIO denique & ultimo loco, non modo Cæsari & Transylvano, sed omnibus alijs Christiani Orbis Principibus considerare expedit, quonam certò Turca videatur belli molem in posterum conversurus, si pacem cum Cæsare & Transylvano sanciat, eamque ad tempus conservet? Nam haud dubium est, quin Turcica Monarchia subditos semper novis bellis implicatos teneat, ut quæ originem ab armis sumpserit, & vires inde atque incrementa omnia ceperit.

Quod PERSIAM intentatam sit relicturus, hoc præcipue tempore, & ad bellum non provocatus, inde constat. Quia milites Europæ (in quibus nervus militiæ Turcicæ consistit) ab illa expeditione maxime abhorrent, propter asperum & longinquum iter, & rerum ad victum pertinentium inopiam, tum etiam propter Persarum ferociam, quam non parum timere videntur. Inprimis vero quod non ita pridem Turca cum Persarum rege pacem inierit: & fundamenta recens acquisitarum arcium nondum rectè sint stabilita. Neque Persis unquam decsse milites possunt. Quorum fere tria sunt genera, Turcomanni scilicet, qui nostros vasallos referunt: Corizzi, vel Coryshi, qui stipendia merent: & auxiliarij, quorum nomine Armenij, Georgiani atque alij intelliguntur, qui omnes strenui sunt atque audaces, equites inprimis, è quibus fere solis ipsorum militia constat, quæ maxima est militiæ Persicæ labes.

---

*LXXII. Turca bellum Mulei Ameth Maroccensi regi non inferet.*
*Quid Seriphi, quid Sultani vox significet.*
*De regno Gago.*

NEC adducor, ut credam Mulei Ameth, Regi in FESSA & MAROCCO (quem Mauri Seriphum nominant, quod nomen, sicut Turcarum Sultanus, Regem & Dominum denotat) bellum

lum illatum iri, qnod parum lucri, jacturam vero & detrimenta maxima inde sit facturus. Tum etiam quod Mulei Ameth, (qui fratres habuit Abdalam & Mahumethem) bello strenuus sit & fortissimus. Nam etsi regnante Abdala voluptatibus & libidinibus se maxime deditum simulavit, ut suspiciones quasdam fratris animo eximeret (quod Mahumethem quoque, qui nunc imperat, feciſſe diximus, ut patris iram leniret) attamen ubi post fratris obitum regnum auspicatus est, aliud insuper, quod *regno del Gago* hodie vocant, acquisivit, quod auro purissimo abundat. Vnde tota ejus provincia plus centum dierum itinere circumscribitur, ab Oceano Tripolim usque pertingens.

*LXXIII. Turcæ Maltam non aggredientur, & quod nam in ea re Cicalæ consilium Amurathi datum.*

MELITAM insulam non aggredientur Turcæ. Nam ex Sinani Cicalæ Archithalassi consilio, quod Amurathi dederat, parum ad dignitatem Ottomanniçi Imperij conducet, si immensam suarum opum vim atque potentiam late patentem in exiguæ illius insulæ expugnationem & acquisitionem conferre velint. Ea etiã quin sit futura difficillima, non est dubitandum. Verendũ magis ipsis est, ne successu omni destituantur, quod multo melius nunc quam Solymanni tempore munita sit. Neq; in ea defendenda Equitum sacri ordinis pristinam & innatam fortitudinem atque audaciam esse imminutam scimus. Tum quod à reliquis Christianorum Principibus haud gravate, sed multo facilius nunc, quam olim, auxilia ad eam tuendam impetrari & obtineri possint.

*LXXIV. Turca bellum Hispano non movet.*

*Turcici & Hispanici Imperij termini.*

NEQUE HISPANO Turca bellum mœvebit, spe concitandorum Maurorum. Non enim tanta alacritate & promptitudine hi res novas exequuntur, quanta aviditate eas desiderant.

Eo

Eo vero minus eorum rebellioni insistendum, quod pluribus locis apertis & dissitis sejuncti, ipsi armis minime instructi sint, & eorum fides merito in dubium vocari possit. Igitur in expeditionem tarde & lente proficiscentur, præ metu ne suas domi amittant divitias. Lusitanos & Arragonenses quod attinet (à quibus ex sententia Bassarum regi Catholico aliquid periculi imminere posset) sciendum, hos non modo honestum sub jugum missos, verum etiam sua sponte ipsos necessitati sese & tempori accommodasse. Et qui rerum agendarum sunt periti facile judicare possunt, non leviter exulum consilijs atque instigationibus contra patriam aures esse præbendas, quod multum damni inde sæpius acceperint, qui minus caute in ea re sunt versati.

Nec temere contra se Hispani arma Turcicus Imperator concitabit, quod potentissimus sit omnium Regum Orbis terrarum. Et licet variis in locis bella gerat difficilima, facile tamen ubivis pacem vel inducias inire poterit, ubi à Mahumethe sepeti viderit. Ut taceam, tantam ipsius esse potentiam, ut durantibus quæ nunc gerit bellis, Turcis tamen resistere valeat, classe inprimis quam singulis annis emittere solet. Nec in ea instruenda novos facere sumptus cogetur, ut Turcarum littora & oras maritimas infestet.

Neque potentia vel imperij magnitudine Turcæ Hispanus cedit. Ille quidem latissimas & maximus ditiones possidet. In Asia quidem quicquid Euxino Ponto Sinu Arabico & Persico clauditur, à mari Caspio ad fluvium usque Araxin, & Persiæ terminos, qui magis versus ortum positi. Ab Hellesponto ad Nili ostia pertingit. In Africa possidet, quicquid intra Nilum jacet usque ad Algerium, & in meditullio partem maximam ejus provinciæ quæ Ægypto & mari rubro terminatur. In Europa Buda ipsius imperij est terminus, Constantinopolim usque Nestro, Danubio Ægæo & Adriatico mari clauditur: Euxini littora us-

que ad Tanaim fluvium comprehendens, omnesque porro Asiæ insulas & pleraſque Græciæ. Sed Hiſpani Imperium magnitudine non eſt inferius, quia ab Occidente in Orientem uſque ſeſe extendit, novum orbem complectitur, à Moluccis inſulis, quæ ultimæ ſunt ex orientalibus; ad fretum uſque Herculeum pertingit.

*LXXV. Turca Polonis bellum non inferet.*

*Cur Romani Danubij littora munierint.*

Nec POLONIAM bello petet; quæ Regio ſere in ipſis regni Turcici viſceribus ſita eſt. Pollet inſuper & hominum armatorum & equorum copia; qui ubi Muldaviam & Walachiam ſibi ſubjecerint, trajecto Danubio Bulgariam invadere, vel Romanos imitantes Danubij littora munire; & Conſtantinopolim uſque, quæ caput eſt Imperij, excurrere, totamque eam ditionem devaſtare poterunt. Horum audaciam & ferociam Turcæ jam olim in bellis ſunt experti.

*LXXVI. Turcæ non aggredientur Tartaros.*

Nec TARTAROS aggredientur; quod eandem cum Turcis religionem colant & fœdere invicem juncti ſint; quibus victis parum emolumenti ad victorem ſit perventurum, quod omnium ſint pauperrimi, in campo ſub tentorijs viventes, qui ubi hoſtem ſibi appropinquare ſentiunt, in tutum ſe conferre ſolent, eo diſcedente amiſſa recuperant. Ab illis plurima beneficia recipere poſſunt, ubi amicitiam cum ipſis colunt, nec minora damna ubi eos ſemel irritarint.

*LXXVII. Neque Moſcovitam.*

Neque tandem MOSCOVITAS armis petet; quod regionem habitent glacie congelatam, vel paludibus inviam infœcundam, à Turcico Imperio longe diſſitam. Dux ipſe magna & equitum & peditũ caterva ſtipatus incedit, qui tormentorum & ſclopetorum uſum apprime norunt. Ergo

Ergo vel in Venetam Rempublicam, vel universam denique Italiam furorem suum effundet, si cum Cæsare pacem faciat, quod contra alium ex his quos commemoravimus, bellum moturum ipsum esse vix credi possit.

*LXXIIX. Qua de causa, & quibus modis, Turca Venetos sit aggressurus, & cur omnibus Christianis illud bellum periculosissimum sit futurum.*

*Cur Hispanus merito Venetos juvare contra Turcam teneatur.*

*Turcarum opes frangendi Imperijque excindendi rationem unam esse, si mari superentur.*

*Cur Græcia victa & Constantinopolis capta.*

*Cur Pius* II *Mahumeti* II *scripserit.*

*Ejusdem oratio.*

*Clementis* VIII *Zelus.*

*Venetæ Reipublicæ laus & potentia.*

*Quomodo Turcæ Hierosolymam vocent, & quare à Chazilaris religionis causa frequentetur.*

Si Venetam Rempublicam Turcicus Imperator aggrediatur, maxima omnibus Christianis Principibus, vicinis inprimis, pericula incumbent; quod Italiæ bellum proxime & sedi religionis immineat.

Nam Græciæ Principes in hoc unico fere peccarunt, quod dissidentes invicem, iis quos Ottomannorum armis proxime expositos esse sciebant, opportuno tempore auxilio & præsidio non venerunt; unde omnibus postea idem fuit subeundum periculum, & Imperij habenæ (Deo sic ipsorum luxum & discordias civiles puniente) omnibus pariter fuerunt ereptæ. Inprimis vero ob contaminatam variis erroribus religionem, & legitimum Dei cultum corruptum, severe fuerunt castigati. Nam in Gothorum primum, Bulgarorum & Saracenorum potestatem

conciderunt; tandem misera & deploranda Turcarum tyrannide fuerunt oppressi, qua adhuc illaqueati tenentur. Quod ipsis à Nicolao V Pontifice in literis ad Constantinum Imperatorem scriptis verissime prædictum fuerat. Cardinalis Bessario Italiæ Principibus graviter exprobrat, quod Constantinopolim solis 50 millibus coronatorum juvare noluerint, causaque extiterint ut postea à Turca occuparentur. Qui perpetuo victoriarum cursu Trapezuntem, Sinopem, insulam Lesbum (quæ Metelin hodie) Peloponnesum, Caramaniam cũ regionibus vicinis Pamphiliæ, Bosniam, Bulgariam, inferiorem Ungariam, cum Epiro & maxima parte Dalmatiæ & Illyrici, tandem quoque Eubœam quæ Negropontus dicitur, Imperio suo adjecit. Sed merito in omnium Principum auribus Vrbani Pontificis verba sonare debeant, quibus Christianorum Principes Claromonte Arverniæ urbe congregatos ad Hierosolymitanam expeditionem suscipiendam concitavit, & recuperandam Hierosolymam. Quæ Turcis etiam ipsis Cuzzimubaret, seu locus sanctus & inclytus dicitur, propter Salvatoris nostri sepulchrum, quod illi æque ac Bethlehemum revereri, & ipsorum Chazillarij, qui religionis causa Mecham proficiscuntur, visitare ea loca solent. Neque etiam ignota esse debeat Petri Eremitæ adhortatio ad Christianos Principes habita. Et fratris Iohannis Capistrani conciones, quibus ad 40000 crucigerorum coegerat, qui omnes contra Turcas, in easdem regiones, ubi nunc geritur bellum, se se contulerunt; aliorum etiam piorum virorum, inprimis Pontificum, ardentissimæ admonitiones ad bellum Turcæ fortiter inferendum extant, quarum pleni sunt consiliorum & historiarum Ecclesiasticarum libri. Neque sanctissimus Clemens IIX, qui nunc pontificarum regit, hac in parte suo officio deest, hortando, impellendo: qui velut alter Jacobus, noctes dieque sine cessatione laborat in procuranda ovium Labani salute, id est, fi-

delium

delium Iesu Christi, altaque voce in precibus suis multisq; cum lachrymis Deum pro salute nostra implorat & veneratur.

Hîc omnibus alijs relictis, nobis in præsenti sufficiet ea commemorare, quæ Pius II (qui prolixa epistola Mahumetem II ad Christianam religionem traducere voluit) in Concilio Mantuæ habito, postquam ruinam Græciæ & aliorum regnorum Turcæ subjectorum deploraſſet, in conſeſſu Christianorum Principum, in hanc ſententiam locutus est. *Ipsa quidem æquitas religionisque studium, Illustrissimi & Christianissimi Principes, hoc à vobis flagitat atque requirit, ut aliquando expergiscamini, præsentique animo tandem miseris istis & calamitosis hominibus, qui sub Turcica detinentur tyrannide, subveniatis. Quis quæso vestrum est, qui commune hoc atque nostrum omnium cervicibus imminens periculum non videat, planeque sentiat? Nam ut reliquas pulcherrimas atque ditissimas regiones, quas jam pridem immanissimus ille Tyrannus contra omne jus & fas occupavit, taceam, Adrianopolis & Nicopolis ante paucos annos spacio multo majori à Turcis erant dissitæ, quam illi Christiani sunt, quos non ita pridem in bello cepit, & omni crudelitatis genere miserrime affligit. Ad hoc piissimi religiosissimique Principes vestrum met munus noster Salvator humeris vestris imposuit, vos obstringit atque obligat. Ille enim non modo è faucibus antiqui serpentis vos liberavit, verum etiam Principes & Rectores sui populi vos constituit, ut diligentum Pastorum instar, pro salute gregis vobis commissi vigiletis intrepide, ne à lupis ei quid detrimenti inferatur. Deus, cujus nomen sit benedictum in secula, in manus vobis sceptrum tradidit, gladioque accinxit, atque jussit vos, misericordiam & justitiam exercere, atque tueri bonos, & debellare superbos, omnes privatas utilitates Deo condonare. Cedant divinis humanæ rationes. Sed & propria commoda & humanæ rationes nobis persuadeant, ut arreptis armis fortiter audaciam immanissimæ istius belluæ reprimatis, quæ Lecnis instar rugientis continuo florentissimum Christiani Orbis campum devastat, ut partem aliquam nostrarum vel vi-*

*cinarum regionum deglutiat. Liceat ex alterius damno sapere. Extinguamus ignem, qui parietem proximum atque fratrum nostrorum inflammat, ne consumamur una cum ipsis. Occurramus opportune atque destruamus torrentem hunc rapidissimum atque præcipitem, ne ejus inundatione nosque nostrique agri subito pereant. Ergo agite bellatores inclyti atque fortissimi, vobiscum tandem statuite & decernite, ne ulla ratione seculum in quo vivimus, anteactis minus sit glorioſum minusve celebre, virorum præstantissimorum inopia. Imitamini illum Gotofredum, Balduinum, Boëmundum, reliquosque Argonautas celeberrimos, qui, ut hostibus crucis Christi sepulchrum redemptoris nostri eriperent, propria quævis bona vendiderunt, patriam domosque deserverunt, mare transfretarunt, varijs laboribus atque periculis immensis jactati in mari, fatigati in terra. Nunquam melius thesauros, arma, viresque suas se impendere posse judicarunt, quam in sanctam hanc & laudabilem expeditionem. Quis igitur vestrum erit, qui præeundo alijs sancto exemplo, primus se cruce signabit? Quis ducem itineris, quis comitem sese præbebit? Vbinam sunt Christi milites validissimi, qui glorioſum hoc vexillum sequentur? Quis tandem erit tam impius, ut privata odia atque inimicitias domesticas communi omnium saluti condonare nolit?*

Sed hæc obiter dicta sufficiant, ad quæ non proposito nostræ orationis cursu, sed justissimo quodam & pio ardore dicenda delatus sum, quo & honorem Dei nostri, & salutem tot animarum, quæ Christi sanguine redemptæ calamitosissima Turcarum tyrannide opprimuntur, procurare semper studuimus.

Si igitur ut ad rem redeamus, Turca Venetis quod absit, bellum moveat, periuli quod impendet gravitas necessario requireret, ut omnes Christiani Principes huc solummodo sua conferrent consilia, ne quid illa detrimenti capiat, sed in pristino suo conservetur statu, idque eò magis, quod singulari moderatione omnium Principum favorem retinere, & indignationem

evita-

evitare semper studuit. Ea enim tanquam singulare quoddam mundi ornamentum & Christiani orbis propugnaculum firmissimum, dignissima est, ut etiem propter optime constitutam Reipublicæ formam, quam diutissime floreat, & nunquam à quovis occupata, incorrupta & inviolata libertate perfruatur.

Verùm præ alijs omnibus, ut id faciat, Hispaniæ rex multis nominibus obstrictus tenetur, fœdere nimirum ut se ipsi jungat, vel alia ratione auxilium præstet. Quis enim sibi persuadere poterit, Turcas Venetis devictis à bello quieturos? Quin potius majoribus fruentes commoditatibus universam sibi Italiam subjicere conabuntur, in qua pulcherrimas atque florentissimas regiones Hispanus possidet. Nam reliquorum Principum vires & bellicum robur non sufficiet, ut hosti tam potenti in mari resistere possint, cum mutuis sibi auxilijs, pecunia, milite, commeatu, & navibus aliisque rebus ad bellum necessarijs, raro sibi invicem succurrere soleant.

Quod tamen merito considerare deberent, cum optima Turcas vincendi ratio sit, ut classe ipsis occurratur, & bellum inferatur maritimum, hoc præcipue tempore, quo classem nullam habent paratam, nautis destituantur, navarchis prudentibus & rei maritimæ peritis careant. Tum etiam quod Turcæ à navalibus abhorreant certaminibus, quod difficillima sint, multoque sanguine constent, & plerunque in illis victi fugatique fuerint. Nec eos latet, quin ubi in mari clade aliqua fuerint affecti, in terra quoque facile à nostris vincantur. Ejusmodi consilium Evagoras Cyprius & Conon Athenienſis Persarum regi contra Lacedæmonios dederunt. Sic Marci Antonij classe ab Augusto devicti exercitus, qui jam triumphabat, & 80000 peditum, 22000 equitum constabat, absque prælio victus, & nullo negotio dissipatus est. Hac vincendi ratione etiam Rogerius Calaber, Regis Aragoniæ Almiras, usus est, Galliæ regem magni

gni prælij victorem in mari aggressus, & Gallica fugata classe, amissa recuperavit, atque utriusque victoriæ fructum solus percepit, Quis ignorat quantos Christianorum exercitus successus contra Turcas 1581 & 1572 facere potuisset, si lectis magis idoneis navibus, primo statim impetu Ægæi maris loca præcipua vel Peloponnesum aut Cyprum aggressus fuisset? ut prudentissime sane Venetæ classis Inspector generalis, cui Soranzio nomen erat, in medium consuluerat.

Haud dubium est, Venetam Rempublicam hoc nostro seculo esse potentissimam, non modo propter immensos auri argentique thesauros, quos longa pace cumulavit; omni ære alieno, quod ante bellum proxime gestum & in ipso bello contraxerat, dissoluto, verum etiam propter magnum triremium numerum, commeatus aliarumque rerum ad bellum pertinentium copiam. Quibus rebus instructa, forsitan sola hosti resistere valebit. Idque eo commodius, si quam parvi hostem faciat, inde ostendat, ultro bellum inferando; si Alcibiadis Athenienſis consilium secuta, & belli facto initio strenue pergat, atque aliquos ex locis, quos infra nominabimus, ex improviso occupet, priusquam ille belli justos apparatus facere possit.

Passim vero Reipubticæ hujus Imperium tam probe fortiterque munitum est, ut perparum ipsi à Turcarum machinationibus & consilijs sit metuendum. Inter alia propugnacula, tria hæc *Corcyræ*, *Ascrunij* seu *Cathari*, atque *Zaræ*, inexpugnabilia habentur: idque eo magis quod perexiguo intervallo Venetijs distent, unde subitò præsidia mitti possint. Hæc clavium maris Adriatici vicam obtinent, hostem ab ingressu prohibentes, vel ad regrediendum velociter enm compellentes, ut velut in reti captus detineatur. *Candiæ* sive Cretæ insula, & loci situ & præsidijs firmissimis ad defendendum apprime instructa videtur; ut non nisi maximo cum discrimine, & periculo evidentis-

simo

simo Turca eam tentare possit. Nam si milites in eam exponere velit, natura loci, quod portubus carçat, impeditur: pars altera à milite præsidiario atque incolis strenuis, qui de salute propria solliciti fideliter Principi suo obtemperant, facile hostes ab ingressu arcebunt, ut vel nullas omnino vel certe cum maximo suo damno copias exponere possint, ubi recte ad defendendos insulæ portus in suos ordines dispositi essent. Quod si vero hoc potius quam illud contingat, reliqua tamen hostium manus & classis reliquiæ in maximo versabuntur periculo, ne à nostris vincantur, quod Turca propter regionum suarum longinquitatem suis subsidio venire nequeat. Neque ipsamet Turcarum classis diu in hoc mari versari poterit, absque naufragij periculo, vel metu classis Venetæ, cum qua necessariò prælio concurrendum esset. Tandem *Palmæ* propugnaculum, quod nunc exædificatur à Venetis, non modò Turcis omni tempore, ubi Istriam aut Forum Iulij invadere volent, resistet, sed omnium insuper Barbarorum, qui in Italiam irrumpere conabuntur, vim atque impetum coërcebit.

Et hæc quidem de Veneta Republica sufficiant. Universam quod attinet ITALIAM, superiusà me rationes, quæ Turcicum Imperatorem ad eam expeditionem movere poterunt, recitatæ & expositæ sunt. Nunc quibus itineribus eo pervenire possit, ut respondeatur ijs, qui difficultatem aliquam in hisce rebus ponunt, demonstrabo.

*LXXIX. Si Turca in Italiam bellum transferat, quibus itineribus Turca eam invadere possit.*

Duæ sunt viæ, quæ Turcam è propria ditione in Italiam ducunt. *Prior* quæ optima & equitatui aptissima, Belgrado intra Dravum & Savum fluvios: *Altera* vero citra Savum. Utraque Lubianam usque (quæ Labacum Germanis, olim Nauportus dicebatur) pertingit, fertilissima, & quæ commodissime

bello ſedem præbere poſſet, regio eſt. Urbs autem ipſa facilis occupatu eſt.

Huc cum ventum fuerit, duæ rurſus patent viæ, una quidem verſus Goritiam, altera vero per Peucæ & Karſtiæ provincias Falconis montem uſque, qui Veruca olim dicebatur, ducit. Sic utraque Natiſone ſeu Piſontio fluvio, quem Turcæ aquas albas vocant, finietur. Qui fluvius celebris habetur, tum propter Theodorici Gothorum & Odoacri Herulorum regis res geſtas, tum etiam quod Turcæ non ita pridem huc uſque, atque adeo ad Caſas Cæſarianas (hodie San Caſſano) paſſim omnia devaſtando & deprædando excurrerint. *Prior* Goritiam ducens, propter commeatum & ad deducendum equitatum multo eſt commodior. *Poſterior* tamen, etſi aliquantulum ſaxoſior, & in Peuca ſylvæ ac anguſtiæ quædam eam difficiliorem reddant, inprimis vero prope Sceleſcnytabor, arcem præſidio paucorum ruſticorum munitam; attamen non eſt prorſus invia & equitatui inacceſſa. Hanc Attila tenuit, cum Tergeſtum & Aquileiam peteret.

---

*LXXX. Cur Theodoricus Monſalconem, Odoacer Gradiſtam, Veneti Palmam munierint.*

*Aliæ viæ, quibus Turca in Italiam venire poteſt.*

Hæc cauſa Theodoricum Gothorum regem, ubi Italiam ſibi ſubjeciſſet, movit, ut locum, quem Falconiſmontem vocant, ad eam viam poſitum muniret. Cum non ita pridem ante Gradiſta ab Odoacro, qui tunc Italiæ imperitabat, exædificata fuiſſet; quam tamen paulo poſt ipſe Theodoricus à Zenone Imperatore contra Odoacrum cum exercitu miſſus, occupavit. Harum arcium extruendarum cauſa eadem fuit, quæ Venetos ad ædificandam Palmam contra Turcas movit.

Sed Turcico exercitui alius patet in Italiam aditus, ne Conſtantinopoli diſcedentes Belgradum pervenire cogantur. Si videlicet

delicet unam prædictarum viarum ingrediantur,& versus urbes Nis & Præcup tendant (sunt enim ibi angustiæ quædam non procul ab urbe Sophia)relicta Alba Græca ad manum dextram; vel denique relicta Sophia urbem Novibazar petent,& per Ducatum Herzecovinæ in Bosniam versus Bagnalucam iter instituant, & continuo rectoque cursu, duorum tantum dierum itinere, Venetam ditionem attingent, prope eum locum ubi Turcarum exercitus quondam convenire solebant, quando Italiam invadere destinarent. Hæc via plana est, & trahendis vehiculis tormentis atque alijs impedimentis commoda. Hinc Ammianus Marcellinus scribit, Gallum Juliani fratrem curru Petovia urbe Polam usque vectum fuisse.

*LXXXI. Quomodo Turcæ Italiam bello maritimo aggredi possint. Exempla Augustæ, Cotronæ, Rhegij & Montis sancti Angeli. Vires & regimen Italiæ. Thucydidis judicium de cavendis periculis.*

Sed ut majori damno Italiam afficiat Turca, uno eodemque tempore partem exercitus terrestri itinere eo mittere poterit, partem vero classe. Quod Mahumeres II facere tentavit, & huic qui nunc regnat à Sinano Bassa anno præterito persuasum fuerat. Eo videlicet consilio, ut Hispanus & Veneti tanto facilius invicem disjungantur, si Venetis in mari Adriatico quid negotij atque periculi creetur: Hispanus vero in Siciliæ & regni Neapolis littoribus bello petatur, vel Calabria atque Apulia devastetur; Omnia timore atque damnis involvendo.

Nec oblivioni adhuc tradita est Hydruntis occupatio, quæ tempore prioris Mahumetis contigit. Sentitque adhuc Curia Romana, quanto metu perculsa non ita pridem fuerit, cum in Tyrrheno mari Turcica classis apparuisset. Nam Italiæ littora legendo, Subsolano Noto & Austro spirante, vel Zephyro aut Africo flante, è Barbaria usque Centum Cellas (quæ Civita

Vecchia hodie) excurrere poteſt. Notiſſimum eſt, quid Auguſtæ, Cotronæ & Rhegij Turcæ: quidve ante illos Saraceni in monte Gargano, quem hodie Sancti Angeli nominant, deſignaverint.

Equidem ſcio, non abſque maxima difficultate Turcarum deliberationes, quarum ſuperius parte ſecunda hujus libri meminimus, in effectum produci poſſe, quod nobiliſſima hæc provincia, ut rem breviter complectar, paradiſus atque deliciæ orbis terrarum, natura & operibus perfecte munita, divitiarum & incolarum abundantia repleta; commeatu etiam abundet (niſi ex divina quadam pœna; vel ob alios caſus fortuitos, ſegetes minus lætæ atque uberes interdum proveniant) à Principibus denique Catholicis ſtrenuis gubernetur, & contra vim hoſtium defendatur. Inde rectiſſime concludere poſſumus, Turcam ſi eam invadat, breviter propia domicilia eſſe repetiturum, vel ſepulchrum ipſi Italiam futurum, quod multis alijs ante ipſum Barbaris contigiſſe novimus. SED cum veri Politici prudentia præcipiat hoſtem formidare, eumque nullatenus contemnere, ut Thucydides monebat; quo majori cum induſtria & cautione de remedijs quibus vinci poſſit deliberetur atque ſtatuatur, noſtri quoque officij eſſe rati ſumus, breviter remedia quædam proponere, quibus pericula, quæ à Turcicis machinationibus Italiæ imminere poſſint, evitentur, quæ etiam in bello, quod nunc geritur, commode adhiberi & uſurpari queunt, quod Turcæ diligentiſſime ſibi ab illis caveant, eaque formident.

## LXXXII. *Quomodo bellum Turcicum declinari, & aliò diverti poſſit.*

*Veterum quorundam opinio ſuper hanc rem.*

*Martini Segenij ſententia.*

INTER alia remedia, quæ, poſtquam Mahumetes II Hydruntum occupaſſet, in medium fuerunt allata ut Turca ex Italia depel-

leretur,

leretur, hoc quoque quod Martinus Segonius Episcopus Olchinensis (hodie Dulcigno vocant) proposuit, non fuit postremum: Illud ad Sixtum IV Pontificem scriptum misit, cujus hæc fere sunt verba: *Pannonum Rex cum suo exercitu confœderatisque populis præsentet se ad Danubium, fama præcedente, quod in Rasciam sit trajecturus. Futurum inde, ut omnium Turcarum multitudine sibi obviam ad Istri trajectum progrediente, gentes nuper Valonam & ad alia Epiri maritima loca missæ ad Italiam transfretandæ, statim ob metum Pannonum ad castra Turci revocentur.*

SED cum pro unico Hungariæ rege & Cæsarem habeamus & Transylvanum, de utroque quod satis est loquar. Ut cognoscatur, quanto cum detrimento totius Christianitatis hi Principes pacem, vel hoc saltem tempore, & tam subito, quod multi verentur, ineant. Docebo insuper hunc certissimum esse modum, ut reipublicæ status in tuto collocetur, ne à potentibus adversarijs invadatur, quem etiam quivis duces præstantissimi maxime approbarunt. Nam Hannibal Antiocho consuluit, ut Macedoniam infestaret, ne Philippus auxilia Romanis suppeditaret. Idem consilium Hiero Siculorum rex Romanis dedit, ut videlicet in Africam bellum transferrent, quo Carthaginenses impedirentur, ne novum exercitum ad Hannibalem in Italia belligerantem mitterent.

---

*LXXXIII. Alia rationes, ob quas Imperator pacem cum Turca inire non debeat.*

*Quid Mahumetes in futurum sit facturus.*

*Itinera, quæ Turcas Viennam ducunt.*

*Tria alia itinera ostenduntur, quibus Turcæ in Italiam pervenire possint, si Viennam cepissent.*

*Cur Mahumetes exercitum ex Croatia revocarit.*

IMPERATOR jam totus est in armis occupatus, & licet quædam loca ipsi fuerint erepta, alia tamen non minoris momenti in a-

missorum locum cepit. Nec bellum difficile est, propter regionem & propinquitatem. Milites jam arma tractare didicerunt; forti animo horribilem hostium clamorem contemnere norunt; frigori alijsque hyemis incommodis sunt assuefacti. Ipsi duces in disciplina militari, qua contra Turcas utendum est, probe sunt instructi. Quod si exercitus Christianorum primus in hostico compareat, vel obsidione vel ex improviso occupare quædam ex locis amissis conari debent, quod in tempore vix auxilium laborantibus Turcæ laturi sint. Nam qui domicilia repetierunt quovis tempore in Ungariam redire non possunt, ob fœni herbæ & commeatus inopiam. Qui in propugnaculis limitaneis hybernarunt, vix ad eorum defensionem, ut taceam aliorum offensionem, sufficient. Nec pauci erunt, qui quovis modo domi manere studebunt propter inediæ famisque metum, aëris que inclementiam quam valde perhorrescunt.

Præterea non absre sperare possumus, fore ut potentissimi æque, atque minoris conditionis & nominis Principes Germaniæ tandem aliquando suo fungantur officio; quia non modò de defendendis Ungaris, quos odio maximo prosequuntur, verùm etiam de ipsorummet conjugum liberorumque salute, & divitiatum conservatione agitur. Quod si forte quis eò dementiæ deveniat, ut eadem libertate & opportunitate bona quæ possidet, sub Turcarum Imperio se conservaturum confidat, hic de tota re facilime certus fieri poterit. Græcorum tantummodo spectaculum Tragicum & horrendum sibi ob oculos ponat; qui ubi semel à Turca fuerunt devicti easdem perpessi sunt calamitates & miserias in quas Hebræi inciderunt. Rege enim & imperij ornamentis omnibus privati, libertate & divitijs exuti, & quod vix sine horrore dicere possum, jucundissima consolatione, quam ex dulcissimo amplexu charissimorum liberorum percipere solebant, destituuntur. Ad hæc si bellum continuetur,

tur, nemo quidem jure dubitare poterit, quin Principes Imperij etiam inviti Cæsaris atque ipsorum met defensionem suscipere cogantur. Siquidem semper hoc illis timendum erit, ne Turcæ copias suas, vel contra Toccaium ducant ut Cæsaris atque Transylvani conjunctionem protinus impediant, vel contra Viennam expeditionem suscipiant. Quod Sinan nuperrime Mahumeti persuasit, ostendens illi, qua facilitate expugnari possit, quæ gloria inde ad illum redundatura, & quantum momenti expeditio illa habitura sit, quod capite male affecto reliqua membra cuncta debilitentur.

Quod exercitum ex Croatia revocaverit, non id factum tam ut suspicionem & æmulationem Italis Principibus, qui de rebus suis valde sunt solliciti, adimeret, Venetis in primis, qui ea de caussa in Palma munienda strenue pergebant; quam potius ut copias undiquaque colligeret, quibus instructus expeditionem Viennensem majoribus viribus suscipere posset. Verum ut ut res sese habeat, constat interim, nullis Venetorum muneribus & donis ad hoc ipsum fuisse adductum, ut falso nonnulli crediderunt.

Porro ut periculi magnitudo innotescat, considerandum: Mahumetem à teneris annis hanc expeditionem animo voluisse, semperque in eam inclinasse. Ab eo sane tempore patrem Amurathem sollicitare nunquam destitit, ut gloriam, quam ex hac expeditione sperabat, sibi relinqueret. Quod si res ex voto ipsius (quod Deus clementer avertat) cederet, non modò gravissimam jacturam facturum esset Romanum Imperium sed Italia quoque; siquidem ea urbs clavis instar aditum in utramque regionem præbet. Quarum posteriorem Turcici Imperatores tanquam ultimum scopum suorum consiliorum semper sibi propositum habuerunt. Nam citra ullum impedimentum ad laurini propugnaculum usque (quod ex consi-

lio

lio Alfonsi Ferrariensis fuit constructum, unde Turcis ad devastandam Austriam & Stiriam patet aditus) pervenire possunt, intra Danubium & Dravum facto itinere. Quod si Vienna quoque in ipsorum potestate esset, facilime Italiam invadere possent, duabus vijs. Quarum una per Tirolensem Comitatum & Alpes, quæ sunt prope Tridentum, in Veronæ campos ducit, vel Bassanum versus. Prius iter Alaricus fecit, posterius verò Germani milites sæpius, ubi in Italiam profecti sunt. Altera via rectà per Villacum in Forum Iulij versus Venzone vel Cividale tendit. Sed & adhuc alia patet, per quam Barbari sæpius Italiam sunt ingressi, videlicet per Tolmez, quæ est in Carnia, & Cadore versus progreditur: verum hæc minus commoda illis esset futura.

Sed inter alia quæ obstant, quo minus Cæsari debita auxilia & subsidia mittantur, tria potissimum sunt observanda, quæ hic nobis recitanda erunt.

*LXXXIV. Rumores quidam in Imperio sparsi impediunt auxilia debita, quo minus in tempore Cæsari mittantur. Consilium Petri Moldaviæ Waivodæ.*

PRimum igitur rumores quidam inter eos qui aliam quam Pontificiam religionem in Imperio sequuntur, gliscunt: fore ut Cæsar eos ad amplexandam religionem Pontificiam cogat, si victoria contra Turcas potiatur. Quod & Principes & subditi pessime execrantur. Illi quidem propter usurpata bona Ecclesiastica, quæ post mutatam religionem fisco suo addixerunt: Hi vero quod ministri & concionatores ipsis continuo inculcare soleant, præstare Turcico Imperatori quàm Pontifici Romano obedire; unde probare videntur, Calvinismum proxime ad Mahumetismum accedere. Vita etiam licentiosa & voluptuaria, quam ipsis agere licet, in illo errore eos confirmat.

*Secundo* nonnulli libere profitentur, fore ut Cæsar pacem ineat,

ineat, quod ab Imperij Ordinibus lente & tarde auxilia ipsi ferantur, & debita subsidia nunquam integre mittantur. Vereri enim Imperij Ordines, ne frustra sumptus faciant; & vero ad pacem omnes inclinare dicunt. Id multis alijs Christianis Principibus occasionem præbuit (Poloniæ regi inprimis & Venetis) quo minus se contra Turcas movere voluerint: verentes ne in medio periculo deserantur, & sumptus inutiliter collocent. Sed hujus rei forsitan alia subest causa, quod nonnulli, qui inclytæ Domui Austriæ minus favent, falsò & perverse spargere ausi sunt, Imperatorem parùm ad bellum inclinare: tardioremque esse factum, tum propter conjurationes quasdam nefarias nuper detectas, tum ob prædictiones cujusdam Angli, videri. Verumtamen si vel propter hasce, vel propter alias considerationes Cæsar pacis est cupidus, multò consultius fuisset in belli statim principio quam hoc tempore eam procurare & inire; quemadmodum alibi quoque multis rationibus, & argumentis clare ostendimus. Quod & consuluit Ferdinando Archiduci Petrus Moldaviæ Waiwoda; qui anno 1594 in montibus Rhæticis prope Balzanum mortuus est, cum Romam ad osculandos B. Pontifici pedes, quamvis religione Græca imbutus, veniret: de quo ego, mandatu ejus, apud Pontificem egeram.

*Tertio* denique est loco, quod Ordines Imperij sumptus tam immensos ferre nolint, nisi quæ bello capiuntur Imperio acquirantur: Contra vero Cæsar illud nunquam permissurus sit, propter jus quod Austriaca Domus in Hungariæ regnum habet. Unde utraque pars res difficilimas in consilijs proponit, quæ nunquam exitum sortiri possunt. Nec immerito credimus, Cæsarem optime nosse, quanti præjudicij res sit, si omnibus Principum postulatis morem gereret, quod hi re ipsa minime sint præstituri quæ verbis pollicentur.

Et hæc quidem de Imperatore.

*LXXXV. Transsylvani virtus bellica seu fortitudo.*
*Cur Turcæ ipsius vitæ insidientur.*
*Vaticinia Turcarum de fine & eversione Imperij Ottomannici.*
*De voce Musulman.*

QVOD ad TRANSYLVANVM attinet, qui secundus est, quem vices quodammodo Hungariæ olim regis in bello gerendo obire dicere quis possit; dubium non est, quin propter religionis studium & innatam magnanimitatem acerrimus Turcarum hostis sit. Res enim ab ipso hactenus in bello gestæ (quicquid sane alij contrà garriant) universo mundo testatum faciunt, ipsum manu promptum & strenuum, in deliberationibus magno judicio præditum, ejusque consilia felicem semper habuisse exitum; quæ tria veteres sapientes in quovis duce necessariò requirebant. Sed hæc non à Fortuna fictitia, sed à Deo qui est dominus exercituum, illi tanquam secundo Davidi vel Judæ Machabæo, fuerunt concessa: cujus patrocinio contra omnem hostium vim strenue defenditur.

Turcæ ipsum vehementissime timent propter antiqua vaticinia; quæ licet levia sint & parvi facienda, magnum tamen omnibus Barbaris timorem & formidinem incutere solent, Mahumetanis præcipue qui absoluto omnia fato tribuunt. Hoc inprimis illos terret, quod dicatur; fore, ut ex Transsylvaniæ rupibus aliquando Princeps prodeat, qui vincat & in nihilum redigat Ottomannicum Imperium. Idem fere refert Flavius Vopiscus in vita Imperatoris Floriani, suo tempore de Principe Hungaro, qui Barbaros omnes suo imperio sit subjecturus, prædictum fuisse. Simile quippiam (quemadmodum Principibus adulatores nusquam desunt) habet Cajus Suetonius de Imperatore Galba.

Insuper Turcæ firmiter credunt, Mahumetanam sectam

ultra

ultra mille annos non duraturam (qui forsitan brevi finientur) neque Musulmannos (sic Mahumetani se invicem vocant, quasi recte de religione sentientes) ultra quatuordecim vel quindecim Imperatores esse habituros. Errant igitur, qui septendecim ordine numerant, siquidem Mahumetes, qui nunc imperat decimus quartus vel quintus est, si Mosen vel Musan annumerare quis velit.

Denique constat, Turcas magnopere Transsylvanum timere. Vnde non modò diabolicis præstigijs ipsius magnanimitatem debilitare, sed etiam vita eum privare conantur. Opinantur enim, secreta ipsum consilia etiam Constantinopoli tractare, ut seditionem ijs in locis suscitet. Id facile ipsum effecturum putant, quod Transsylvani libentissime ipsius imperium sequantur, & Walachi Rasci Bulgari Siculi alijque populi bellicosissimi & audacissimi sibi dominum & Principem sæpius poposcerint.

Id quod paulò fusius demonstrabo, cum harum gentium notitia ad cognitionem rerum, quæ in bello, quod nunc geritur, plurimùm conducat.

*LXXXVI. De Transsylvanis Moldavis & Walachis. Cur Romani tributum Dacis pependerint.*

Non injuria TRANSSYLVANI inter bellicosissimas Europæ gentes numerantur. Hi cum Moldavis & Walachis sub antiquo Dacorũ nomine intelliguntur; quos Romani adeo formidarunt, postquam Domitiani exercitum deleviſſent, ut eis tributum annuum sub Domitiano & Nerva atque Trajani imperij initio pependerint, ne ultra Danubium depopulatum excurrerent. Neque id Turcas latet, propter clades quamplurimas, quas sub Corvino, duobus Bathoriis, & eo qui nunc vivit, acceperunt.

*LXXXVII. De Michaele Waivoda Moldaviæ, ejus subditis & Dracola.*

Michael MOLDAVIÆ Waivoda à Turca quondam Principarum obtinuit, hodie Transſylvano paret: ſub cujus protectione procul dubio manebit, quod Turcis amplius fidere non poſſit, cum ſæpius ab ipſo irritati læſique fuerint. Inprimis verò morte eorum, quos Aſſan Baſſa pacis tractandæ cauſſa in Walachiam miſerat, quos Michael necavit.

Non ſolùm autem Walachi (quorum præſtantiam in rebus bellicis Turcæ ſub Dracola duce ſunt experti) ſed etiam plurimi Hungari & Transſylvani, nonnulli Albani Bulgari & Raſciani ſub eo militant. Tormentarios paucos habet, quibus etiam Transſylvanus deſtituitur, quod gentes illæ, inprimis vero Hungari, cominus quam eminus pugnare malint. Plærique equites ſunt, lanceas geſtantes, neque facile hoſtium conſpectum fugiunt.

*LXXXIIX. De Raſcianis, & cur ulteriora Danubij littora occuparint.*

Raſciani in Concilio Conſtantienſi SIRFI adpellati fuerunt, ex Myſia ſuperiore orti, quæ hodie Raſcia & Servia dicitur. Quondam propter bella Turcica ulteriora Iſtri littora occuparunt, hodie prope Temeswar & Lippam locisque vicinis habitant. Turcarum Imperio ſe ſubtraxerunt & Tranſylvano nunc ſerviunt.

*LXXXIX. De Bulgaris & Alexandro Magno.*

Bulgarorum quidam omnem eam regionem uſque ad Danubium incolunt, quam Myſiam inferiorem antiqui vocarunt, è regione Walachiæ ſitam. Alij vero cum Græcis in Thracia, alij in Macedonia juncti Servianis & Albanis ſeu Epirotis habitant. Strenui ſunt & bellicoſi. Nonnulli qui domicilia ſua deſerverunt, Transſylvano parent. Et plures ſe ipſi jungerent, niſi rebus neceſſarijs, quibus ipſos ſuſtentare poſſet, deſtitueretur. Suntque maxime idonei ad rebellionem in patria & locis finitimis

timis excitandam, si quis eos ad id perpetrandum seriò instigaret; maxime vero si Transsylvanus illud faceret, quem præ omnibus alijs in summa admiratione habent, nec minus ipsum venerantur, quam Magnum illum Alexandrum: qui fere ipsorum sympatriota fuit, Pellæ natus, quæ Macedoniæ urbs est. Non indocta ab Hieronymo Frachetta Transsylvani cum Alexandro Magno facta est comparatio in oratione, quam ad Principem illum perscripsit.

*XC. De Siculis, & tumultu inter eos excitato.*

Siculi denique, qui montes versus Poloniam & Moldaviam incolunt, rustici sunt, & Tartaris potius quam Christianis similes. Vnde rectius Scythali nominari debent. Plerique sunt pedites, bombardis utentes, pauci vero equites. Anno 1595 Transsylvanum secuti sunt in Walachiam contra Sinan Bassam proficiscentem. Promissa ipsis fuerat immunitas à nobilium exactionibus, cum obtulissent se aliam regionem parem magnitudine illi, quam tunc incolebant, occupaturos : sed cum quæ promissa fuerant minime fuissent præstita, dum Princeps ipse Pragæ morabatur tumultum excitarunt. Qui tamen facile sedatus fuit, præcipuis quibusdam autoribus capite mulctatis.

*CXI. Transsylvanum re pecuniaria maxime juvandum.*
*Consilium Demosthenis & Soranzij.*
*Damno maximo Christianum orbem affectum iri, si Transsylvanus cum Turca transigat.*

Neque Transsylvanus tamen omnes, qui militiæ nomina dare volunt, quique libenter sub ipsius auspicijs militaturi essent, in militum numerum recipit, quod ea pecuniæ vi destituatur, quæ ad solvenda stipendia tam numeroso exercitui sufficiat; sine quibus tamen sub imperio & disciplina milites teneri non possunt, neque ad victum & commeatum prædæ, quæ agun-

tur, vel segetes quæ ibi proveniunt, sufficiunt, belli præsertim tempore, ubi plerumque omnia in pejus ruunt.

Dico igitur atque concludo, optimum belli cum Turca gerendi modum Principes Christianos nactos esse, ut quiete interim ipsis domi desidentibus bellum ab ipsorum ditionibus remotum sit, atque furor ipsius atque potentia infringatur & debilitetur, si autes præbere atque obsecundare velint Demosthenis consilio, quod Athenienſibus dedit, cum cives Olynthi Thraciæ urbis contra Philippum Macedonem auxilia ab ipsis poscerent. Ego, licet cum summo isto oratore nulla re sim comparandus, hoc tamen aperte fateri audeo, optimum ad salutem communem procurandam consilium fore, ut prompte juveni huic animoso & audaci pecuniarum copiâ prospiciatur. Quod aliqua parte à Pontifice & Hispano jam factum est. Ut scilicet & hi & alij Principes partem thesaurorum, quibus à Deo ditati sunt, ad ejus nominis gloriam & salutem omnium propagandam impendant. Nihil enim reperiri potest, quod prosperos contra hostem successus magis impediat, quàm pecuniæ inopia, qua consilijs prudentissimis sæpius mora infertur. Nihil nunc dicam, quod majores belli apparatus sine ea fieri non possint. Redituum suorum partem maximam in stipendia militum conferre cogitur. Bipartitum enim habet exercitum. Quorum alter in Walachia contra Turcas in excubijs est, ne quid incommodi illis in locis accipiatur : alter vero ad Transylvaniæ & Moldaviæ fines ipsis Moldavis & Tartaris alijsque hostibus est oppositus. Nec injuria quis vereri possit, ne Transylvanus, si rebus necessarijs destituatur, quibus sese in eo, quo nunc versatur statu, honeste sustentare, & bellum viriliter promovere nequeat, conditiones alias, vel magis pias, vel quæ ipsius securitati melius conducant initurus sit, priusquam infideli & ethnico alicui Principi ditiones suas concedat, vel ei se submittat.

Quod

Quod si fiat, subvereor, ne Christianus orbis maximum inde patiatur detrimentum, propter tanti bellatoris tamque strenui ducis jacturam. Cujus rei quædam jam nunc indicia emergere videntur.

DIXI Cæsarem & Transylvanum commode & honeste pacem cum Turca inire non posse. Nunc ultimo loco ea proponam, *quæ Turcæ pertimescunt*, ne si à nostris adhibeantur, in maximum ipsorum damnum & perniciem redundent.

---

*XCII. Quantum sibi à Christianis Principibus Turca timeat.*
*Quæ auxilia ad Hungaricum bellum, Dux Mantuæ, Hetruriæ, & Pontifex Romanus contulerint.*
*Quid Veneti quondam à Pontifice requisiti, contra ejusmodi hostes facere consueverint.*
*Cur defensores religionis Christianæ dicantur.*

PRIMÙM igitur Turcæ verentur, ne Italiæ Principes tandem aliquando & Cæsarem & Transylvanum, vel exercitu vel pecunia juvare decernant. Vidit nuper Hetruriæ Ducem ad illud bellum fratres & nepotes suos in Hungariam misisse: eundem Transylvano duces belli & pecuniam suppeditasse. Vidit Pontificem Romanum nepotem suum copijs instructissimis eò ablegasse, quorum operâ & Strigonij & Vicegradi occupatio facilior contigit, & quod ambos pecunia hactenus juvarit: quod ipsum continue facturum putat, donec bellum finiatur. Vidit Mantuæ Ducem bellum sua præsentia cohonestasse. Unde Turcæ animis præcipere cœperunt, fore ut ad ejus exemplum reliqui quoque Italiæ Principes animum ad bellum applicent.

De Venetis quoque non parum sibi timet, ne inviti tandem arma capere cogantur, vel propter commoda propria, vel ut Pontificis mandatis morem gerant, à quo indies ea de re sollicitantur. Quod etiam sub Leone IX Nicolao II Gelasio II Alexandro II Calixto II Clemente III Honorio III Nicolao IV

aliis.

aliisque Pontificibus fecerunt. Unde propter egregiam navatam operam, non modò summa ab Imperatoribus & Pontificibus privilegia obtinuerunt, verùm etiam titulo *defensorum & propugnatorum religionis Christianæ* fuerunt insigniti. Quapropter Turca omni ratione cavet, ne illos sibi infensos reddat, omnibusque illorum postulatis libentissime atque promptissime assentitur.

*XCIII. Causæ, cur Turcæ defensivum potius quam offensivum bellum sint gesturi, si Polonus bellum ipsis inferat.*

Præterea etiam magnopere Turcæ metuunt, ne POLONIÆ REX contra illos sese moveat. Sciunt illi à Pontifice maximam vim pecuniæ ad Turcicum bellum offerri: cui (quia mediocris & infirmæ sunt conditionis homines) in eo regno avidissime inhiant, quod nulla alia ratione gratiam sui regis commodius se acquirere posse putant, undeque mercedem postea ab ipso accipiant, quam si in bellum ipsum sequantur.

Hanc suspicionem auget, quod Hispanus ad Regis Poloniæ literas non ita pridem responderit: ad quem prius scribere noluit, propter offensiones nonnullas, quæ in pacis tractatione inter Polonos & Maximilianum Archiducem contigerunt.

Novit quoque Turca, quod defensivum potius quam offensivum bellum ei gerendum foret, si Poloni seriò ipsi bellum inferant, unde sibi maxima damna atque pericula imminere intelligit. Idque *propter tres causas.*

*XCIV. De Moldavia; & quomodo Pontifex ejusque ministri Ieremiam Waiwodam tractare debeant.*

Quarum PRIMA est, quod necessario Moldaviam amittet. Quæ Satrapia à Poloniæ rege non ita pridem Ieremiæ Waiwodæ fuit concessa, qui à rebus nostris non videtur prorsus alienum habere animum. Neque etiam negligendus est, quod Turcarum

carum machinationes mature explorare, & omnis commeatus copiam exercitui suppeditare poterit.

Summa igitur Pontifici ejusve ministris adhibenda erit cura, ut Ieremiam hunc nunquam sibi non devinctum habeant; & sòlerter prospiciant, cujus generis & conditionis homines ad ipsum ejusmodi negotiorum tractandorum caussa ablegentur, & quibus verbis ad ipsum literæ exarentur: cum isti homines veri sint Davi & Getæ, quos in fabulis suis introducit Terentius, id est, natura sagacissimi & suspicaces. Honores ipsi quoque exhiberi, & quos ille vel Romam vel ad Nuntios Apostolicos miserit, benevole excipi consultissimum fuerit. Nam Turca omni ratione eum sibi adjungere studet, vel ut à nobis ipsum divellat, vel ut eum decipiat, quo artificio Ottomannici sæpissime usi sint. Præstat igitur quantum fieri poterit amicum ipsum & benevolum habere.

## *XCV. De Cosacchis.*
### *De Ianlo, Suitta & Iano.*
### *De Vosia & Borysthene.*

SECVNDA causa est, quod Cosacchi majori cum audacia & sine metu Turcas sint aggressuri: siquidem Poloniæ regi parent, (quemadmodum Vscocchi Romano Cæsari) & ab ipso Præfectum seu Generalem accipiunt, cujus imperium milites sequuntur. Tum etiam quod facta ipsis potestate Vosiam comburere possint. Quæ Turcarum propugnaculum est ad Borysthenis ostium sita: Polonis Occhiacovia, Moldavis vero Dassova dicta. Nam & anno 1583 Bendcram exusserunt, duce Ianzo Ungaro, qui à Stephano rege ipsis præpositus fuerat. Alia quoque damna sæpius ipsis intulerunt sub Suitta Russo, & Comite Iano Basilij ducis Ostroviæ filio, alijsque ducibus Polonis. Ipsi insulam quandam in Borysthene incolunt, quæ quatuor dierum itinere à Vosia distat, vocaturque Cirches. Fluvius vero ab ipsis Nis,

vulgo Nepet dicitur. Bombardis & arcu dexterrime utuntur, naturæ inclinatione & professione Turcis sunt infensissimi. Ideoque eorum plurimi Transsylvano vel Michaeli & Jeremiæ Walwodis serviunt: alij Cancellarium Poloniæ sequuntur: alijin Podolia sparsim habitant. Omnes tamen Turcas æque atque Tartaros infestis animis atque armis prosequuntur.

*XCVI. Demonstrantur aliæ rationes, quod bellum Poloniæ rex cum maxima utilitate Christiani orbi Turcis inferre queat.*

*Errores nonnullorum, de Moldavia, Walachia, Islakia, Moldavia, Bogdania, & Carobogdania.*

*Sinani Bassæ postulatum & Cancellarij Poloniæ ad idem responsio.*

*De Dacia Ripensi.*

*Cur Constantinus à Zosimo fuerit reprehensus.*

TERTIA denique & ultima ratio est, quod soli Poloni iter nobis Constantinopolim versus facilimum reddere & aperire possint. Si quidem eò nostris aliquando erit necessariò tendendum, modò præclari quippiam perficere velint. Et si Polonus hosti bellum indicat, Transsylvani exercitus transitum per Walachiam liberiorem habebit. Nam si relicta Walachia Moldaviam petere velint, iter ipsis foret multò difficilius; tum quod mari nimis sit vicinum, tum etiam quod Bulgariam petentibus retro proficiscendum sit, ut pabulationem facilem habeant, & infaustum Varnæ locum evitent.

Obiter hic errores nonnullorum deregam, quod non minus gratum, quam utile lectori futurum puto, idque alibi etiam me feciss memini. Jovij igitur insignis error est, quod Walachiam & Moldaviam describens, easdem plane confundit, ambiguo Polonorum verbo deceptus. Aliorum non minor est error, qui Walachiam eam provinciam, quam Ungari Transalpinam minorem, nominant; quæ si cum Moldavia conferatur, ma-

jor

ior potius dici merebitur. Hi quoque credunt Walachiam, quam Turcæ Islakiam vocant (sumpta denominatione ab antiquis Flaccis Romanis) iisdem etiam Bogdaniam & Carabogdaniam dici. Siquidem eo nomine Turcæ Moldaviam intelligunt; vel quod ea genere frumenti, quod Turcicum vel Saracenicum vocant, abundet: vel quod unus è Moldaviæ Principibus, quibus cum Turcæ bella gesserunt, Bogdano vel Theodorus seu Adeodatus fuerit appellatus, addito vocabulo Cara, quod nigredinem significat. Moldavia etiam à Davis primis inhabitatoribus nomen accepit, & à mollitie atque fœcunditate glebæ & terræ potius, quam à nigredine: unde falso alicui Mori Davia vocatur.

Sed ut ad Poloniam revertamur, responsum hic subjicere lubet, quod Cancellarius ejus regni Sinano Bassæ, tributum pro Imperatore poscenti, non ita pridem dedit. Ille enim per nuncium quendam Cancellario denuntiabat, ut citra moram tributum, quod prætendebat, solveret; quod si facere renueret, se continuo ipsum à limitibus regni ad mare usque glaciale expulsurum. Huic postulato Cancellarius responsum dedit: se videlicet nō expectaturum, donec Sinan ipsum aggrediatur in patria, sed ubi vim contra se parari intellexerit, se Turcicum territorium invasurum, & Danubij littora ab utraque parte muniturum, ut transitum amplius quo velit progrediendi liberum habeat.

Et hæc quidem est Dacia illa Ripensis, quæ, ut habet Procopius, à Romanis munita fuit. Vnde Zosimus Constantinum graviter reprehendit, quod propugnacula illa ad Danubium constructa negligeret. Quorum vestigia apparent adhuc in Roscic, Vidimo, Nicopoli, Silistria, & alijs in locis quæ hodie à Turcis possidentur.

*XCVII. Quomodo Moscovitæ, ut bellum Turcæ inferat, persuadendum sit.*

*Quomodo Pontifex Romanus à Turcis & Persis vocetur.*

*De Califa.*

*Cur Turcæ Moscoviæ ducem timeant.*

*Quomodo Moscovitæ ad religionem Romanam converti queant.*

*Quid Legati Moscovitæ Imperatori nostro renunciarint.*

Turcicus Imperator Pontificem Romanum non modò pro capite Principum Christianorum agnoscit, penes quos ea polleat autoritate, ut facile quosvis contra se in bellum protrahere & firmo fœdere conjungere valeat: verùm etiam pro temporali Principe illum habet, propter dominium quod in Italiæ aliquot regionibus non infimi nominis possideat, cumq; Franchbeg, seu Principem Italiæ, & Rumbeg, seu Romæ Principem nominat. Persæ vero Rumscah dicunt. Halife vel Chalisa ipsis vocatur, qui supremum locum inter ipsorum sacerdotes obtinet.

Veretur igitur Turca, ne Pontifex magni nominis legatum ad MOSCVM mittat, cujus opera inter eum Principem & Imperatorem pax sanciatur; vel ipsi saltem persuadeat, ut Tartaros in Ungariam proficiscentes transitu prohibeat; quod qua ratione fieri possit, superius demonstravimus.

Abhorrent quoque Turcæ à Mosci armis (quem Czar vel Cæsarem Moscovitæ nominant) tum quod subditis suis absolute imperet, & solus sit qui eam ob rem cum Turcico Imperatore conferri possit: tum quod in recenti adhuc memoria teneant clades, quas sæpissime à Moscis acceperunt Turcæ. Maxime vero, cum non ita pridem Tanaim cum Volga fluvio conjungere cogitarent, Mosci cum Tartaris Præcopensibus maxima clade ipsos affecerunt. Habent enim & Turcici Imperatores commentarios rerum à suis majoribus gestarum.

Sed & alia subest causa, cur Turca meritò Moscovitam suspectum habeat; ne videlicet de unione quadam inter ipsum & Pontificem in religionis negocio ineunda tractetur. Quod sub Adriano VI, Leone X, & Clemente VII, fuerat tentatum; ut Albertus

bertus Campensis scribit,& Antonius Possevinus Jesuita in libro de Moscovia, quem Gregorius XIII ad Johannem Basilidem Ducem Moscorum eandem ob caussam misit, occasione sumpta à bello, quod tunc Johannes cum Stephano rege Poloniæ gerebat.

Suspicatur etiam, ne Pontifex Moscovitam Generalem & caput omnium, qui religionem Græcorum sequuntur, constituat. Quod si fieret, periculum foret, ne Græci qui sub Imperio Turcico vivunt rebellionem excitent, ipsique se conjungant. Neque hæc res alias difficultates habitura esset, præter summam rerum ignorantiam, quæ passim in Moscovia grassatur; ubi nemini libere conversari, & Evangelium de Christo prædicare licet.

Nostrum erit Deum sollicite precari, ut è tenebris densissimis, quibus adhuc istarum gentium animi obcæcati tenentur, ad clarissimam Evangelij lucem eas vocet, & Principi, qui nunc regnat, mentem Basilij illius inspiret, qui operâ Johannis Daniæ regis à Julio II Pontifice petijt, ut ad Concilium legatos mittere sibi liceret.

Hanc suspicionem auget, quod Maronitæ qui in Syria Libanum montem incolunt Pontifici se subjecerint, à Jesuitis ad id persuasi. Quorum exemplum & Russiæ Episcopi nonnulli & ipsorum subditi, operâ Sigismundi II regis Poloniæ, ante paucos annos secuti sunt; ut Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis scriptum reliquit. Hæc conversio tantò majoris facienda, quod opera & ministerio horum Episcoporum vicini Moscovitæ facilius ad eandem religionem converti poterunt, perque Moscoviam citra magna pericula & immensos sumptus in Asiam ad prædicandum Evangelium Christi liber aditus patebit.

Denique etiam hoc Mahumetes veretur, ne quoties Cæsar strenue contra Turcas bellum gerat, Moscovita arma quo-

que capessat; quod ejus legati ad Cæsarem cum ampliſſimis muneribus proxime missi ultro obtulerunt.

*XCIIX. Qua ratione Pontifex efficere possit, ne Tartari Turcæ auxilium ferant.*

*Cur hactenus minori, quam sperabant Turcæ, numero comparuerint.*

*Alipe Han tractatio cum ministris Pontificis.*

*Cur Vsbegh Han ab Amurathe offensus fuerit.*

*Lites inter Alipe Han, & ejus fratrem Harach.*

TARTAROS quod attinet, tum qui liberi sunt tum qui Tartaro Crymæo parent, de ijs quoque Turcicus Imperator subueretur, ne Pontifex legatos, qui autoritate & judicio valeant, ad eos mittat, & præcipuos eorum duces pecunia corrumpat, ne in ipsius gratiam in bellum proficiscantur: quod in Helvetia sæpius cum fructu tentatum & machinatum fuit. Qua in re Pontificis nomen aperte publicare & profiteri expedit. Siquidem Tartari de ipsius thesauris, & autoritate maxima quævis sibi pollicentur, eòque facilius ipsi gratum facturi sunt. Quos etiam à Cæsare & Transsylvano pecunia corruptos fuisse Turcæ suspicantur: quod ea multitudine in Hungaria non comparuerint, quam promiserant.

Scio etiam quosdam nostrorum fidem huic famæ dedisse, sed deceptos fuisse inde constat, quod Alip Han cum Nuncio Pontificis tractarit, ut contra fratrem Hirach ipsi auxilium impetraret, quò in tranquillo rerum suarum statu permanere possit. Cum igitur domi negocium ei crearetur, copiosum exercitum extra regnum mittere non voluit. Alij hujus rei causam eò referunt, quod Tartari ab Amurathe graviter offensi fuerint, in pacis tractatione cum Persa inita. Quam nunquam illi fieri volebant, priusquam tantum territorij Persæ ademissent, quo liberè è sua regione Mecham usque contendere possint, ne Turcicas

cicas ditiones attingere cogantur. Sed horum error in eo deprehendi potest, quod non Tartari Crymæi, sed illi qui Vsbeg Han obediunt, gravissime ab Amurathe fuerint offensi; non propter causam modò dictam (quod Turcicas ditiones necessariò transire cogantur, qui ex Tartaris Mecham tendunt, ersi totum Persiæ regnum sibi subjecissent) sed quod in ea pace ab Amurathe nulla ipsorum ratio habita, sed maximo cum suo detrimento neglecti fuissent.

Minus vera adhuc fuit ratio, quam absentiæ suæ ipsimet Tartari apud Turcas prætexerunt; quasi à Moscovita impediti & retardati fuissent. Constat enim inter ambos illos fratres mutua exorta fuisse odia & contentiones. Alipe Han regnum avitum conservare, Hirachi eum inde pellere conatus est. Vnde tota illa regio tumultibus & factionibus repleta & agitata fuit; ad quam defendendam pars utraque quas potuit vires collegit. Alipe quidem etsi rebus ille præsit, non omnibus tamen Tartaris imperat. Neque Hirachi imperium alij, quam quorum ipse in hoc bello dux est, agnoscunt. Quem etsi quidam putant fore ut de fratre triumphet, quod Mahumetes severe omnibus edixerit, ut huic soli obediant, & hunc pro rege agnoscant, ipsumq; in bellum sequantur: attamen qui in rebus Tartarorum melius sunt versati, eosque exactius norunt, contrarium statuunt, non modò quod etiam inter Barbaros illos jus naturæ valeat & observetur, sed potius quod Hirach à suis parum ametur, siquidem avarus, & neque judicio neque fortitudine præditus sit.

Ultimo loco etiam hoc Turca videtur timere, ne scilicet Pontifex & Hispanus terra marique ejus ditiones ad seditiones irritent, ut ea ratione præcipuas ipsius machinationes invertant, atque in nihilum redigant.

Qvod cum plurimis modis fieri possit, operæ precium me facturum puto, si quod res est breviter indicavero.

XCIX.

*XCIX. Turca veretur, ne ad SEDITIONES ipsius subditi concitentur.*

*Quibus modis & quo prætextu uti debeant, qui ad hoc negocium perficiendum à Christianis Principibus emittuntur.*

PRIMVM Christiani Principes, & inter hos Pontifex præcipue, varias in regiones Turcæ subjectas ministros emittere poterunt. Quibus ut major habeatur in excitanda rebellione fides, ij eligendi erunt, qui originem ex ea ad quam mittuntur regione trahunt. Inprimis vero decet, ut linguæ sint periti, quo ipsi intelligant alios & ab alijs ipsi quoque intelligantur: ut judicio valeant: præcipue vero ne pecunia ipsis desit, qua Principes populorum cum quibus tractant corrumpere possint, potentioribus verò remunerationem amplam & splendidam promittendi potestatem habeant. Tandem ut eo facilius in regiones illas admittantur, neque citò expellantur, convenit, ut omnes suas actiones religionis prætextu regant. Non ut serpentem sub herba abscondant, quemadmodum perversi Politici solent, sed ut semen verbi divini inter spinas errorum densissimas spargant. Eo utentes prætextu, quasi Ecclesias in Tartaria, vel Circassia, Bulgaria, Walachia, Moldavia aut Græcia restaurare velint.

Præterea cum territorium Turcicum, illud inprimis quod in Europa possidet, partim à Turcis naturalibus vel ijs qui Christianam fidem ejurarunt, partim à Christianis incolatur, non absre Mahumetes veretur, ne aliquando seditio inter ipsos oriatur. Inprimis vero si exercitus ipsius à Christianis in fugam verteretur, vel præcipui quidam ipsorum duces ære corrumperentur. Inde sane rebellio generalis existere facilime possit, cum maximo ipsius damno, ne dicam interitu. Quo stratagemate Cæsarem deviciſſe quondam Iubam legimus.

VT vero melius intelligantur, quæ de rebellione excitanda diximus, convenit, ut qui sint illi populi, quos modò nominavimus, amplius explicemus.

C. De

*C. De Turcis naturalibus, quare animis exulceratis sint.*

TVRCÆ NATVRALES, seu qui è priscis istis Turcarum gentibus originem trahunt, etsi ingenij bonitate ijs, qui fidem Christianam ejurarunt præstent, pessime tamen contenti sunt. Ut exigua opera ad rebellionem excitari possint, si ejus rei ducem oportunum nanciscerentur. Causa irarum inde procedit, quod omnia militaria officia, in quibus & honores & divitiæ in illo Imperio positæ sunt, inter Renegatos distribuuntur; paucissimis exceptis, quibus ex singulari gratia, vel Sultanarum filijs aliqua conceduntur. Inde evenit, ut nihil magis honestum, inter omnes qui se Musulmannos vocant, reperiatur, quam Imperatoris mancipium vocari, nihilque infamius sit, quam Turcæ adpellatio, quæ rusticum denotat. Quemadmodum Græci sub voce Nomadis, eum qui in Numidia natus erat, & rusticum intelligebant: hinc enim & Strabo Scythas Nomades vocat. Unde non incommode modernus quidam scriptor animadvertit, eundem morem apud Turcas observari quem Itali habent. Ubi enim hi in suis Comœdijs Zanos introducunt, qui rustici sunt Bergomates: sic illi in suis fabulis Turcam habent, sub quo hominem rudem incultum & rusticum repræsentant. Alij vocem hanc ab Hebræis derivant, qua exulem significari volunt; propter easdem rationes, ob quas Tartari se nominant reliquias, qua de re vide superius.

---

*CI. De Turcis qui fidem Christianam ejurarunt.*

SI TVRCÆ, QVI FIDEM CHRISTIANAM EJVRARVNT, ea gratia à Deo illuminarentur, ut recognoscere possent quam præstans & singulare bonum amiserint, non est dubium, quin statim rebellionem excitarent, & Turcicum Imperium protinus subverterent. Siquidem penes hos solos & autoritas & divitiæ, quas & fides & obedi-

entia ſubditorum neceſſario ſequitur. Sed cum ingenijs corruptiſſimis præditi ſint, ipſiſque liberum ſit in omni feroeia ac licentia pluſquam belluina vitam agere, atque abſolutam quidvis agendi & deſignandi poteſtatem habeant, malunt hac infami libertate gaudere, quam rebus novis ſtudere.

---

*CII. Quomodo Chriſtiani à Turcis vocentur.*
*De Græcis, Armenis, Georgianis, Iacobitis, AEthiopibus & aliis.*
*Iudicium Solymanni de Hæreticis.*
*Rebellio in regione Plana ſub Gordano VVaivoda.*

CHRISTIANI à Turcis *Chiauri* id eſt gentiles & infideles dicuntur, idque propter multitudinem rituum variorum & diverſorum, quos præcipue ij qui in Imperio Turcico vivunt obſervare ſolent. Miſeri enim cum ignorent unam eſſe Eccleſiam, unum Baptiſma, atque unicam fidem; Græcorum alij; alij Latinorum ceremonias habent.

Sed de his qui à Græcorum religione deſciverunt, ut ſunt Georgiani, Armenij, Æthiopes, Jacobitæ, atque alij, qui ſub Turcico Imperio in Aſia Africa & Europa habitant, dicere ſupersedeo, quod alij ante me prolixius de iiſdem ſcripſerint: Tum etiam quod res ſit difficilima, ut hi propter ipſorum diverſos mores, & longinquitatem regionum ad concitandam rebellionem inſtigari poſſint; unde Turcico Imperio aliquid damni creari poſſit.

Etiam hæreticos omitto, qui è varijs provincijs in Turciam ſe contulerunt, ut majori libertate fruerentur & venena ſua ſpargere poſſint; ſiquidem & Turcæ eos deteſtantur & abhorrent, quod turbatores ſint publicæ tranquillitatis (quemadmodum Solymannus ad reginam viduam Tranſylvaniæ olim perſcripſit) & hi parum aut nihil ad præſentem rem quam tractamus conferre queant. De

De ijs tantum *Græcis* dicam, qui noſtro propoſito conducunt nulla religionis habita ratione, quid de ijs ſperare poſſimus, quod rebellionem in regno Turcico promovere velint, oſtendam. Græci itaque naturæ quodam ſtimulo imperij cupidi, novitatis procul dubio ſunt avidiſſimi, ſiquidem præter modum à Turcis omni crudelitatis genere premuntur, rebellionem non inviti amplectuntur, quâ ſperant tanquam ultimo remedio ſe jugum immaniſſimæ hujus tyrannidis & ſervitutis excutere poſſe. Maximè vero ſeditioni ſtudere videntur, qui Peloponneſum & Theſſaliam aliaſque regiones ad mare ſitas incolunt; quod auxilijs peregrinis facile illis ſubſidio veniri poſſit. Sed hos omnino hoc ſtudio ſuperant Serviani, qui ab Albaniæ montibus ad Danubium uſque habitant. Inter hos varijs nominibus adpellantur, qui Dardaniam incolunt, videlicet, Piperi, Cucci, Clementes, Bellopauligi, & alij in regione Plana. Ex hïs multi Albani more Romano vivunt, neque adhuc ſub jugum Turcicum plane miſſi ſunt, quod loca munita, & præcipitia montium habitent, ipſi vero natura ferociſſima præditi ſint. Hujus rei illuſtre non ita pridem ediderunt ſpecimen, tyrannidi Turcicæ ſubtrahere ſeſe volentes. Cum enim fama ad ipſos manaſſet, Mahemetem ad Agriam victum & cæſum fuiſſe, rebellarunt & arreptis armis Turcarum, quos in ſuis regionibus reperiebant, maximam ediderunt ſtragem, duce Gordano Waivoda, atque ulterius progreſſi fuiſſent, niſi contrarium mox intellexiſſent. Peſſimè igitur contenti latibula ſua & montes repetierunt.

---

*CIII. Cautelæ quædam in ſeditionibus movendis obſervandæ.*
*Cur Turca Abyſſinorum regi fere totam provinciam Bernacaſſi eripuerit.*
*Quomodo Chimeriotæ & alij à Turcis fuerint puniti.*

*De Clissa & cur Murlacchi contra Lencovicium pugnarint.*

SED hæc res inulta non mansit. Siquidem à ministris Turcicis severissime fuerunt castigati, unde non modo magis perterriti, sed etiam gravioribus supplicijs continuo oppressi. Duces quidem capite plexi; reliqui filijs orbati, alij occisi, & quod supererat facultatum & pecuniarum, exiguum licet, omne tamen ipsis ademptum fuit. Hinc adparet verissime Joannem Boterum in Africæ descriptione, & Antonium Brunum in tractatu de Beglerbegatu Græciæ scripsisse, difficilimum esse tale quippiam tentare, nisi adsint vires ad continuandum, & modi ad producendam rem ad felicem exitum. Alias enim scilicet crabrones, ut habet proverbium, excitantur, hostes irritantur, & enses ipsis ad feriendum in manus traduntur, atque adeo ipsis autoribus nocentissima, & ijs qui eos sequuntur periculosissima omnis ejusmodi actio esse solet; maxime verò si omnia, quæ occurrere possunt, non recte considerentur, vel consulantur, aut justo & opportuno tempore incipiantur.

Quod quam verum sit, in *Abyssinorum rege* non ita pridem vidimus. Cui Turca fere totam Barnagassi regionem ademit, quod Lusitanis faciliorem in mare rubrum aditum concessisset, ab ejusque ministris naves Lusitanorum receptæ, & omni re necessaria contra Turcas adjutæ fuissent. Ab eo tempore Arabes muniverunt & occluserunt suos portus, qui antea omnibus patebant.

Idem quoque *Chimeriotæ*, quorum superius memini, experti sunt. Ab Athanasio enim Lichnidensi (hodie Ochrida dicitur) Episcopo persuasi rebellarunt: cum sperarent ab Imperatore (cum quo Athanasius se conspirasse dicebat) & Hispano auxilia sibi missum iri. Tandem multis suis damnis, & conditionibus durissimis Turcæ reconciliati sunt.

Nec

Nec dissimile accidit nostro tempore Ducatis ipsorum vicinis, qui à Pirro Bassa cum Sangiachatui Delaini adhuc præesset, pessime tractati, tandem in Neriho fuerunt transportati.

Et ut alia antiquiora omittam, ea quæ Coronæ, & Castelnovi sub Caroli V. imperio contigerunt, quæ in Clissæ occupatione non ita pridem facta sunt, consideremus. Nam donec Cæsarianos in arce illa occupanda sibi affuturos Murlachi credebant, fortiter sese gesserunt, licet pauci numero fuerint. Verum illi conspecta ea paucitate militum, quorum copiam multo majorem sibi polliciti fuerant, è montibus in subsidium Turcarum progressi, ipsummet Lencovicium Cæsarianorum ducem aggressi sunt, & in fugam compulerunt; palam profitentes se Turcico Imperatori fidem debitam servaturos.

---

*CIV. De Latinis exteris.*

*Cur Amurathes Christianos qui Constantinopoli morantur occidere voluerit.*

*De Caffalucchis.*

*Quomodo bellum civile in Turcia excitandum.*

*Quomodo varij libri & scripta in Turciam spargi possint, qui Turcis errores, in quibus hærent, detegant.*

*De Sophilariis & Erdevil.*

*Confessio & mors notabilis aulici cujusdam juvenis.*

*Laudantur illi principes qui ejusmodi libros imprimi curarant.*

Sed ut ad eas gentes revertar, quæ in Turcia habitant, superest, ut de LATINIS aliquid dicamus. Quorum aliqui tantum peregrini eas regiones frequentant, alij continue ibi morantur. Illi mercaturam vel suo vel aliorum

nomine exercent; & parum Turcis officere poterunt, cum neque ducem habeant neque arma, & paucissimi sint atque hinc inde per regiones sparsi.

Quidam Latinos, qui Constantinopoli vivunt cum alijs Christianis ritibus tamen differentes, conjungunt, eosque putant maximam atque Turcis perniciosissimam seditionem machinari posse. Siquidem in ea urbe major ipsorum copia, quam Cairi Aleppi vel Ecbatanæ quæ Tauris hodie, aut quavis alia urbe reperiatur. Perâ tamen conjunctâ, quæ fere à falsis Christianis incolitur; paucis Caffalucchis seu Theodosianis, qui è Caffa seu Theodosia à Mahemete eo deducti fuerunt, exceptis. Quare tanto facilius coire propter vicinitatem, & armis sibi prospicere posse videntur: sed hisce Turcæ diligentissime Christianos istos spoliare solent, ut rebus suis tanto melius consulant. Hinc regnante Amurathe, qui proxime mortem objit, factum est, ut qui tunc Constantinopoli fuerunt Christiani vitæ periculum adierint; accusati videlicet, quod in aliquas urbis plateas ignem immisissent; quo flagitij genere falsò quondam sub Nerone Christiani quoque incusati fuerunt. Jusserat igitur Amurathes, ut passim nullo habito personæ respectu in frusta eos dissecarent Janizari. Sed horum Aga Turcico Imperatori, quantum periculum propter eorum multitudinem sententiæ hujus executio adlatura esset, demonstravit; tum etiam quod tributa imminuerentur, & jus gentium violaretur. In Christianorum ergo vicem mulieres quædam Hebrææ, quæ Amurathi hoc consilium dederant, occisæ fuerunt.

Alij putant, præter Turcarum suspicionem, ministros quosdam sub negationis prætextu in ditionibus Turcicis, Constantinopoli vero inprimis, constitui posse, qui donis liberaliter alios corrumpant, aliorum ambitionem foveant, vel iras & inimicitias inter præcipuos Bassas excitent, & civile

bellum

bellum accendant. Quod non ita pridem facilime evenire potuisset, si quis sedulo æmulationes & inimicitias Bassarum fovisset promovissetque, Ferati videlicet & Hibraimi, Pirri & Mustafæ, & Mehemetis, atque ultimè defunctorum Sinani & Ferati; vel illas etiam, quæ adhuc inter Cicalam & Hibraimum viventes gliscunt. Sed hoc negocium Principis potentis divitias requirit, & ministros qui judicio & prudentia valent. Minùs vero difficultatis hæcres habitura esset, si plures fratres eodem tempore ad imperij culmen aspirarent; quod sub Mahemetis, Bajazetis & Solymanni filijs evenit, vel si naturali & legitimo hæredeImperium hoc destitueretur.

Et cum duobus modis hominis voluntas, eò quò volumus pertrahi possit, vel vi coacta vel rationibus persuasa: nonnulli putant, rebellionem in Turcico imperio non solum modis supra dictis excitari posse, verum etiam si Turcis, qui fidem Christianam ejurarunt, & Janizaris inprimis, partim ipsorum ortum & nativitatem, atque etiam Baptismum quo fuerunt initiati, ante oculos quis poneret, partim vero nugas & fabulas Alcorani à Cardinale Cusano & alijs descriptas ostenderet. Multo tamen commodius libri ea de re lingua Sclavonica & Arabica conscripti illud efficient; quod Johannes Andreas Maurus & Alfacquius ex urbe Sciativa ortus fecerunt. Qui Sclavonica lingua scripti erunt, in Europa spargantur. Qui vero Arabica, ab Indis Mozambiquam Africæ ditionem usque; vel Zofalam & Quiloen Asiæ provincias; vel in Moluccas, in Covien, Goa, Dium, Ormuz, & alias urbes, quas Turcarum mercatores frequentant: vel in Oran aut Arzila aliaque loca Hispanis subjecta; vel denique per loca Ethnicorum amicorum, & confœderatorum, videlicet Calicut Zeilam Cambaia, ad Turcas deferantur; quin & in omnes Europæ partes, quæ Turcas attingunt; quo in noticiam ipsorum perveniant. Quod si forte libri ejusmodi

modi penes Turcas eundem effectum, quem apud nos, qui rerum novarum ſumus cupidi, non habeant, quod ab ijs Turcæ magis abhorrere videantur quam nos, qui ijs curioſe ſtudemus: magni tamen alicujus boni occaſionem aliquando præbere poterunt, ſi quis potens novæ cujuſdam ſectæ autor exiſtat, qui maxima copia aſſeclas undiquaque ſibi conciliet. Quod in Germania Anglia & Gallia contigiſſe novimus, atque adeo inter ipſos Turcas in Africa, & in Perſia inter Sophilarios; qui Ali ſectam, qui quartus Maumetis prophetæ ſocius numeratur, ſunt amplexi, quæ poſtea ab Erdevil fuit renovata, quem Iovius Arduelem vocat, eumque patrem Iſmaelis, cui Sophi cognomen fuit, conſtituit. Nec ſilentio mihi prætereundum, quod non ita pridem ſub Amurathe Conſtantinopoli contigit. Quo regnante quidam ex juvenibus qui in Seralio enutriuntur, occaſionem legendæ ſacræ ſcripturæ nactus, errorem quo irretitus tenebatur, inſpirante gratia divina agnovit, & in conſpectum Amurathis perductus ei aperte in faciem dixit, ſi damnationem æternam evitare velit, ut impiam ſuperſtitionem Mahemetis abjiceret, & contritus toto corde Ieſu Chriſti fidem amplecteretur. Cumque propter hanc loquendi alacritatem & audaciam, tanquam ob enorme ſcelus, condemnatus eſſet ut vivus palo ferreo transfigeretur publice, tam audacter eandem vocem ad populum protulit, ut complures permoti & divino ſpiritu incenſi indigniſſime ejus mortem tulerint, itaque commoti verbis injurioſis & minis Amurathem fuerint inſecuti; ut niſi Janizari ad primum ſtatim plebis impetum præſto fuiſſent eumque cohibuiſſent, dubio procul ſeditio periculoſiſſima in ea urbe conſecuta fuiſſet. Maxima igitur laude Hetruriæ ducem digniſſimum judicamus, quod plurimos libros utiles & bonos literis Arabicis imprimi curat, qui in Africa & alibi diſſeminentur.

nentur. Quæ res etsi non ita pridem ab Antonio de Flores Neapolitano opera Siriffi fuit impedita; futurum tamen, ut effectum aliquando sortiatur, quem Gregorius XIII. & qui nunc vivit Pontifex aliique boni sæpissime exoptarunt, speramus.

---

*CV. De Albanis & Latinis, qui in regionibus Turcicis vivunt. De Ducaginis, Preserenno, Giustendil, & duabus Iustinianis.*

SEd cum inter Christianos, qui in Turcico Imperio continuum habent domicilium, maxima ALBANORVM copia sit, de ijs aliquanto prolixius mihi dicendum erit.

Albani nonnulli Latinorum, alij Græcorum ritus observant. Non modò Albaniam incolunt, quæ ab occasu Olchinio urbe (vel Dulcigno) & Labeatide palude, seu Lago di Scutari finitur, ab ortu vero Bastia, quæ Corcyræ insulæ opposita est; sed etiam in alijs Peloponnesi & Græciæ locis habitant, quò vel belli occasione, vel ab Imperatoribus Orientalibus seditionum cavendarum causa transportati fuerunt.

De *Albanis qui Latinorum religionem sequuntur*, scribit Brunius ipsorum compatriota in Tractatu superius allegato; eos optime armis instructos, & fide sincera Christianam fidem servare, semper strenuissimos ab omnibus habitos, & propter continuos ipsorum motus Turcas pessime sibi ab ipsis timere. Propter causas scilicet quasuis minimas tumultuantur, non modò qui in planitie verum etiam qui in montibus habitant. Qui tamen inviti postea ad officium redire animosque submittere coguntur, cum soli Turcis resistere non valeant, minusq; etiam Christianis vicinis, à quibus plus sæpius damni patiuntur, propter continuas deprædationes, quàm à Turca, assimulatione fidelitatis. Sangiachi quoque sæpius ipsis rebellandi occasionem præbent; vel ut prædas

ex ipsorum ditione agant, vel ut sese ulciscantur, aut iustam causam domi manendi habeant ne in bellum proficisci cogantur. Eum in finem & Sangiachus, qui in Ducaginis residet, nunquam inde se commovet, sicut & Angeli Castri præfectus; eo videlicet prætextu, ut domi regionem à Christianorum incursionibus saluam conseruet.

*Ducaginenses* in monte Scardo habitant, qui ad confinia Perenopolis (hodie Preseremo dicitur) in Dardania positus est. Hæc urbs ad Albaniæ limites sita, maiori ex parte ab Albanis quam Servianis inhabitatur. Errant igitur, qui hanc cum Guistendil eandem esse putant, quod trium dierum itinere hæ invicem distent, in eadem licet provincia sitæ. Errant quoque qui Guistendil primam non vero secundam Iustinianam esse putant; quique Preseremo vel Guistendil Iustiniani patriam statuunt, quem Lychnidi seu Iustinianæ primæ, quæ hodie Ocrida vocatur, natum esse, multis argumentis probari potest.

Qui à via regia & trita longius habitant, eos montium asperitas tuetur, quò minus tributa soluere cogantur. Mons vero, quem incolunt, Niger dicitur; quo nomine plurimi alii in Turcia nominantur.

Albania, qua parte ad mare Adriaticum vergit, altissimis montibus clauditur. In meditullio plana & multis atque maximis fluviis irrigua. Quibus pedites impediuntur, quo minus se, cum volunt, cum reliquis Christianis, qui ibi habitant coniungere possint; Equites non habent; neque tenent rationem pontium construendorum. Loca munitiora in Turcarum manibus sunt, à quibus nullo firmo præsidio custodiuntur. Quod (inquit Brunius) ideo dicere libuit, ut opinionem eorum refellamus, qui hasce gentes sine exterorum subsidio egregii quippiam præstare posse contra Turcas existimant, quique putant illis famam Italici

lici vel Hispanici auxilii vexillo tantū sublato ad seditionem movendam sufficere; quemadmodum Ludovici Mediolanensium Ducis legatus Carolo VIII Galliæ regi demonstrarat. Vtinam hæc aliquando eveniant, sed absque miserorum istorum damno & periculo! neve opportunitas in posterum quippiam efficiendi inde omittatur.

*Et hæc quidem de Turcis naturalibus, Renegatis seu Apostatis, Græcis, & Latinis qui in Turcia commorantur, dicta sufficiant.*

*CVI. Quomodo Turcarum loca maritima occupari possint.*

VLTIMO denique loco Turcicus Imperator veretur, ne Hispani naves, quas in regno Neapolis in Sicilia & Genuæ in statione habent, cum Pontificis Melitensium Florentiæ & Sabaudiæ Ducum navibus conjungantur; quæ classem haud contemnendam efficerent, qua ex improviso secundo vento spirante, vel Castellum novum, vel Velonam vel alia Albaniæ loca aggrediantur, & occupent. Quod si Venetæ Reipublicæ hac in re parcerent (quæ imperium maris Adriatici sibi vendicat, propter rationes, quas recenset Hieronymus Bardus) Peloponnesum invadere, vel Dardanellos (qui sunt Sestus & Abydus) vel alium quempiam magni momenti locum eius imperii adoriri possent.

Quod equidem diligentissime ponderari debet. Ideoque in gratiam benevoli lectoris, qui forsitan situs & munitionum horum locorum perfectam cognitionem non habet, speciatim quid dicam; ut quinam commodissime oppugnari, & qua ratione facilime expugnari possint, intelligatur.

*CVII. De Castelnovo, & propugnaculo Varbagno, quod à Scanderbego fuit eversum.*

CASTELNOVVM in Asciuvii canali, qui hodie di Catharo dicitur, situm est. Huius ingressum angustiæ

quædam ostii difficilem reddunt. Vbi non ita pridem à Iacobo Soranzio Venetæ classis imperatore (Proveditorem ipsi vocant) propugnaculum Varbagno, quod Turcæ ædificarant, eversum fuit.

Ad hunc locum expugnandum cuniculis res agenda esset: sed è regione finitima facile ab hostibus subsidio veniri potest. Ab Hispanis quondam occupatum fuit, sed contra furorem Barbarossæ diu illud retinere nequiverunt: magnam tamen apud Turcas laudem (ut ex ipsorum annalibus patet) Hispani hinc sunt consecuti.

## CIIX. De Velona & promontorio Sanctæ Mariæ.

VELONA, quondam Aulon navale dicta, in Albania ad extremitatem maris Adriatici sita est, è regione Apuliæ promontorii S. Mariæ, quod olim Iapygium dicebatur, & 60 milliaribus Italicis Hydrunto distat. Portum triremium capacem omnino non habet, nisi ad tria milliaria proxima. Introitus defenditur paludibus stagnis & salinis. Propugnaculum non est adeo bene munitum. Ad illud tamen occupandum duo prius castella è medio tollenda essent; alterum in planitie positum oppido fere contiguum, opera Pignatelli Neapolitani exulis constructum: alterum in alto situm, milliari unico ab urbe distans; quod Canina vocatur, & à Turcis incolitur, Christianis inde propter suspicionem pulsis.

## CIX. De Albania.

ALBANIÆ reliqua loca quæ occupanda forent, vel in meditullio sita sunt, vel ad mare quæ tamen portus non habent. Regionis incolæ à majorum virtute plurimum degenerarunt. Qui licet quondam fortissimi contra Turcas extiterint, maxime vero sub Georgio Castriota seu Scanderbeg, idem tamen nostro tempore præstare non possunt,

quod

quod non modo hostis domi ipsis imperet, sed fere nunquam ab ipsorum latere discedat; quod tunc temporis aliter sese habebat. Hodie etiam ad exiguum numerum redacti sunt; & ducem non habent, qui fortis prudens & rerum Turcicarum sit peritus, locorum regionis gnarus, & ab incolis pariter atque militibus ametur.

*CX. De Dulcigno & Scutaro.*

VRbs DVLCIGNO, quondam Olchinium, seu Colchinium vocata, classe oppugnari potest. Nam licet portum non habeat, tempore tamen minus tempestuoso milites ad plana littorum navibus actis exponi possunt. Situs ratione fortissima est, sed majori ex parte vi terræ motus concidit. Igitur si occupatam nobis reservare vellemus, novis propugnaculis munienda esset. Hanc SCOARA sequetur, quæ Scutari hodie dicitur, arte & natura munitissima: tam negligenter vero custoditur à Turcis, ut tempore nocturno ex improviso facile quis eam ingredi possit.

*CXI. De Dyrrachio.*

DVRAZZO vel Dyrrachium in planicie sita, non est adeo firma; sed tamen omnium commodissima foret, unde in hostem excursiones utiliter fieri possent, quod Italiæ sit propinqua, & in medio Illyrico sita, sed periculo tamen valde obnoxia circumsessionis hostilis.

*CXII. De Morea, seu Peloponneso; & de optima cum Turca belligerandi ratione.*

GRavioribus damnis Turcæ afficerentur, si Peloponnesum, vel MOREAM quis armata manu invaderet; quod caregio in umbilico fere Turcici Imperii, illius quod est in Europa, posita sit, atque adeo bellum in Turciam ipsam

transferretur. Quem omnium optimum belligerandi modum veterum Duces præstantissimi iudicarunt. Quo Cyrus Cæsar Hannibal aliique cum maximo commodo & emolumento rerum suarum usi sunt; quicquid alii recentiores contradicant. Inde quoque futurum, ut classis Turcica domi detineretur ne nostris molesta esset.

*CXIII. Thessalonica capta, quomodo Turcis nocere possit.*

DEnique THESSALONICÆ, quæ Salonicchi dicitur, occupatio multis sane nominibus rebus nostris conduceret. Siquidem in ea urbe copiæ exponerentur, quæ facilime inde ad reliqua loca, quæ ad viam Constantinopolitanam consita sunt, deduci possint, & præcluderetur dicta via Græcis. Quemadmodum Romani quondam fecerunt, & Alaricus Gothorum rex, qui postea cum solis triginta millibus armatorum ipsos in potestatem redegit Romanos. Huc conduceret, si eodem temporis momento Polonus & Transsyluanus arma caperent, & superato Danubio Bulgariam devastarent, crebrisque excursionibus Constantinopolim usque penetrarent.

*CXIV. Observationes quædam, ad executionem superiorum consiliorum pertinentes.*

*Consilium Haytonis Armenii.*

*Modus legitimus & verus, quo res magnæ in effectum facile mandari, & inimicorum arcana resciri possunt, ex sacris literis petitus.*

*Cur Principes eorum sæpius consilia sequantur, qui minus sunt prudentes & rerum periti.*

VERVM, quo commodius omnia, quæ in hoc libro consilia de Turcis oppugnandis in medium fuere allata, in effectum ponantur, unicum & præcipuum hoc principibus nostris

noſtris obſervandum erit, ut clam omnia & ſecreto agant. Huc facit Haytonis Armenii Monachi digna vox, quam tractatui ſuo de Viſitatione terræ ſanctæ inſeruit. *Vnicum*, dicit, *neceſſarium mihi commemorandum eſt, ut videlicet Chriſtiani, quanto poſſunt ſecretius omnia ſua conſilia tractent, ne illa cum animi deliberationibus hoſtibus innoteſcant. Qua in re cum annis præteritis Chriſtiani peccaſſent, multa mala perpeſſi ſunt: hoſtes vero plurima pericula evitarunt. Hinc Chriſtiani impediti fuere, quo minus animi ipſorum deſideria feliciter ceſſerint.* Cujus rei, ut omiſſis Ethnicis exemplis ſacra tractemus, Iuditham legimus, ubi Holofernem occidere pio & generoſo inſtinctu ſibi propoſuiſſet, quo Bethuliam urbem ab obſidione liberaret, non modo conſilia ſua nemini communicare voluiſſe, verum etiam ipſiſmet ſacerdotibus in hæc verba reſpondiſſe: *Vos nolo ut ſcrutemini actum meum, & uſque dum renunciem vobis, nihil aliud fiat niſi oratio pro me ad Dominum Deum noſtrum.* Huius viduæ fidem & devotionem ſi noſtris temporibus Principes ſequerentur & imitarentur, non opus foret, ut de eventu felici ſuorum conſiliorum dubitarent, vel anxie & curioſe in hoſtium arcanā inquirerent. Deus enim, qui nunquam eos deſerit qui pro eius ſanctiſſimi nominis gloria pugnant, rationes optimas novit ſeruis ſuis hoſtium ſecreta manifeſtandi. Cuius rei exemplum in Eliſæo habemus, cui divinitus omnia ea, quæ Syriæ rex nemini quam intimis ſuis nota eſſe volebat, fuere detecta.

Inſuper quoque neceſſariò requiritur, ut claſſis Chriſtiana certis quibuſdam hominibus inſtructa ſit, qui locorum, in quibus belligerandum eſt, ſint peritiſſimi. Ne idem eveniat, quod Melitenſibus equitibus, qui in occupanda Modone ſpe ſua fruſtrati fuerunt, quod neſciverunt, poſt primum urbis ingreſſum pontem ipſis eſſe tranſeundum. Eiuſmodi homines linguas noſſe, iudicio fide & autoritate

valere

valere convenit; inprimis vero ut Reipublicæ Christianæ salutis sint studiosi. Quales nonnulli hodie reperiuntur, quibus executio rerum maximarum tuto concredi possit, si Principes eorum operâ uti vellent.

Papa Iulius II Constantinum Cominianum hac de causa conduxerat. Pius V Olchinio evocarat fratrem Casparem Brunium, Commendatorem Hierosolymitanum, cuius operâ bello maritimo contra Turcas & aliis rebus maximi momenti usus est. Sed in hoc sæpius Principes nostros deceptos vidimus, quod munia eiusmodi hominibus ineptissimis commiserint; vel ex gratia quadam ea indignis elargiti sint; vel ijs qui sumptus minores ad bellum conficiendum postularunt, ut eo prætextu suæ ambitioni & avaritiæ satisfacerent. Interim sane detrimenta accipiunt Principes, & qui ipsorum causam promovere nituntur.

---

*CXV. De Dardanellis, & quomodo Turcæ bello maritimo aggrediendi.*

*Quo spacio Dardanelli à se invicem, & Gallipoli atque Constantinopoli distent.*

In summa veretur Turca, ne classis Hispanica Iunio mense Cæcia vento spirante soluat; sed posthabitis Patris seu Patrasso, quam superiori anno vastatam deprædata est: posthabita itidem Alexandria, quam tentare non ita pridem voluisse visa est: Africa etiam, quo classi isti facilis patet aditus, aliisque locis extra vel intra mare Adriaticum relictis (quæ nominare in præsenti mihi religio est, ne quædam arcana & historicis indicta per me detegantur, quæque tentari (quis scit?) aliquando possent, felicissimo eventu,) ex improviso castella DARDANELLOS, qui sunt Sestus & Abydus, aggrediantur. Hæc antemœnium sive primorum instar murorum primum in Turcæ regiam aditum præbent, ideoque à Make-

Mahemete II post Constantinopolis expugnationem egregie munita fuere. Cæcia igitur flante, pauciſſimis diebus eo pertingere poteſt, ſecura ab hoſtium claſſe, ſi per ſinum Lanciatum curſum dirigat. Quod ſi forte contingeret, ut noſtræ in Turcicarum navium quæ in portubus in ſtatione ſunt conſpectum venirent, eas tamen pro Turcicis atque adeo amicis habituræ eſſent. Non igitur prius expeditio hæc ſuſcipienda, quam claſſem Turcicam portu ſolviſſe certò conſtet. Non autem hoc dico, Dardanellis captis ipſammet Conſtantinopolim exiguo labore & tempore oppugnari poſſe (ut quidam ſcribere auſi ſunt) ſed tantum tamque immenſum in ea urbe pavorem & timorem inde excitatum iri, ut non difficulter, exorto aliquo graviori tumultu, noſtratibus ultrò ingreſſus aperiatur; maxime verò ſi clam prius conſpiratio quædam facta, vel Turca inſigni aliqua clade ſive terra, ſive mari affectus fuiſſet.

*Seſto* in Europa mons imminet, qui eam ubique ſuperat. *Abydus* vero Aſiæ Dardanellus in planitie ſita eſt. Ambo propugnacula facilime expugnari poſſent, quod ædificia illa antiquo more ſint conſtructa, in loco arenoſo; ad maris ſcilicet littus, ubi montes ex arena congeri, & cuniculis perfodi poſſunt, ut Turcæ in more habent. Diſtant invicem plus uno milliari Italico: Gallipoli vero triginta, Conſtantinopoli centumſexaginta vel circiter.

## *CXVI. Quomodo Poloni Hungari & Tranſylvani in Turcicas ditiones excurrere poſſint.*

*De Taiſilis.*

ALIÆ quoque viæ patent, per quas Poloni Hungari & Tranſylvani terreſtribus itineribus, in Turcicas regiones excurrere, & meſſis tempore alicuius momenti loca tentare poſſunt. Maxime vero ſi in ea loca curſum dirigant,

de quibus illi nunquam antea soliciti fuerant, aut versus mare directo itinere, quo classis nostra ipsis subsidio venire posset. Sic apud Zosimum legimus, quingentos tantum Taifilos, qui hodie Transyluani sunt & Walachi, sub Constantino Imperatore Constantinopolim usque maximo cum civium horrore excurrisse. Sed viæ de quibus magis sibi Turcæ timent, sunt, quæ Sophiam Adrianopolim & Philippopolim atque in regiones vicinas ducunt.

*CXVII. Quomodo ex Italia pluribus itineribus in Turciam pervenire possimus.*

VERVM ut Principes Itali de via, quâ è suis ditionibus in regiones Ottomannicas recta pergere possint, securi sint, proiectiones legant Constantini, Licinii, Maxentii, Iuliani, Theodosii, Eugenii, Arbogasti, Theodorici Gothi, Odoacri Heruli, Alarici Gothi, & Attilæ; quos superius quoque recensui. Considerent etiam, quo itinere quondam Mithridates è Ponto & Scythia, seu Circassia & Tartaria, in Italiam pervenire decreverat: Regis Philippi Macedonis consilium de transfretando Adriatico mari: Romanorum contra Macedones expeditionem: Vespasiani ducum è Syria in Italiam reditum. Sed & primi Antonii, Mutiani, Boemundi atque aliorum, qui terram sanctam conquisiverunt, itinera ex historiis petent.

*CXVIII. Epilogi loco, Leonis X consultatio de bello Turcæ inferendo ponitur.*

EPILOGI loco ex Francisco Guicciardino Leonis X consultationem de defensione contra Turcas instituenda, adducam.

Verebatur ille, ne Selymus Italiæ bellum moveret. Sacris igitur peractis omnibus Christianis Principibus periculum

lum imminens aperuit, eosque hortatus, ut sepositis inimicitiis privatis, religionis Christianæ, & propriæ salutis defensionem susciperent, animosque viresque coniungerent, ad aggrediendum hostem domi suæ. Bella interim ubique cessare jussit, inducias inter omnes Principes gravi sub censura publicavit: & ut maius pondus hæc res haberet, Cardinales autoritate & rerum usu pollentes ad Principes ea de caussa ablegavit: Rem totam cum eorum oratoribus & legatis sæpius multumque consultavit: consilia virorum militarium exquisivit; cum iis qui locorum erant periti de regionum & provinciarum conditione, situ incolarum viribus & armis multoties contulit: tandem decrevit, ante omnia vim auri maximam congerendam, tum ex ordinariis Principum contributionibus, tum etiam ut omnibus Christianis hominibus certum aliquod tributum huius belli nomine imperetur.

Cæsar cum Hungarorum & Polonorum equitatu, justo etiam exercitu peditum & equitum Germanorum, recto Danubii cursu in Serviam delatus, inde per Thraciam Constantinopolim petat, Gallus omnibus regni sui viribus instructus, Venetiatque reliqui Italiæ Principes, Helvetiorum peditibus adiuti, Brundusio in Albaniam solvant; ubi Christiani qui in Græcia habitant libentissime ipsis se coniungent, durissimæ Turcicæ tyrannidis pertæsi, & ad rebellionem promptissimi. Hispani Lusitani Angli naves suas in Carthagenæ portu & aliis vicinis congregent & coniungant, cumque ducentarum navium classe, Hispanis atque aliis militibus instructâ, Gallipolis fretum occupent, & Dardanellos capiant. Eo quoque Pontifex tendat, centum navium rostratarum seu triremium classe ex Anconæ portu eductâ.

Hunc igitur in modum terrâ mariquæ Turcarum po-

potentiâ oppugnatâ, Deo feliciter annuente, prosperum eius belli exitum sperare possemus.

*CXIX. Conclusio totius operis, in qua de fœdere Christianorum Principum contra Turcam ineundo agitur.*

FAXIT Deus, ut omnes Christiani Principes, arcto inter sese fœdere inito, collatisque æqualiter sumptibus, omnia sua consilia atque deliberationes eò dirigant, ut immanissimum hostem cum fructu adoriantur & devincant. Quod difficilimum licet, propter peccata nostra & varias calamitates quibus urgemur, non tamen impossibile futurum speramus. Deus vero omnipotens ardenter nobis orandus & exorandus est, ut oculis iusticiæ in Turcas respiciat atque illis non amplius tanquam flagello ad punienda nostra delicta utatur: sed saxo quasi divinæ suæ potentiæ superbum hunc & inutilem colossum in minutissimas quasuis particulas comminuat; vel saltem, ut Principes nostros misericordiæ oculis intueatur, ipsorumque mentibus veræ pietatis ardorem inspiret, ut vinculo charitatis devincti propriis utilitatibus, aliisq; quæ ipsis occurrere & officere possint rationibus posthabitis, veram & solidam nec fictam societatem ineant, ad defendendam gloriam divinam & propriam salutem contra omnes hostes promovendam, sibique magnum illum Gottofredum Bullionæum imitandum proponant, non modò, quantum ad animi promptitudinem in capiendis consiliis, verùm etiam, si necessitas ita requirat ad proprias ditiones divendendas, quo contra Turcas bellum continuare possint. Quod Bullionæum alioſque magni nominis Principes maxima sua cum laude fecisse novimus: qui sancto inito fœdere Hierosolymæ regnum infidelium barbarorum manibus eripuere, totumque Orientem sibi subiecere.

FINIS

# ACHILLIS TARDVCCII

## TVRCA VINCIBILIS IN VNGARIA.

Nunc primum Latinitate donatus

à

IAC. GEVDERO AB HE-ROLZBERGA.

# ACHILLIS
# TARDIVCII
## TVRCA VINCIBILIS IN
## VRGARIA.

Illustri & Generoso Baroni

# D. RICHARDO A STAREMBERG DN. IN WVDSBERG ET RIEDECK

Domino suo omni observantia colendo

S. D.

*DVrante bello Pannonico, Generose & inclyte Baro, quod D. Rodolphus II Romanorum Imperator S.A. pro vindicanda è Turcarum faucibus Hungaria, & tot Christianorũ millibus ab immanissima crudelissimorum Barbarorum Tyrannide liberandis, gerit; varia doctissimorum & rerum bellicarum peritissimorum virorum consilia, de bello prosperè contra hostes gerendo in lucem prodierunt. Quorum nonnulla iam olim emissa, & non itapridem denuo recusa, ad nos etiam longo fere intervallo pervenerunt. Inter hæc omnia vero, facile principem locum obtinet Lazari Soranzii Ottomannus, & Achillis Tarduccii Turca vincibilis: quibus addi potest Iohannes Thomas Minadous, qui historiam postremi belli Turco-Persici accuratissime descripsit. Detexerunt hi, quicquid arcani Turcicum imperium habuit, plurima stratagemata, consilia, aliasque maximi momenti res, quæ nostros latuerunt hactenus, manifestarunt, hostisque superandi facilitatem quasi digito monstrarunt; unde merito ab omnibus quibus patria salus & incolumitas cordi est, cognosci & legi debebunt: & legerentur procul dubio, nisi sua in lingua, hoc est Italica, auctores isti scripsissent. Ne quis vero imperitia linguæ à lectione ipsorum se abstractum queri posset, simulque amicorum voluntati mos gereretur, in Latinum sermonem, nostratibus hominibus frequentiorem, à me sunt traducti. In qua quidem μεταφράσει plus laboris & difficultatis sum expertus quam initio cogitaram, cum quædam per obscura sint, quarundam etiam rerum nomina & Romanis incognita, quæ Latinis verbis commode reddi nequiverunt. Veniam igitur apud benevolos lectores & æquos rerum æstimatores me*

impe-

*impetraturum spero, si ipsorum expectatione & voto meo minus recte ubivis satisfactum erit.*

*Tibi vero Generosissime Baro, hanc laborum meorum particulam, Tarduccii scilicet Turcam vincibilem, dedicare & nuncupare placuit; ut testatum vicissim facerem animum meum, tibi semper ad quævis paratissimum. Ea enim erga me, fere ignotum, benevolentia & humanitate nuper usus es, ut nunquam non apud quosuis gratâ recordatione eam prædicare debeam. Huc accedit quod patriæ salutem (ad quam tanquam metam unicam & scopum hæc nostra translatio directa) tibi summæ curæ esse, eamque consilio & ope pro viribus à te iuvari & procurari certò cognoverim. Tum etiam quod sciam, te præceptis militaribus, quibus Tarduccius passim est refertus, mire delectari; ut qui bello hoc Vngaro-Turcico ipse aliquoties interfueris; tum in literarum quoque ac linguarum studiis non mediocriter versatum esse. Scio equidem eruditiora tibi politioraque deberi: sed sint hæ amoris & observantiæ meæ primitiæ. Quas ut benevolo animo accipias & offerentem mutuo, ut cepisti, amore complectaris etiam atque etiam rogo. Deus opt. max. Generositatem T. Ill. quam diutissime patriæ & familiæ Generosissimæ salvam & incolumem conservet. Perscriptum Herolzbergæ Anno à reparata salute 1601.*

T. Generos.

Observantiss.

Iacobus Geuder ab Herolzberg.

DEMON:

# DEMONSTRATIO, QVOD TVRCÆ IN HVNGARIA VINCI POSSINT EXIGVO GERMANORVM AVXILIO ADHIBITO.

## PROPOSITIO ET DIVISIO TOTIVS LIBRI.

*CVm demonstrare constituerimus potentiam Turcicam, quæ toti fere terrarum orbi hactenus terrorem intulit, in Vngaria vinci posse, non dico à tota Christianitate (in qua præter unionem & concordiam nihil desideramus) sed ab ea parte Hungariæ, quæ nondum ejus Imperio cessit, exiguo Germanorum auxilio adhibito; initiò quidem necessarium videtur, modos & media aperire, quibus ad tantam potentiam Turcæ pervenerunt, iis investigatis facilius erit, viam quoq; & rationem inire, qua exscindi rursus atq; convelli possint.* I. II.

## PARS PRIMA.

CONSIDEREMVS initio, *utrùm prudentia & arte, an singulari quadam fortuna Turcarum imperium primum enatum & ad culmen tantæ Majestatis atq; potentiæ evectum fuerit.* Hic inprimis conducet historiarum cognitio. Eam paucis foliis ab initio hujus Imperij ad nostra usque tempora, non quidem omnia minutim persequendo, sed præcipuas tantum & insigniores eorum actiones evolvendo, clare & dilucide tradam. Tunc de *viribus* ipsorum subjiciam. Quæ præcipue in obedientia rara & perfecta: in thesauris inexhaustis: & exquisita atque stricta disciplina I. II.

militari: atque ordine aliàs inconsueto à solis Turcis hactenus usitato, consistunt.

---

*Non fortuna sed prudentiæ ductu Turcas ad tantam potentiam ascendisse.*

QVEMADMODVM nonnulli extiterunt, qui progressus, quos Romana quondam fecit respublica fortunæ ludibrio attribuere ausi sunt, qui potiore jure prudentiæ ac virtuti debebantur; sic quoque non defuerunt qui dixere, multos quidem fortunæ inclinatione in supremum dignitatis gradum, modis incognitis antea & extraordinarijs collocatos, semper tamen ad eandem inclinationem virtutem comitem accessisse. Sic Alexandri Magni fortitudo & magnanimitas, sic Cæsaris prædicatur celeritas & ingenij præstantia. Iidem prosperis Turcarum successibus, nulla facta mentione virtutis, primam & præcipuam gloriam rerum prospere gestarum ipsi fortunæ adscribunt. Quod si qui in hac sunt sententia ex veræ Philosophiæ præceptis didicissent, Fortunam non esse quandam cœlestem substantiam, ut nonnulli fabulantur, sed spontaneum quendam concursum plurium causarum ad eundem effectum: non temerè tot præclara facta casibus fortuitis adtribuissent, sed diligentius investigando comperiissent, plurima virtutis adminiculo gesta fuisse.

Fortunæ nonnulli adscribunt, quod Romana respub. nunquam duobus bellis simul implicata fuit, sed uno exorto alterum fuit sopitum. At hoc ipsum soli Romanorum prudentiæ adtribuendum. Illi enim videri volebant non ambitione, vel regnorum acquirendorum desiderio, sed innocentiæ zelo, ad defendendos injuria oppressos, & juvandos socios qui sub ipsorum protectione & patrocinio vivebant, bella à se gerri. Vnde non erat difficile à belli abstinere, quæ-

justas

justas etiam ob causſas mota fuerant; maximè ubi hostium arma horrebant & prælio certare periculosum rebantur. Huc accedit, quod Romana respublica postquam non mediocriter excreviſſet, & imperium ejus auctum esſet, nec exigua apud alias gentes auctoritate polleret, vicinos sibi fœdere & societate devincîrit, ejus fœderis prætextu non modo seditiones & rebelliones, quæ in vicinia indies oriri solebant, compescuit, verùm etiam sociorum auxilio in remotiores provincias arma extulit, & imperij terminos angustos latius prolatavit, belloque capta sibi soli vendicavit. Quam fraudem nimis tardè socij deprehenderunt, cum in immensum potentia Romanorum elata ei obstare amplius nequiverunt. Quælibet igitur Provincia non satis potens, ut bello cum Romana repub. decertaret, quiescere maluit: interim dum proximiores expugnabantur, quorum armis Romanos victos vel debilitatos iri, reliqui sperabant.

Præter hunc imperij accrescendi modum Romani alium quoque peculiarem habuerunt, peregrinis scilicet & exteris jure civitatis Romanæ donatis, & in civium numerum adscriptis, qui maximis privilegijs gaudebant. Qua libertate plurimi allecti eò habitatum sponte accurrebant, præter eos qui bello victi eòdem migrare cogebantur. Hinc Vrbs mirum in modum civibus & militibus aucta: vicinæ vero Provinciæ incolarum copiâ denudatæ fuerunt. Factum itaque, ut sub ipsis Regibus octoginta millia militum in aciem educere potuerint. Equibus postea conscriptæ fuerunt coloniæ, quæ tanquam firmissima propugnacula hostium furori ad limites territorij opponebantur. Qui diligentius hæc Romanorum stratagemata perpenderit & observarit, exiguo vel nullo Fortunæ adminiculo opus habebit. Id Fabius ille Maximus testatur, jubens eum belli Imperatorem, qui Prudentiam ducem sequitur, parum de fortuna sollicitum esse. *Liv. l. 22. Salust. Arist. 1. pol. c. 2. & 2. Esb. 6. 8.*

Huc facit & illud, quod *quilibet suæ fortunæ faber* esse dicitur: & tritum illud; *ubi plus consilij, ibi fortunæ minus.*

*Turcas igitur non merâ sortunâ, sed potius prudentiâ ad tantam potentiam perveniſſe*, & in hoc ipso Romanos apprime imitatos: eorum exempla secutos esse statuemus; idque in perlustranda ipsorum historia clare docebimus.

---

*Compendium Historiæ Turcicæ.*

HISTORIAS præcipuas rerum quæ ab initio sectæ Turcicæ evenerunt, paucis aliquot chartis prosequar; secutus autores graviſſimos, Zonaram, Nicephorum, Laonicum Græcos, & Bonfinium qui Latine scripsit. Quorum scriptis merito fides adhibenda est, quod ijsdem illi temporibus vel paulo post, quo omnia ea quæ narrant gesta sunt, vixerint. Non improbo tamen Neotericos quosdam scriptores, vel aliorum hominum, qui Constantinopoli officio Legatorum functi sunt, relationes fidas & accuratas, idque maxime propter militiam & militarem disciplinam.

*Zon. in Coſt. glad. Laoni. l. p. Bonfin. l. 8. Pio. 2. Yng. 6. 4. 600.*

NVM à Scythis vel Parthis primam suam ducant originem Turcæ, non expedit hic longius persequi, neque quam vere à Sara Saraceni, vel ab Agar Agareni, vel denique Turci quasi Teucri appellentur, quod propellij & Troiæ regiones commorarint, longius perquirere juvat. *Mahometes* sane regnante Heraclio imperatore (alij volunt sub Mauritio & Gregorio Papa Anno 597.) natus est in Arabia, patre nobili viro ethnico, matre vero Ismaelita. Ingenio fuit perspicaci præditus & crebiori Christianorum conversatione usus, legem Evangelicam aliqua ex parte didicit. Vnde varijs legibus ordine digestis novam sectam introducere statuit, cessitque ex animo propositum, ejus consilia Spiritu maligno in-

*Laon. l. 3.*

primis regnante & agitante. Principiò ad persuadendum usus est eloquentia, qua pollebat, & vita austera, tranquilla

& so-

& solis contemplationibus dedita; qua homines in admirationem sui rapere, sibique auctoritatem conciliare studuit. Multorum animos, Principum inprimis, brevi tempore sibi devinxit, & in tantum ejus excrevit audacia atque auctoritas, ut à populis istis passim pro Propheta habitus & cultus fuerit; qui pro ipsius defensione, & Religionis quam profitebatur assertione vitam profundere non dubitabant. Certamina & rixas, quæ religionis caussa movebantur connivendo adprobavit, vel saltem quo minus excitarentur non palam obstitit, donec undique motus bellici vehementius exarserunt, eaque occasione, quæ oportune sese obtulit, arreptâ, armis & vi aperta, quæ persuasionibus nequibat efficere conatus est. Doctrinæ ipsius caput præcipuum erat, secreta divinæ legis non humanis disputationibus asserenda & persuadenda, sed vi atque potentia introducenda & defendenda, ab illis, qui ad ejusmodi munus digni & idonei habiti fuissent. Vbi quadragesimo ætatis anno vitam cum morte commutavit, secta, cujus ille author exstitit, passim per Asiæ Provincias prædicata & exculta, ab ejusque successoribus ijsdem armis & artibus, quibus ille innixus fuerat, plantata & amplificata fuit. Schismate quoque inter ipsius assecias exorto, nulla alia ratione, quam armis lis ea dirimi potuit. Non solùm vero justis exercitibus, sed sæpius excursionibus & latrocinijs Asiam ita devastarunt, ut ipsorum potentia plurimum inde aucta fuerit, ipsâ subjugata Persiâ, & multis Christianorum provincijs, qui acriter ipsis resistebant; Græcis Imperatoribus eorumque militibus antiquum fidei catholicæ cultum adhuc observantibus. Vbi postea mollities atque discordiæ in Græcia radices egerunt altiores, Turcæ amplificandi imperij occasionem nacti, præter reliquas Asiæ provincias, quas sibi subjecerunt, ad littus usque Constantinopolitanum arma promoverunt, permoti Constantini Gladiatoris pro-

*Zonar. l. 3. in vita.*

sis prodigalitate vecordia atque inertia, qui thesauris exhaustis, pecuniâ inutiliter consumptâ, tributa quoque liberis provincijs imposuit, pro quorum solutione eas immunes reliquit ab alendis præsidiarijs, qui Barbaros aditu Romanarum ditionum, ut antea, prohiberent, & locorum angustias tuerentur; contentus vectigalibus quæ in horum vicem iisdem imperaverat.

Hunc in modum Asiâ Turcæ sunt potiti, citiusque in Græciam pedem intulissent, nisi Christiani Principes maximis expeditionibus in Asiam sub auspicijs Gottofredi Bullionei, furorem Saracenorum retudissent & repressissent.

Bonfin. l. 15. 1145. vel 1151.

Sed in occisorum locum alij, hydræ instar, surgebant majori numero. Igitur Conradus Occidentis Imperator, & paulò pòst Ludovicus Galliæ Rex, ut Christianis in Asia militantibus subsidio venirent, maximis belli apparatibus undique factis, ipsi in eam expeditionem profecti, dolo & fraude Emanuelis Imperatoris Constantinopolitani circumventi, brevi tempore immensam militum copiam amiserunt, ut re infecta reducere exercitum coacti fuerint. Nolebat enim Emanuel Latinorum (sic Græci vocant, quotquot Romanæ Ecclesiæ obediunt) Principum potentiam in Asia augeri, igitur malitiosis consilijs & vanis conatibus ipsorum elusit consilia, & frumento veneno infecto copijs subministrato, vires ipsorum attrivit atque diminuit.

1187. Animos igitur resumserunt Turcæ, Saladino duce, quem Sultanum vocabant, homine strenuo fortissimoque qui tam diu bellum cum Hierosolymæ regibus gessit, donec

1249. eam provinciam tandem in suam potestatem redegerit. Tunc novos in Græcia motus excitavit Balduinus, ut privatas quasdam injurias vindicaret: bello multis annis pertracto

1355. Constantinopolim Græcis eripuit, quam usque ad Paleologum primum tenuit. Iis discordijs durantibus Turcæ

ocium

ocium nacti, imperium suum in Asia confirmarunt & stabiliverunt, Græcis paucis quibusdam urbibus primarijs relictis, quarum vires ad resistendum hosti pariter qui Constantinopolim tenebat, & simul Barbaris minime sufficiebant. Vbi denique totâ Asiâ atque Græciâ Latini fuerunt expulsi, facilimè Turcæ, nemine prohibente, totius Orientis dominatum ad sese rapuerunt. Palæologus eâ rerum confusione, & ob schisma religionis causa excitatum, perturbatus, primarijs suis non fidebat, quos propter sinistras quasdam suspiciones à se dimiserat, eorum vice in bello exterorum (quos maximis impensis conduxerat) opera utens. Tandem maximas copias è fugitivis Scythis, & plebeia multitudine collegit, eosque nullis ordinibus dispositos hostibus objicere, & ad manus venire ausus est. Horum imperitia rerum bellicarum non latuit Turcas, ideoque ubi in pugnam Imperator descendit, Turcæ nunc fugiendo, nunc resistendo hostibus, tam diu sese opposuerunt donec in structas insidias eos pertraxerunt, ubi maximâ acceptâ clade Imperator ægre Constantinopolim evasit, omnemque de recuperando Asiæ dominio spem amisit; Saracenorum ingluviem, atque avaritiam pecunia sedavit, eorum (ut dicit Nicephorus) exemplo, qui ut luporum gratiam ineant, venas sibi proprias incidunt, quo suo sanguine ipsorum voracitati satisfaciant. Nova igitur tributa perditiones suas imperavit atque imposuit, quibus subditorum animos protinus à se alienavit, & ad seditiones ac rebellionem concitavit.

*Niceph. l. 6. 7. & 8.*

*Niceph. l. 5.*

*Niceph. l. 8.*

SALADINO mortuo civilibus discordijs laborarunt Turcæ, & imperium ad varios dominos devolutum, ejus robur, atque potentia divisa atque debilitata fuit; sed non extante hoste externo qui ipsos urgeret arctius, facile vires suas recollegerunt; inprimis verò cum regni gubernacula ad Ottomannum delata fuissent,

*1299*

Ottoman-

*Ottomannus* cujus memini, vir fuit bello strenuissimus, & ingenio sagaci præditus. Cui inprimis curæ fuit, non modò discordias inter Principes serere, & jam ortas conservare atque fovere: verùm etiam sub amicitiæ specie nunc huic nunc illi belli socium sese adjungere, cunctorum donec vires paulatim attrivisset: ut brevi temporis spacio partem præcipuam eorum potentiæ ad sese pertraxerit. Tunc fraudium relictis ambagibus, vi apertâ bellum gerere & sectæ suæ principatum asserere omni cura aggressus. Interim Andronicus Imperator, regni caussa à nepote, cui & ipsi Andronico nomen erat, bello lacessitus, primus Turcas in sui auxilium evocavit; ut eorum ope nepoti & Genuensibus qui Phoceam tenebant, & Bosnensibus resistere valeret. Vado posteà & transitu cognito, & Europæ delitijs perceptis Turcæ in Thraciam excurrere, & pedem ibi figere cæperunt; transmissisq; in Asiam spolijs opimis & præda opulentissima, socios quoque ad fretum superandum invitarunt.

1330. *Niceph. l. 9.* Vbi Andronicus nepos Imperium adeptus est, *Orcani*, qui Ottomanno successit, bellum intulit, quo Niceam, metropolim Græcarum urbium quæ sunt in Asia, obsidione liberaret. Collectâque immensa multitudine imperitorum hominum, iisque tumultuariè & sine militari disciplina dispositis, in bellum duxit, vix duo millia veteranorum militum secum trahens. Hostium consilijs atque conatibus intellectis; Orcanes cum octo millibus militum illis occurrit, eosque non pugnando sed velitando aggressus est; modò timorem simulavit, modò defessos excessivo solis æstu, & armorum pondere defatigatos, tanto impetu adortus est, ut exiguis copijs, quæ integræ & salvæ erant, eorum aciem ruperit atque fregerit. Tempore matutino sæpius cum trecentis tantùm equitibus Græcorum castra recognovit, stragem eorum maximam edidit, plerisque fuga evadere conantibus,

tibus, quod universum Turcarum exercitum sibi instare putarent. Nicea fame coacta hostibus sese dedit, quam paulo post Nicomedia secuta est. Andronicus omnem spem Imperij Asiatici protinus amisit, & quòd ipsius thesauri pecunia exhausti essent, constituit, nullam amplius classem in procinctu habere atque conservare, ut sumptibus parceret. Vnde Turcæ sibi jam undique mare patere intelligentes, triremes ædificare, insulas maximo Christianorum detrimento percurrere atque devastare cœperunt. Cujus rei culpa solis Græcis imputanda, quemadmodum ipsorummet scriptores cum tædio commemorant. Totius Asiæ dominium Orcanes cum acquisivisset, statum illius confirmare atque stabilire decrevit, priusquam in Europam moveret. Quod negotium non parum promovit Cantacuzenus, qui filium Imperatoris Andronici, cujus tutor fuerat, imperio defraudarat. Is Orcani amicitiam nuptijs filiæ suæ quam ei desponsavit, redemit, quo melius rebus suis consuleret, eosque in tutum ac tranquillum statum collocaret. Adeo Christiana Religio apud Græcos in contemptum venerat, sola ambitione omnia regnante. Laonicus l. 2.

Orcani successit *Solymannus*. Qui jam antea ab his, qui Europam perlustrarant ejusque amœnitatem omniumque rerum abundantiam ampliſſimè prædicarant, instigatus & allectus, tum quod transitus, quem illi solerter depinxerant, facilis esset & periculo careret, in Thraciam excurrit, & in Chersoneso utplurimum substitit. Pactus cum Græcorum Imperatore fœdus mutuum, in ipsius auxilium contra Bulgaros in bellum profectus est; à quibus Turcæ cæsi, atque fugati fuerunt. Sed cum illi, victoriæ prospero successu elati, sine ordine in campo dispersi vagarentur, Solymannus id prævidens, maximâ & consuetâ celeritate collectis copijs, victores denuò aggressus est & in fugam conjecit. Victoriæ cursum prosequens Adrianopolim & 1312.

Philippopolim eodem impetu cepit. Quarum urbium expugnatio firmissimum fundamentum rebus Turcicis præbuit ejus imperij terminos in Europam usque prolatandi; quod tamen morte præventus exequi non potuit, sed rem inceptam fratri *Amurathi* perficiendam reliquit.

1350. Is primus ex Asia sedem Imperij Adrianopolim transtulit. In bello fulguris instar processit; plus tamen benevolentiâ atque comitate quam vi apertâ effecisse visus est. Namque bello victis Principibus non graviores imposuit pacis conditiones, quàm ut aulam suam sequerentur, & copias suas cum reliquo exercitu conjungerent. Hæ conditiones victis satis æquæ atque benignæ videbantur. Neque obstinatè sese defendebant, imperiti artis & doli, quem Amurathes machinabatur; qui Principes Græcos Græcorum viribus & militibus subjugare, & prosternere moliebatur. Aulam brevi tempore Principum multitudine florentissimam & illustrem reddidit, ut omnibus formidabilis existeret. In Asia crebri tumultus, frequentes seditiones fuerunt motæ, quas domuit, Europæis copijs inprimis adjutus, cognitâ rebellione quam filius in Europa excitarat, maxima celeritate illuc redijt ut rebelles opprimeret. Extrema hîc Constantinopolitanorum Imperatorum væcordia atque timiditas apparet; qui tam splendidis rei bene gerendæ occasionibus nihil moti Turcarum amicitiam sectabantur, eamque caro precio comparabant, quin & proprios filios in aulam Turcicam in Imperatoris obsequium miserunt. Amurathes triginta septem prælijs ipse interfuit; in quibus semper victor evasit.

1377. Ei successit in regno *Bajazethes* filius aliud fulmen bellicum. Hic ubi Bulgaros, occiso eorum Principe, domuit; alio efficacissimo remedio adcrescendæ potentiæ usus est; colonijs copiosissimis ad limites Imperij collocatis, prioribus & antiquis incolis è proprijs sedibus aliò habitatum traductis. Vnde tantam

tam penes Græcos autoritatem sibi conciliavit, ut ab ipsius nutu cuncti dependere viderentur. Regno privare ipsos Constantinopolitanos Imperatores, & in eorum locum alios substituere non est veritus. Namque Andronicum collocavit in regnum, quod tributum solvere ipsi pollicitus esset; & contra hunc ipsum fovit Emanuelem, quod majus hic tributum spopondisset, inque bello ipsius auspicia sequi promisisset. Impetravit igitur Andronico, ut unà cum filio aulam Turcicam frequentaret. Bellis quibusdam in Asia confectis, maritimas expeditiones contra Græcos suscepit, eumque juvabant strenue ipsi Græci Principes; qui in aula Turcica hærebant, quo & reliqui qui Bajazethis Imperium hactenus detrectarant subjugum mitterentur, ipsi quoque sponte, non coacti, parere viderentur. Ab altera parte non cessabant Christiani qui in Græcia superstites erant, Turcarum potentiam astu & clandestinis machinationibus infringere; caussam eorum qui ob schisma à reliquis secessionem fecerant nomine potius quam re juvare, & Christianorum Principum, quos sibi fidei nomine obligatos credebant, auxilium implorare, & eorum auspicijs id tandem recuperare, quæ levitate ac timiditate amiserant, omni cura atque solertia studuerunt. Non latuerunt hæc artificia Bajazethem, qui ea in Constantinopolitanis primùm castigare constituerat, nisi Tamerlanus bello ipsum prævenisset, victumque in Asiam deduxisset. 1397. Laon. l. 4.

Quo vita functo Græcorum Principes sine magno labore & difficultate, vicinorum auxilijs adjuti, omnem Turcarum posteritatem Europâ expellere potuissent; sed *Amurathes* successor, composítis fraternis dissidijs, ruinam Constantinopolitani imperij assiduè animo volvit: plurimas urbes, propter admissum perfidiæ crimen, gravissimè punivit: alias culpam suppliciter deprecantes, immensis tributis pacem redimere coegit. 1450. 1453.

Succeſſit in imperio *Mahomethes*, qui primos belli impetus contra Conſtantinopolitanos direxit. Quos reliqui Græci, mutuis diſcordijs flagrantes, ope & ſubſidio turpiter deſtituerunt, & patriam potius deſerere, vel hoſtium furori exponere, quam tributum licet graviſſimum ſolvere maluerunt. Quin & victi jam, hoſtibus ſæviendi cauſſam atque occaſionem præbuerunt, ob varias innovationes atque tumultus, quos indies excitarunt, pertæſi tam ſtrictæ obedientiæ quâ premebantur. Conſtantinopoli aufugerat præcipua Nobilitas, quam poſtea hinc inde per Græciam diſperſam Mahomethes delevit. In ejus vicem urbem ille maxima multitudine habitantium è diverſiſſimis gentibus collecta replevit; ut impoſſibile videretur in tanta hominum & nationum diverſitate mutuam & unanimem rebellionem excitari poſſe. Hac urbe capta, non ideo tamen diſcordijs finis impoſitus eſt Græcis præcipuis in Peloponneſo ſeu Morea congregatis, quos mutuis armis aliquamdiu ſe invicem conficere Mahemetes ſivit; ubi deinde occaſio & tempus viſum ei eſt commodum & oportunum, illos aggreſſus, Græciam univerſam cum Lesbo crudeliter & perfidè ſibi ſubjecit. Reverſus Conſtantinopolim, fabricandis propugnaculis ad anguſtias Helleſponti operam dedit, ne per illos hoſtili claſſi aditus pateret. Iam enim tunc animo meditabatur, arma vel Venetis vel Hungaris inferre, quibus paulò pòſt, devaſtatâ Boſniâ, cauſſam belli ampliſſimam ipſe primus dedit.

1395. alii 1397. HVNGARIÆ non minus quam Græciæ porta ſponte illi fuit aperta. Stephanus enim Walachiæ Waiwoda, cum ſecunda vice à Sigiſmundo Vngariæ rege defeciſſet, primus auxilium Turcicum in provincias Vngariæ ſubditas aſcivit. Quod *Bajazethes* haud illubens ei miſit, ne tam optata occaſio è manibus elaberetur; SIGISMVNDVS tamen victoria tunc potitus eſt, capta Nicopoli minori. Stephanus vero Bajazethem vehementius

Bonf. lib. 22.

tius in bellum hoc instigavit, præmij loco filiam promittens in matrimonium collocandam. Anno sequenti Bulgariæ, quæ 1396.
Vngariæ parebat, vastatio secuta est. Qua motus & ipse Sigismundus cum alijs Christianis Principibus expeditionem contra Nicopolim majorem suscepit. Vbi ad pugnam fuit perventum res infeliciter cessit; Gallorum inprimis culpa, qui ante tempus impetum in hostem fecerant, quem cum Turcæ viriliter sustinuissent, langueſcente Gallorum fervore, illisque perterritis, in fugam fuerunt conjecti, unde & reliqui timidiores facti ordines deseruerunt, & hostibus egregiam victoriam reliquerunt. Ab armis tunc ad aliquot annos ab utraque parte cessatum fuit, donec Sigismundus Romanorum Imperator & Bohemiæ Rex e- Bonf. l. 3.
lectus fuit; novisque ac penè innumeris occupationibus alibi impeditus, segnius Vngariæ res curare cœpit. Quod perspici- 1415.
ens Hermojanus Bosniæ Princeps homo inquietus, & rerum novarum cupidus, à Sigismundo defecit, auxilioque Turcico in Bosniam evocato Hungaros singulari stratagemate fudit. In 1416.
Walachia quoque novis excitatis tumultibus, exercitus Sigismundi Turcarum auxilio victus & cæsus fuit. Sed non inulte tot damna Imperator ab hostibus accepit, cum quibus vigesies prospere manus conseruit, & auspicijs Pipi Florentini belli ducis primarij, toties victoriam reportavit.

Sigismundo succeſſit ALBERTVS AVSTRIACVS, cui sedi- 1437.
tiones Bohemorum plurimum negocij atque molestiæ creaverunt. Eam occasionem Turca minime negligens Serviam invasit, Sinderoviam priusquam Albertus obsessis veniret auxilio expugnavit. Hujus exercitus cum ob nimium æstus fervorem debilitatus, & varijs morbis vexatus esset, pars ejus maxima miserè perijt, præcipui duces dissentientes invicem, & ipse Albertus graviter ægrotans copias re infecta reduxit.

Paulò pòst mortem Imperator obijt gravidâ relictâ con-

jugo; quæ eodem tempore, quo in Vngariæ regem VLADISLA-
1439. vs fuit electus, filium enixa est Ladislaum, qui ab ijs qui Vla-
1440. dislai electionem minime probabant, Rex fuit coronatus. Vnde civiles discordiæ exortæ, quæ per integros viginti octo annos Vngariæ regnum varie & gravissime afflixerunt. Vngariæ rebus hunc in modum comparatis, *Amurathes* totam sibi Serviam subjecit, & Albam usque Græcam cum exercitu excurrit.
Bonf. l. 24. Per septem menses ijs in locis commoratus, ad viginti quinque millia hominum amisit. Alacrior atque audacior factus Hungarorum seditionibus, non solum Temesvariam, sed ad Dravum usque & Savum fluvios, omnia devastando progressus est. Adeò Vngarorum animi mutuis odijs exacerbati erant, ut maluerint Turcarum armis supprimi, quam mutuas & privatas injurias patriæ condonare. Exstitit tandem fortissimus Vngariæ defensor Corvinus ille, qui è Transylvanis ac Walachis milite conscripto biennij spatio octies cum Turcis prospere conflixit, pugnasque commisit acerrimas. Inter quas illa fuit celeberrima, quâ quindecim solummodò militum millibus stipatus cum o-
Bonf. l. 26. ctoginta millibus hostium justa acie dimicare ausus est, eorumque partem præstantissimam prostravit. Tandem ubi regni qui-
1443. etem & pacem Vladislaus confirmavit, instructissimum exercitum licet sero anni tempore, in hostem duxit, & ad montem usque Hemum progressus, transitus ei à Turcis fuit obstructus, accedente locorum difficultate & glacie atque frigore: coactus igitur præda onustum exercitum reducere, cujus agmen novissimum à Turcis nonnunquam infestatum fuit. Haud minores in annum sequentem fecit belli apparatus: sed ejus conatus fraude Amurathis, qui in Asiam necessario proficisci cogebatur, interrupti & impediti fuerunt. Nam Serviæ Despotæ seu Principi Corvini corrumpendi negocium dedit, promissâ regni & filiorum restitutione, si pacis autor existeret; quæ sancita quidem,

dem, sed diu rata non fuit habita. Subitò enim ubi de Amurathis in Asiam transitu rumor increbuit, & reditum ei à classe Italica impeditum certò affirmatum fuit, Vladislaus cum exercitu (qui durante pacis tractatione diminutus & ad viginti quinque millia hominum redactus fuerat) instante hyeme ad Hemum usque Thraciæ montem processit; ibique de Amurathis reditu in Europam certior fuit factus. Cui cedere inhonestum & parum commodum existimabat; in aciem ideoque descendere maluit, coactus frigore & rerum ad victum necessariarum inopia; sed loci ubi pugna committebatur incommoditate factum, ut rex 1444.
suis succurrere cupiens in acie cum multis alijs occubuerit. Græci tamen aliter hæc referunt, ambo nimirum Turcarum cornua ab Hungaris in fugam conjecta atque profligata fuisse; cumque hi fugientibus instarent vehementius & justo longius hostes prosequerentur, Rex cum caterva suorum solus derelictus, & Amurathi, qui stipatus erat suorum præstantissimis, objectus, moræ impatiens, donec reliqui ex persecutione redirent, in Amurathem, qui in commodo loco substiterat, impetum fecisse, ubi morte sua splendidissima victoria Hungariam spoliavit. Ferunt Amurathem perculsum timore instantis prælij aufugere voluisse nisi à suis vi quadã retentus fuisset: & votum solenne, imperio sese abdicare & vitam solitariam agere, vovisse: plus victum quam victorem sese ob cruentum hoc prælium agnoscens. Tertiâ denique die castra Vngarorum aggredi ausus est, veritus ne quædam ibi laterent insidiæ: & tantus ipsius timor extitit, ut quadriennio proximo Vngariam intactam reliquerit. Quod si Corvinus, intellecta morte regis, castra repetiisset, incertam sine dubio & ancipitem victoriam Turcis reddidisset; sed ille regnũ repetere maluit, ut præcaveret tumultus, qui exoriri poterant. Sic Amurathes, propter insignem stragem suorum, cruenta sane victoria potitus, superior quidẽ hostibus suis extitisse, sed victor evasisse, dici revera non potest.

Cor-

Corvinus LADISLAI tutor & regni gubernator constitu-
1448. tus, ut priorem cladem ulciſceretur viginti duo millia militum collegit, pactoque cum Deſpota & Schanderbego, ut ſecum vires conjungerent, ille non modo promiſſis non ſtetit, ſed Albanos quoque ſeu Epirotas perfide impedivit, quo minus officio fungerentur, omnia conſilia atque conatus Chriſtianorum Turcis aperuit, qui cognitis quibus Corvinus urgeretur neceſſitatibus, ut Albanorum adventum præverterent, crebris excurſionibus & invaſionibus ad pugnam condeſcendere ipſum coegerunt antequam auxiliares copiæ advenirent. Per triduum duravit prælium, ſolis noctibus certamen interrumpentibus; tertia denique nocte Corvinus Hungaros in proximas ſylvas ſe recipere & fuga ſaluti conſulere juſſit, quod de victoria planè deſperaret, ſiquidem ſemper recentes milites Turca tot prælijs defatigatis & fractis Chriſtianis opponeret, & Hungari læſos & vulneratos vix curare poſſent. Perierunt octo millia Hungarorum, occiſis triginta quatuor millibus Turcarum. Iterum igitur ſuperior Chriſtianis Amurathes, non autem victor exſtitit. *Mahomethes*, poſt Conſtantinopolim occupatam, non fuit exceptus benignius nec tractatus mitius, Belgradum diu obſederat, arctiſſime oppugnarat, foſſas materia impleverat, oppugnationes viginti quatuor horis ſine intermiſſione continua-
Bonf. l. 28. rat, muro ipſo ſuperato, plurimisque è Turcarum exercitu ur-
1456. bem jam ingreſſis, Corvinus è propugnaculo erumpens tanta vehementia tantoque furore occurrit, ut plerisque fere obtruncatis, reliquos in propria uſque tentoria rejecerit, occiſis viginti millibus hominum, impedimentis ablatis. Tam ſtrenuo tamque egregio belli facinore edito, Corvinus morbo correptus vitam cum morte commutavit, decies feliciter explicatis ſignis ſtatarias commiſit pugnas, quatuordecim tumultuarias, bis tantum propter militum paucitatem hoſte evaſit

sit inferior, qui tamen se vicisse gloriari nequibat.

Hoc igitur defuncto & brevi post Ladislao mortuo, in regno successit MATTHIAS, qui ubi Bosniæ Principem, à Mahomete in aulam vocatum & nefarie contra datam fidem quo ejus ditione potiretur excoriatum fuisse comperit, potentissimo exercitu eam provinciam invasit, partem ejus recuperavit, Iaizzam locum fortissimum recepit; quem etsi Mahometes denuo arctissima obsidione cinxisset, eam tamen sola fama de Matthiæ adventu percepta, solvit, & trepide inde in tutum se recepit. Anno sequente Matthias subsidium pecuniarium ex Italia accepit, partem Rasciæ occupavit, & majores progressus fecturus videbatur, nisi Principum Christianorum discordiæ intervenissent, quæ plerumque Turcis consuetam vincendi portam aperire solent. Primum in Transylvania & Walachia tumultuatum fuit; inde propter religionis certamina in Bohemia motus fuerunt excitati; quos excepit bellum Polonicum ob regis Bohemici electionem exortum; & tandem bellum illud in Austria gestum, quod ad ultimum usque vitæ terminum ipsum distinuit. In illud tantâ vehementiâ Vngari incubuerunt, ut Turcis non aliter quam defensive restiterint: subsidium pecuniarium, quod ex Italia subministrari ad bellum Turcicum consueverat Matthiæ fuit denegatum, ne Vngaris belli nervus contra Austriacos suppeditaretur: Vngari irritati præsidia quæ Dalmatiæ limites defendebant evocarunt. Vnde Turci liberum aditum nacti in Forum Iulij prædabundi excurrerunt, sæpius iteratis impressionibus prædas fecerunt amplissimas. Veneti bellis Italicis pressi, nulla ratione cum Vngaris rem componere voluerunt, sed pacem cum Turca, quam toties ante respuerant requisiti, tunc ultrò maximo suo incommodo & dispendio inierunt. Mahometes interim non negligebat occasiones tam exoptatas, cum videret Vngaros, (tot cladibus Turcis terra marique in Eu-

1458. lib. 31. lib. 32. 1463. Bonf. l. 30. 1471. 1473. 1476. lib 34. 1478. lib. 35. lib 32. 1466. lib 32.

1468. ropa atque Asia oppressis) terminos imperij non studuisse prolatare, sed alibi tempus trivisse, concluſit, in ipsam Vngariam prorumpere & aditum sibi in eam parare. Maximâ celeritate propugnaculum Sabaz ad Savum fluvium ædificavit. Hoc quanto cum detrimento & præjudicio Hungariæ fieret, ubi Matthi-
1469. as cognovit, sine mora cum Bohemis atque Polonis pacem sanxit, collectisque copijs non modo Sabaz expugnavit, sed totam
1475. Bulgariam domuit, unica Sinderovia excepta, quam arctissima obsidione cinctam dereliquit; majori cum exercitu reverti, & glaciei adminiculo eam superare cogitans. Sed fama de pulchri-
Lib. 34. tudine ac præstanti formâ sponsæ Beatricis, quæ ex Italia ei adducebatur, sparsâ, adeo eum perculsit, ejusque animum, invictum alias, emollivit, ut bellicis apparatibus sepositis, ad nuptiales pompas omnes suas cogitationes & curas applicarit, ad quas omnes Regni Proceres atque nobiles convocarat. Sed nihilo segnius res suas curabat Turca, nec frustra elabi tempus passus est. In Dalmatiam primum irrupit, eamque vacuam nobilitate devastavit; inde subito converso cursu, Sinderaviam petijt, & glaciei ope propugnacula quibus illa vallata undique premebantur, destruxit, urbem gravi obsidione liberavit, inde in Transylvaniam atque Walachiam delatus, ferro flammaque omnia populatus, maxima collecta præda ad quadraginta millia animarum abduxit. Quòd gravissimè Vngaros afflixit, qui non amplius offendendo bellum gerere deliberabant. Interim dum
1474. Matthias Rex in pacis tractatione cum Bohemis ineunda, magnificis convivijs & ludis campestribus in sponsæ deductione habitis, tempus frustra tereret, Turca motus siccitate atque ariditate temporis, Savum atque Dravum superat, & in Styriam usque crudelissimas incursiones tentat; sed temeritatis tantæ haud indignas ab Hungaris luit pœnas. Vniversa quoque Dalmatia recuperari potuisset, si eodem studio atque diligen-

tia

tia in Turcicum, ut in Austriacum bellum incubuissent. In Transylvaniam cum sexaginta millibus militum Turcæ descende- lib. 36.
runt; quorum pars major industria atque fortitudine Stephani 1480.
Battorij Waiwodæ perijt. Mahomete extincto, omnes Vnga- 1481.
rici regni provincias Matthias recuperare potuisset (ipso *Ba-* Bonf. l. 40.
*jazethe* teste) quod fratres Turcæ de Imperij successione inter 1482.
se litigarent, & præcipui Macedoniæ Nobiles ab ijs secessionem fecissent; sed ad alia cogitationes & consilia sua ille direxit, rebusque alijs intentus Walachiam Bajazethi in prædam reliquit, aliò conversis armis & milite qui ad defensionem hujus Provin- 1486.
ciæ conscriptus fuerat. Sæpius de pace ipsum Mahometes re- Laon. l. 41.
quisivit, quam cum minus securam & tutam fore judicabat, ve- 1490.
ritus ne sub pacis tractatione majores insidiæ struerentur, & bellum acrius conflaretur, eam inire recusavit, respondens: Vngariæ Regi non esse licitum, vel pacem vel inducias cum Turcis pacisci, se rebus suis ad limites regni prospecturum, prout eos animatos vel instructos noverit. Neque in posterum Legatos in suum conspectum venire passus est.

Matthia vitâ functo, modus procedendi contra Turcas totus fuit immutatus, pax precibus suis exorata, quam toties ille respuerat. Tantum efficere queunt discordiæ atque dissidia. Namque VLADISLAO (posthabitis competitoribus Maximilia- Bonf. l. 42.
no Austriaco, Alberto fratre Vladislai, & Corvino naturali Mat- 1491.
thiæ filio, quorum quilibet plurimos in regno habebat assecias) 1492.
in regem electo, miseræ illæ provinciæ gravissime fuerunt afflictæ. Turca eas biennio integro impune devastavit, nec Croatiæ pepercit; Ladislaus pacem à Bajazethe petijt, & aliquandiu ejus legati sine responso rerenti fuerunt, tandem pacem sesc initurum negavit, nisi liber ei in Croatiam & Walachiam transitus concedatur. Quo intellecto pacem cum vicinis Ladislaus stabilivit, & conscripto sexaginta millium militum exercitu, in 1493.

Bulgariam hosti obviam profectus, qui ad obsidendam Albam Græcam tendebat; sed de regis adventu certior factus, mutato consilio Constantinopolim repetiit, relictis triginta millium equitum ad limites regionis, & missis legatis, qui cum rege de induciis agerent; quo & tempore & occasionibus rei gerendæ eum frustrarct. Ea tractatione durante, Walachiam & Albaniam, tum etiam Transylvaniam devastando, maximis tamen damnis à Siculis acceptis, percurrit. Postea evocatus à Croatis quibusdam proceribus, Carniam atque Carinthiam invasit; & passim tanta crudelitate in incolas sævijt, ut relictis patrijs sedi-
1494. Bonf. l. 44 bus in regiones quæ ad Savum & Dravum sitæ sunt, habitatum migrare deliberarint. Inde Savo superato Petroviam usque progressi sunt Turcæ; acciti, ut credebatur, ab Vngaris quibusdam proceribus, quibus cum rege non adeo recte conveniebat. Verum Vladislaus anno sequente par pari retulit. Namque Bulgariam ad centum fere milliaria devastavit, prædamque tulit
Bonf. l. 45. opimam. Qua cum exercitus onustus esset, ulterius progredi periculosum ratus, pedem retulit; cum Constantinopolim usque facilimè penetrare quivisset, ubi jam tumultus atque seditiones gliscebant, propter Imperatoris absentiam, qui in Asia maximas aliquot clades à Persis acceperat. Rectius igitur ut rebus
Sambucus suis consuleret pacem ab Vladislao petijt, & tandem obtinuit;
1514. ortis seditionibus nonnullis in Vngariam quæ regem aliquandiu occupatum tenuerunt. Vbi *Selimus* regnum auspicatus est, Vngarorum vires inertia & discordijs attenuatas, nec tanta successuum prosperitate eos in bello ut quondam procedere comperit. Initio regni Sabaz & Tonninum aggressus est, totam Croatiam sibi subijcere parans; cum verò Vladislaus maximos belli apparatus instrueret, pacem Selimus propter clades Turcis in Asia illatas petijt; eamque obtinuit, quod plebs Vngarica diuturna pace corrupta contra nobiles arma corripuisset, vitio illis

ver-

vertens, quod posthabito bono publico universorum, sui commodi causa bella foverent. Quod manifestum erat indicium proximæ ruinæ, quia hosti quasi liberum relinquerent, pacem petere & quoties vellet obtinere.

Post Vladislaum regno potitus est LVDOVICVS decem an 1516.
norum puer. Cujus tutela & regni gubernatio parum fideliter à tutoribus administrata fuit; unde rex negligenter educatus,& intestinis dissidijs regnum laboravit. Secutus est Majestatis regiæ contemptus; nonnulli de corona occupanda clandestina inire consilia ausi fuerunt; & militiæ studium protinus fuit neglectum, pace ijs regionibus à Selimo concessa, siquidem in Asia, quod ageret abunde haberet. Sed ad regnum ubi pervenit *Solimannus*, qui gloriæ rerum à patre in Asia gestarum invidebat, haud minus lætos belli successus in Europa sibi pollicitus, Bel- 1521.
gradum initio occupare, Vngarosque otio sopitos expergefacere atque excitare constituit. Dum illi atque alij Principes Christiani consilijs habendis, & celebrandis comitijs atque dietis operam dant, Solimannus cum ducentis millibus hominum in Croatiam atque Transylvaniam irrumpit,& alteris totidem propugnaculum totius Vngariæ expugnat. Inde ruinam tanti regni præmeditans, & necessarios ad bellum adparatus faciens, Vngaricâ nobilitate discordijs atque rebellionibus attritâ, tandem versus Albam Græcam, cum trecentis millibus militum movit, eamque trecentis machinis oppugnavit. Ludovicus etsi 1526.
exigua apud suos authoritate valeret, ad consueta tamen remedia tantorum malorum,& ad externa & peregrina auxilia recurrit. In comitijs regni suis proceribus & militibus locum assignavit, quo convenire deberent ad resistendum hostibus, ne Savum transirent, donec reliqua auxilia adventarent. Ipse ut tempore constituto Toluam attigit, neque Transylvaniæ neque Croatiæ neque Bohemiæ copias auxiliarias reperit. Et qui comparue-

rant Nobiles ulteriùs progredi contra hostem recusant, rege reliquos operiunte, sua adducentes & allegantes privilegia quod non nisi regem comitandi caussa in bellum proficisci tenerentur. Interim certo affirmatur Savum Solimannum superasse. Quo intellecto Ludovicus hosti ad Dravum cum viginti quinque militum, quos secum habebat, occurrere statuit. Vbi ad oppidum Mohaz pervenit nunciatur ei, Solimannum Dravum quoque superasse, & duobus tantum milliaribus ipsius castra inde distare. Rex attonitus nec retrocedere sine manifesto periculo, neque ad manus venire sine gravi temeritatis nota sibi licere videns: tandem nescio quo suo fato eorum assensit sententiæ, qui prælium committendnm suaserunt, quod totum exercitum promptissimum & alacrem ad prælium cerneret, & in hostium exercitu ultra septuaginta millia militum non reperiri compertum haberet, reliqua verò multitudo ad certamen inutilis esset. Vngari primùm in aciem progressi sunt, sed Turcæ ante tertiam horam pomeridianam castris non sunt egressi. Qua mora Vngari pertæsi, & impatientes redditi, primam hostium turmam quæ comparuit citra necessitatem adorti sunt, eâque subito in fugam conjectâ, & victoriam & triumphum clamarunt, fugientes diutissime insequendo. Ad primum hujus pugnæ successum Rex quoque cum suo comitatu in hostem movit; ad angustum quendam vallis aditum undiquaque paludibus cinctum pertractus, maxima tempestate machinarum bellicarum & recentibus hostium copijs fuit exceptus. Metum atque pavorem auxere strepitus bombardarum & fumus crebris machinarum ictibus excitatus; unde Vngaris plus damni, quam à globulis ignitis fuit illatum. Eorum acies confusa & ad fugam inclinans retrocedere nequibat propter sociorum qui sequebantur multitudinem. Coacti igitur ad latus se convertere, & in paludes proximas se præcipitare; ubi

miserè

miserè perierunt, vel ab hoste interempti fuerunt, Rege ipso in fugâ extincto. Nec ultra horam unam & mediam clades illa duravit. Solimannus longius hostem insequi noluit, veritus ne in insidias incideret, unde nonnulli noctis beneficio periculum evaserunt. Hostis tam insigni victoria potitus, hinc inde citra ullum impedimentum excurrendi & prædandi liberam commoditatem nactus, ad utramque Danubij ripam & regionem contiguam sævijt, ut ducenta millia hominum in Vngaria câ vice desiderata fuisse nonnulli affirment. Nec curæ ipsi fuit propugnacula & loca munita in suam potestatem redigere: sed revocatus in Asiam, propter tumultus quosdam recens ibi natos, Vngariam pessime constitutam dereliquit.

Ioannes Zapolita Transylvaniæ Waiwoda apud plerosque suspicionem incurrit studio ipsius copias ante prælium domi retentas fuisse. Nam subitò ubi regis mortem inaudivit cum exercitu comparuit, & in regem à quibusdam fuit electus. Eum tamen FERDINANDVS Austriacus, quî à potiori parte Nobilitatis & ob graviores rationes Rex fuerat creatus, vi cedere coegit. Vnde Ioannes implorato Turcarum auxilio patriam Solimanno nefarie prodidit. Vbi lacerum ac pene convulsum Vngariæ regnum Ferdinandus adeptus est, etsi alibi satis haberet quod ageret, ob motas in Bohemia & Germania religionis caussa discordias, Carolo V alijs bellis impedito, non destitit tamen omnibus suis viribus contra tam potentem hostem illud defendere. Bellum Vngaricum Solimannus diligentius fovebat; quod Iohannes, si regno Vngarico potiretur tributum illi solvere annuum pollicitus esset; qui nec proprijs viribus & copijs ad expugnationes locorum, & reliqua belli munia juvanda præstò esse detrectabat. Plurimi præ timore ultrò deditionem fecerunt: alij commissa sibi propugnacula vacua defensoribus deseruerunt. Subito Solimannus nemine id verente, Vien- 1526. 1527.

nam

nam usque cum trecentis millibus militum excurrit; in quâ
1529. tamen expeditione florem militiæ suæ præcipuum amisit; elapsis viginti duobus diebus, iterum fugientis instar discessit, cum præsidium Germanorum adventare intellexisset. Nec minus turpiter anno sequenti ex Vngaria, cujus limites cum quingentis millibus hominum insederat, aufugit; ubi primùm Caroli V Imperatoris discessum Augustam intellexit: & tantum maturavit abitum, ut ne adventum quidem centum quinquaginta militum, quos versus Aurelianum seu Linzium deprædatum emiserat, expectarit, majora quoque damna ejus exercitui illata fuissent, nisi expresso mandato copiis ijs Christianorum, quæ circa Viennam in excubiis erant, injunctum fuisset, ne ante Imperatoris adventum quicquam tentarent. Ioannes Rex homagio adstrictus domui Ottomannicæ, Budam defendendam à Solimanno acceperat, additis tamen custodibus, sine quorum consensu nihil quicquam tentare audebat. Inde sentiens fraudem, quâ Turca citra suorum periculum Vngariam acquirere machinabatur, cum Ferdinando pacem inijt; eâ conditione, ut Regno quam diu viveret frueretur, post ejus obitum Ferdinando illud cederet, concessâ tum filio, si quem superstitem reli-
1538. cturus esset, Transylvaniâ & regione ultra Tibiscum sitâ. Mo-
1540. riens Ioannes filio recens nato, cui Ioannis quoque nomen inditum erat, tutores reliquit matrem Isabellam, & fratrem Georgium; qui moti singulari quadam ambitione, ne administratione tanti regni privarentur, pactis conventis satisfacere recusarunt, & quò commodius Ferdinando resisterent Turcarum imploratarunt auxilium. Ii primo statim impetu Insulam prope Budam ceperunt, haud sincere nostro exercitu eam defendente; qui paulò pòst à Solimanno, qui maximas adduxerat copias, stragem atque cladem immensam accepit, amissis impedimentis omnibus & Pesto oppido hosti in prædam derelicto. Solimannus

nus puerum illum Joannem ad se duci, ejusque matrem in destinatam Transylvaniæ & regionis ultra Teissam seu Tibiscum sitæ administrationem proficisci jussit: Budæ vero Turcicum præsidium imposuit. Ferdinandus per legatos de pace cum ipso agere nitebatur, sed ille successu tam prospero elatus conditiones hasce proposuit: ut Vngaria excedat, & Austriæ nomine tributum solvat, sin minus pacem se nunquam initurum. Nec multò pòst cum alibi Ferdinandum occupatum sciret, cum ducentis viginti millibus militum reversus Strigonium obsedit, & post multas oppugnationes deditione, non citra proditionis suspicionem, eam cepit. Inde versus Albam regalem conversus non tam vi quam ope densæ nebulæ eam adeptus est. Vbi tandem Ferdinandum cum quadraginta millibus Possoniam venisse, & recta contra illum tendere intellexit. Cujus adventum cum expectare nollet, dimissis copiis Constantinopolim repetiit. Ferdinandus ulterius cum exercitu profecturus à Bohemis fuit impeditus, qui transire Danubium negabant, inclementem cœli temperiem causantes; potior tamen caussa fuit, quod voti compotes facti fuissent, hoste impedito ne ultra Danubium exercitum promoveret. Pax tandem inter Ferdinandum & Solimannum concluſa, à Georgio Ioannis Regis fratre homine inquieto turbata fuit. Ille enim absolutum Transylvaniæ dominium sibi poscens, Isabellam indigne tractabat. Quæ cum Turcarum auxilium imploraſſet, ille ad Ferdinandum recurrit, qui octo millibus militum duce Castaldo in præsidium ei misit. Sed vidua artibus potius quam vi placata, regionis istius dominium retinuit. Ad quam recuperandam Turca exercitum misit copiosissimum & Cippam atque Temesvariam occupavit. Vtraque tamen paulò pòst à septuaginta millibus Transylvanis ei fuit erepta. Moti fuerunt anno sequenti novi in Germania tumultus; ob quos

1541. *Hortensius in bello Trāsil.*

1543.

1551.

1552.

perexigua in Hungariam missa fuerunt præsidia, & eadem à ducibus male fuerunt conducta. Aldano qui Lippam defendebat, male cessit Segedini occupatio, quam cum urgeret obstinatius, ejus milites qui deprædationi inhiabant, maxima clade à Turcis fuerunt affecti. Cumque Lippam arctius & diligentius quam Temesuariam tueretur, hæc illi primum erepta fuit, illam sponte nondum hoste conspecto turpiter deseruit. Non multùm pòst, Solmias propugnaculum in monte eminenti situm Turcarum cessit p[illegible]ti. Locus hic commodus & opportunus ad Lippam r[illegible]perandam fuisset, quod exiguo intervallo ad ictum bombardæ inde distet. Secuta est clades sex millium militum, qui sub Deufelio & Palavicino militantes cæsi fugatique fuerunt, quod parte exercitus hostilis fugata, nimis attenti ad prædam fuissent. Cum itaque nullibi quisquam compareret, qui partes Ferdinandi defenderet & hosti se opponeret, Turcæ Solnock, unde præsidiarii ausugerant, occuparunt, & Agriam tentarunt frustra, inde depulsi ditionem omnem ferro flammaque devastarunt.

Tot cladibus acceptis Transylvani de Ferdinandi patrocinio atque defensione à vi hostili desperarunt; Turca quosdam qui contrariæ factioni erant addicti fovebat. Idem faciebat Rex Poloniæ. Solimannus preces Isabellæ libenter admittebat, quæ se deceptam querebatur, quod promissa non fuissent servata. Subditi tot malis, quæ tam ab amico quam hostili exercitu perpessi fuerant, maxime fuerunt irritati. Itaque ut primus Costaldus ex provincia discessit,
1553. infans *Ioannes* in eam fuit restitutus, Turcarum inprimis auxilio. A quorum devotione cum tota ea ditio, una cum Moldavia & Walachia dependeret, maiores progressus contra Vngariam suscipere statuerunt. Quorum nonnulli lætos habuerunt exitus, siquidem Sigetum atque Iulam regni

toti-

totius claves præcipuas, occuparunt: illam vi cum maxima 1566.
suorum strage, hanc per proditionem ut suspicamur, quod Sambu-
dux præcipuus qui illam defendebat, Battoriis, qui à Ioan- cus.
nis partibus stabant cognatione iunctus esset. Ex hac Bat-
toreorum familia plurimi duces præstantissimi belloque
strenuissimi, & magnanimi heroes exstiterunt. Primam
gentis suæ originem è regiâ trahentes, in regni dissensioni-
bus plerumque iis astiterunt, qui nobilium defenderunt
partes: in hoc bello Austriacorum auspicia secuti sunt. Sed
nescio quâ ratione sceleratorum quorundam operâ post Fer-
dinandi mortem ab eodem alieniores fuerunt facti. Culpa
imputatur gubernatori qui Zatmariæ præsuit; quod ob rebel-
lionem Transylvaniâ exulans, huius loci cura ipsi à Fer-
dinando commissa fuisset, id Transylvani in sui contemptum 1564.
factum interpretabantur: ipse vero Zatmariæ præfectus
quasdam propter jurisdictionem Somlii, quæ ad Stephanum
Battorium spectabat, rixas excitavit. Ius quoque Battorei su-
per Zatmariam prætendebant. Vnde primum differentia na-
ta; quâ auctâ postea cum Ioanne defuncto, *Stephanus* in Tran-
sylvaniæ principatum successit, & brevi pòst Poloniæ regnum
adeptus est. Nec sub ejus fratre Christophoro exstincta. Ad
tertium tamen hæredem, Christophori scilicet filium Sigis-
mundum non transiit; quin præteritarum iniuriarum obli-
vione illud in arctissimam amicitiam & necessitudinem suit
conversum. Sigismundo non amplius Waivvodâ vel gu-
bernatore, sed vero Domino Transylvaniæ Moldaviæ &
Walachiæ, tum etiam Principe Imperii existente; sub cuius
imperio hæ provinciæ ad debitam obedientiam redactæ,
unde prius in hoc regnum Turcis patebat aditus. Vngaria
firma spe fruitur, tandem aliquando jugum Turcicum pro-
tinus excutiendi, accedente ad ipsius virtutes faùsto nomi-
nis omine; siquidem sub priori Sigismundo primùm tyran-

nidem experta Turcicam, à qua huius alterius ope brevi toram se, restitutâ pristinâ libertate, liberatam iri confidit.

*AD HANC historiæ Turcicæ Epitomen, collectam ex quàm plurimis auctoribus, addi potuissent, quæ in bello, quod adhuc viget, contigerunt. Ea enim compendij instar sunt; pleraque actionum Turcicarum hactenus usitatarum, si perfidiam in pace temere rumpenda, & iuris gentium violationem in sacrosancta Legatorum persona perpetrata, tum etiam locorum expugnationes & pugnæ committendæ rationem spectes. Sed cum de plurimis successibus nondum vere judicare liceat, ad aliam historiam particularem ea reservabimus. Sufficiat nobis, res gestas ubi opus erit breviter indicare quam de iis iudicium ferre.*

SECTIO II. *EX HAC narratione facile videre est, Turcas non casu quodam, vel fortunæ ductu ad tantam potentiam pervenisse, sed artibus atque potentiâ, invictis quoque viribus, ea potitus esse. Cum autem ob brevitatem, qua in recensenda historia usi sumus, peculiares quidam modi, & procedendi rationes à Turcis observatæ, indicari nequiverunt, de iis singularia capita instituemus, & de ASTVTIA & artibus Ottomannicis, de eorundem fraudibus, tum etiam de VIRIBVS quæ in* obedientia, thesauris, & militia *consistunt, subiiciemus.*

## CAPVT I.

## DE FALLACIIS ET ARTIBVS OTTOMANNICIS.

NEmo unquam sublimem atque eminentem quandam dignitatem solis viribus, nulla adhibita fraude, adeptus est; plurimi solâ fraude ac violentia ad eas pervenerunt; ut annotat ille bene notus Secretarius. Romani sub prætextu societatis & amicitiæ cum vicinis pactæ, potentiam suam, auxerunt, adiuti sociorum auxiliis. Quibus posthabitis sibi solis parta bello attribuebant; socios postea ipsos, cum fraude cognitâ rebellionem molirentur, aggressi, eos domuerunt. Xenophon verum Principem sub Cyri persona de-

*b. 2. c. 13.*

describens, dicit illum Armeniam atque Mediam non armis sed fraude acquisiviſſe; innuens eum ſine dolo ad tantam potentiam & dignitatem non fuiſſe perventurum.

Duo autem notantur fallaciarum genera. *Primum* intelligitur, pro omni effectu actionis cuiuſpiam incognitæ & inexpectatæ, vel ſaltem quæ iudicatur inepta & inutilis, ut tale quippiam in eiuſmodi perſona, tempore & loco producat. *Deinde* fallaciam dicimus, omnem actionem & effectum inexpectatum, non propter aliam cauſſam quam quod impoſſibilis haberetur in tali perſona loco & tempore, interveniente iure amicitiæ vel fidei datæ. In primo genere præſupponimus certum quoddam ingenii acumen ac promptitudinem; & recte ars vel aſtutia vocari poteſt, quæ in plurimis cum ipſa prudentia convenit, unde laudem quandam meretur. Alterum genus fallaciarum malignitatem adiunctam habet & hominum commercio adverſatur, quo leges violantur, iura communia & naturalia everruntur, proprie fraus, dolus, periurium, proditio nominari debet: illudque comitatur vituperium. Vtigitur cognoſcamus, quid laudis, quid vituperii habeat Domus Ottomannica, utrumque genus fallaciarum, artes videlicet ipſius atque fraudes examinabimus.

Ars & aſtutia Ottomannicorum dici poteſt, ſingularis illa ſolertia atque diligentia, quâ in omnes occaſiones intenti vigilarunt, nec ullam è manibus ſibi elabi paſſi ſunt commoditatem, quæ rebus ipſorum conducere poterat, vicinorum diſcordias non ſolum fovendo, ſed etiam procurando, ut debilitatos facilius vincere poſſint. Aſtutiæ ipſorum adtribuendum, quod omnibus qui ipſorum opem imploraruńt auxilium præſtò tulerint: Partem igitur alacriorem & potentiorem auxilio debilioris oppreſſerunt, debiliores multo facilius ſuperarunt. Ipſi ſæpius auxilia obtulerunt

sub prætextu innocentiæ, ut oppressos iniuria vindicarent. Vladislao regi Vngariæ auxilium per legatos obtulerunt contra Albertum Austriacum: verum ille morte fuit præventus. Corvino filio naturali Matthiæ promisit auxilium sponte quadraginta millium militum, cum quibus regnum paternum Vladislao II eriperet; prætendens Baiazethes se jure id facere, ob parentis in se meritum, qui durante dissensione cum fratribus maxima illi damna inferre potuisset, ei tamen pepercisset. Sic Laurentio illi qui ab Vngaris desciverat maxima promisit auxilia, pro quibus unicum solum propugnaculum in Dalmatia sibi popoſcit, cujus ope aliunde impressionem facere posset: ille tamen utrumque respuit. Vltrò igitur Turcæ, ubi non fuerunt vocati, sese insinuarunt: ubi vocati semel fuerunt admissi non facile rursus potuerunt expelli. Imitati herinaceum illum, de quo fabulæ tradunt, illum semel pluvioso cœlo à serpente in angustum antrum admissum; ibi commode suos aculeos explicasse & serpentem offendisse, serpenti conquerenti respondisse si manere nolit abire liceat. Astutia Turcæ dicenda, quod sentiens plus sibi ad acquirendam victoriam strictam atque severam disciplinam militum quam arma conferre, celeritate in bellis uti consuevit, brevi tempore iisdem finem imposuit, maximoque cum exercitu atque apparatu eadem gesit; Romanorum hac in parte exemplum imitatus. Vbi igitur expeditionem quandam cum numerosissimis copiis suscipit, eam feliciter ad finem perducit: copias reducit subitò, antequam nostrates qui tardiores sunt in apparatibus faciendis, pedem moveant, unde & tempus & pecunia frustra insumitur. Neque unquam ad pugnam descendit, nisi de victoriâ vel propter immensam suorum multitudinem, vel ob alias commoditates, quæ ipsi potius quam hosti serviunt certò confirmatus sit; neque turpe etiam ducit hosti

*Bonf. l. 24 1439. lib 40. 1491. lib. 46. 1514.*

cedere,

cedere, modò id suo cum commodo fiat. Astutia & non casus fortuitus fuit, quod excursiones crebras & immensas (ad quas magis idoneum se suosque quam ad statarias pugnas cognovit) sæpius tentavit; iisque plurimas provincias devastavit, & in eum statum reduxit, ut quæ per desperationem eius imperio non cessisset, vel tributum solvere parata esset nullo negocio abipso superari & vi opprimi potuerit. Huc accedit, quod eiusmodi excursionibus milites semper laboribus bellicis exercitati & præda opima locupletati fuerint. Astutia Turcica dicenda, quod ubi ad manus venire aliquando coacti fuerunt, suis incommoditatibus aliunde prospexerunt: non audacter in hostem impetum faciendo, sed eundem excipiendo: nunc timorem nunc fugam fingendo, nostras copias armorum gravitate defatigatas, & earum ordine turbato tamdiu ludificarunt & circumegerunt, donec manifestò conspexerunt suum commodum. Vnde victoriis potiti sunt celeberrimis; in Asia quidem contra ambos Palæologos, in Vngaria vero ad Varnam & Mohaz, & forsitan, si quis id credere velit, ad Agriam. Astutia quoque fuit, unde ut Græci referunt plurimùm Turcarum res promotæ fuerunt, quod bello capta mancipia hinc inde in varias provincias dimiserunt, & incolas atque habitatores diversarum regionum invicem commutarunt, atque eos duntaxat quos maxime idoneos ob ætatem & ingenium iudicabant, in sectâ Mahometanâ instituí curarunt. Hinc Turcarum copiæ vehementer auctæ, colonias Romanorum more, ad Imperii limites ducere potuerunt, qui regiones vacuas habitatoribus incolerent. Hæ artes iunctæ institutioni militari (de qua inferius) & stratagematibus, quæ annotamus, origo fortunæ atque incrementi rerum Ottomannicarum dici possunt. Quæ consistunt in industria & prudentia; in quibus Turcam non barbarum sed verè Græcum esse, abunde apparet.

*Fran-*

*Fraudes atque doli*, malitiosum genus fallaciarum, domui Ottomannicæ turpissimam inusserunt maculam, eiusque gloriam haud mediocriter obscurarunt. Sed quid mirum? Ex media barbarie orti Turcæ, ad Europæ humanitatem atque civilitatem progressi, Græciam sibi domicilium ac sedem firmam elegerunt; ubi fides ipsa unà cum religione, non modo penes privatos, sed etiam apud ipsos Principes atque adeo Imperatores, extincta & abolita fuerat neque promissorum, neque iuramenti ulla habebatur ratio. Quod ad nauseam vsque in historicis Græcis legimus, & vitium illud multoties in ipsis Palæologis deprehendimus. Si ex Græcis autoribus ruptæ ab Ottomannis fidei exempla compilare vellemus, integra nobis conscribenda forent eius rei volumina. Sed cum iam à multis annis, astutia seu perfidia potius Turcica in Vngariæ regno notissima sit, sufficit mihi relictis vetustioribus exemplis annotare quid contigerit præsidiariis, qui Budæ, Volpii, Soclesiæ, Strigonii, Albæ regalis Iulæ, & Agriæ deditionem fecerunt, ubi fidem habentes pactis iuratis, Turcis sese crediderunt, qui ut eorum bonis potirentur iunctà perfidiâ cum avaritiâ misere eos occiderunt. Neque Princeps excusari potest, quod se invito & nolente eiusmodi facinora à militibus perpetrentur: tum quod nunquam dignas propter eiusmodi enormitates ipsis pœnas infixerit, tum etiam quod suo exemplo, omni crudelitatis genere, ad similia perpetranda eos instigarit. Mahometes sub prætextu colloquii de seriis & maximis momenti rebus habendi, Stephanum Bosniæ & Rasciæ Regem ad sese evocarat; quem, ubi comparuit, perfide secum retinuit, & vivum crudeliter excoriari iussit, occupatis quas possederat ditionibus. Idem plane & eodem modo contigit Mailato Transyluaniæ VVaivvodæ. Sed neque Legati, qui apud omnes gentes sancti & inviolabiles habentur, securè apud

*Niceph. lib. 5.*

1524. 1543. 1552. 1565. 1596.

*Bonf. l. 30,* 1463. 1542.

Turcas

Turcas versari potuerunt. Lascus à Ferdinando pacis tractan- 1542.
dæ caussa ad Solimannum missus, in carcerem fuit detrusus, inde dimissus in itinere ex oblato veneno exstinctus est. Initio ejus, quod adhuc durat, belli, Legatus Cæsareus Grocovicius ad 1593.
mortem usque in carcere fuit detentus; quod post Bicciam contra pacis conditiones captam, Cæsarem non impediviſſet, quo minus arma in vindictam rupti fœderis sumeret, & autor exstitisset, ut consueta tributa dona & munera Turcis mitterentur, ne ulterius procederent. Eò processit Barbarorum arrogantia nostris discordijs confirmata, ut continuos de nobis triumphos agere cogitent. Et videtur sanè, perfidiam Domus Ottomannicæ augeri indies, ubicunque spes lucri vel imperij accrescendi occasio intervenit. Quin singularis stratagematis loco, perfidiâ utuntur, ut vicinis metum atque formidinem incutiant; quasi ipsorum amicitia non indigeant, freti suis armis. Eòdem *Bonf. l. 23.*
recidit Mahometis dictum ex Euripide allatum, quo etiam Julius Cæsar usus est; scilicet *solius regni caussa jus violandum esse*: cogitabat enim Europæis, rupta pace sanctè jurata atque initâ, bel- *lib. 13.*
lum inferre. Eadem fuit Bajazethis sententia, cum Sigismundi legati ipsum hortarentur, ut Bulgariâ abstineret, quæ nullo jure ad ipsum spectaret; Legatos in domum quandam duxit, quæ undique armis strata & ornata erat, eisque respondit, jus suum supra Bulgariam ad muros usque sese extendere: innuens rationes potiores quibus inniteretur in armis consistere. Non igitur absque ratione Matthias, cognitâ Turcarum perfidiâ, Mahometis II Legatos admittere voluit, quod sub specie pacis grauius bellum eum machinari cognosceret.

*Et hæc hactenus de fallitijs atque fraudibus Ottomannicorum dicta sufficiant.*

## CAPVT II.

### *DE VIRIBVS TVRCARVM.*

*CVm non solum astutia & fraude, sed viribus etiam adhibitis & violentia, ut fieri solet, Domus Ottomannica ad tantam potentiam pervenerit; considerandum in quibus rebus robur ejus præcipuum consistat,* nimirum in *auctoritate*, sive obedientia, *thesauris* & *militia*.

#### *De Auctoritate seu obedientia.*

TAnta erga Imperatores Turcas est subditorum obedientia, ut major vix mente concipi, par autem introduci non possit, nisi eadem adhibeantur media quæ efficacissima hæc Religio & Secta experta est.

*Primum* quod occurrit medium ardentissimus Zelus Religionis est. Cujus suprema jurisdictio cum Regia atque adeo absoluta autoritate penes Imperatores consistit, à primo Mahomete ad successores translata. Ejus stimulis adeo irretiti tenentur subditorum animi, ut verè beatum ducant, qui in regis obsequio vitam profundit, id qui facere recusat vel obstinatum sese præbet, gravissima pœna & castigatione, ut qui & Deum & Propheram graviter offenderit, dignus censetur.

*Secundum medium* in eo consistit, quod omnis imperandi potestas ab uno solo dependet. Nec magis singularis vel absoluta aut exactior potestas in aliquo imperio cernitur, quàm ipsi Turcarum Imperatores habent. Eam duobus modis acquisiterunt, *tum* quod nunquam habuerunt imperij æmulos vel socios, occisis omnibus cognatis qui jus aliquod super illud prætendere possunt. Ars barbara & execranda, quæ tamen ad reprimendas discordias plurimum valet. *Deinde* quod nullum genus dominij subditis permiserunt integrumque reliquerunt, unde rebelliones exoriri possent. Idque hac ratione: cum Ottomannus principatum atque imperium subditorum sine competitore acqui-

acquisivisset, morem introduxit; ut omnia immobilia Imperatori cederent, & ex reliqua præda decimæ ipsi penderentur. Hinc provinciarum atque urbium dominium consecutus, iisque gubernatoribus, quos pro libitu mutare poterat, regundis concessis, duobus modis id commodis ipsius conduxit. Quod nimirum fortitudinem militum recompensare potuerit, concessis iisdem provinciarum administrationibus, unde favor ei & benevolentia parata erat, & alios spe remunerationis ad virtutem excitavit: deinde omnem rebellionis caussam atque occasionem ablato dominio sustulit; filios spe parentum amplas hæreditates acquirendi privavit, ne ansam haberent vitam otiosam agere, sed potius excitarentur ad paternas virtutes imitandas ob quas digni haberentur, qui in officijs quoque illis succederent: oppida, domos, campos & rura bello capta inter milites spectatæ fortitudinis distribuit, ea tamen lege, ne vel testamento, vel quovis alio modo alienare ea possent; Imperatori integro relicto, eadem cum vellet repetere, solo usufructu subditis concesso, quo tanquam beneficiarij fruantur. Eadem fere ratione, quemadmodum apud nos vasalli feuda à Dominis feudatarijs accipiunt; quæ tamen paulo ampliori cum jurisdictione largiuntur. Pro ratione igitur prædiorum Ottomannus vasallis unum vel plures equos & servos in bellum ducendos obstrinxit: hi reditus habent ex decimis quas rustici solvunt, ex mulctis & muneribus quæ ipsis obferuntur.

Huc accedit coloniarum usus, quæ ad subigendas provincias & domandos subditos plurimum prosunt. Si enim ex uno loco omnes incolæ priores aliò habitatum ducantur, unde in patriam redeundi, pristinamque libertatem recuperandi spes eis auferatur, & in horum locum novis inquilinis regio eadem locupleterur, quibus tota provincia dicto modo distribuatur, nullæ seditionum vel rebellionum caussæ supererunt, tota regione cũ novis habitatoribus fere immutata.

Tum etiam consuetudo Aulæ & modus procedendi, in illis principijs observatus, veram obedientiam peperit. Aula namq; refertissima erat illustribus viris, qui è regio sanguine descenderant: ibidem non alebantur ut officijs & provinciarum administrationibus præficerentur, sed potius ut ornamento essent aulæ familiæque imperatoriæ, tum etiam ne rebus novis studerent, si abessent longius. Non enim moris est quenquam ad sublimes dignitates promovere, nisi qui cubiculo Imperatoris præfuerit, ii ab infantia in aula nutriuntur, ut alium dominum fautorem vel patrem nõ agnoscant, quam ipsum Principẽ. Hinc fit, ut omnes Bassæ, Beglerbegi, Agæ, & reliqui officiarij atque milites aulici, Imperatoris sint mancipia. Qua servitute & nomine cum nunquam liberentur etsi supremos dignitatis gradus conscendant, factum ut brevi tempore, omnes ipsi olæ & universa regio in servitutem Imperatori cesserit. Quæ servitus non modò in vitam mancipiorum, sed in omnia etiam bona ipsorum, divitias, & liberos sese extendit. Non igitur ostentationis & humilitatis causa Bassæ, & reliqui officiarij inferiores mancipia sese nuncupant: sed quod reverà jurisdictionem absolutam Imperator in eorum bona & vitas habeat.

*Hæc conditio est subditorum Turcici imperatoris, inprimis verò eorum qui arma tractant, quorum vita & opes à mera & nuda voluntate Principis dependent, neque ulla, vel speciali libertate vel privilegio ejus imperium cõcretur, liberum ei est absque consensu & consilio subditorum de ipsorum vita & bonis pro libitu disponere, neque ei quisquam contradicere audet.*

## II.

## *DE REDITIBVS ET THESAVRIS REGIIS.*

NImis foret curiosum ac difficile, inquirere & perscrutari qui & quanti sint Turcici Imperatoris reditus; sufficit nobis ostendere, Turcicos thesauros inexhaustos esse, & nullâ ratio-

ratione noſtris opibus vinci poſſe, alia igitur media inveniendа ut ipſum ſuperemus. Ducatus autem Turcicus, quem cum Vngarico & Zecchino Veneto convenire precio fingimus, quinquaginta quatuor Aſpros valet.

Vnde nonnulli reditus Turcici Imperatoris hunc in modum ſuppurant. Ex Zeccha ſeu monetaria officina ſingulis annis percipit centum millia ducatorum. Vbi novus Princeps inauguratur, novi cuduntur aſpri, quorum decem faciunt duodecim veteres, inde octingenta millia ducatorum ærario regio accedunt. Primùm hanc conſuetudinem Mahometes II voluit ſingulis decenniis obſervari, quod tamen poſtea fuit immutatum. Metalli fodinæ conferunt centum millia ducatorum. Tributa, vectigalia & portoria millies ſeptingenta millia. Salmæ quingenta millia. Sub Bajazethe luſtrata fuerunt 1112000 Chriſtianorum, qui omnes tributa ſolverunt. Sub Selimo 1333000, non connumeratis iis qui in Aſiæ Provinciis nuper devictis habitant, & 6000 domibus Chriſtianis, quæ homagii loco unum tantum falconem donant. Lege Mahometana cautum eſt, neà Turcis ullum exigatur tributum; in cujus vicem honorarium hi tantum ſolvunt, viginti quinque aſprorum pro capite; Chriſtiani triginta contribuunt, præter extraordinarias impoſitiones, 30, 40, vel 50, aſprorum, quibus onerantur ſinguli ubi claſſis inſtruitur. Ejus tamen pecuniæ pars non exigua, ſolutis omnibus ſumptibus Imperatori remanet. Cairi Regnum quindecim mille equos, & auri millionem Conſtantinopolim ſingulis annis mittit. Officiorum quæ vocant reditus Imperator ipſe percipit; ij in ſingulos annos quingenta millia ducatorum efficiunt.

Si quis ſine hærede moritur, bona quæ reliquit, vel ſi quæ alia exſtant cujus dominus ignoratur, ad Principem devolvuntur: unde ſexcenta millia ducatorum annuatim colligit. Deci-

mæ prædarum, quæ terra marique rapiuntur Imperatori penduntur, quemadmodum & reliquæ ex frugum & pecudum reditibus collectæ, quæ cum mulctis in stipendia militum conferuntur. Neque quisquam ex officialibus reperitur, licet annuum stipendium percipiat, qui homagii nomine singulis annis Imperatori munus quoddam non offerat. Ex hisce reditibus omnibus ferunt nonnulli, tempore Solimanni, militum stipendiis & aliis impensis solutis quinque milliones singulis annis in ærarium Imperatoris fuisse reconditos, præter tributa, quæ Christianæ provinciæ conferunt ut pacem sibi redimant.

Nec est ut quisquam putet, Turcam continuis bellis thesauros suos exhaurire. Nihil enim in bella insumit, sed lucratur insuper modis extraordinariis. Siquidem exercitui certa sunt pacis bellive tempore assignata stipendia, quæ ubi contra hostem milites educuntur non augentur. Tribus autem modis potissimum in bello lucrum facit. *Primum*, omnia oppida & pagi obligati sunt in castra Imperatoris farinæ & hordei quantitatem, quocunque jubentur, deportare. Sub Selimo in Europa numerata fuerunt septuaginta millia pagorum mediocrium, præter eos qui in Asia & provinciis ab illo acquisitis reperiuntur. *Secundo* decimas, ut dixi, ex raptu & præda habet. *Tertio* loco sunt munera. More enim receptum est, ut omnes Bassæ Beglerbegi Sangiacchi & alii officiales Imperatori ubi ad exercitum pervenit sese sistant, & munere quodam ipsum honorent. Id cum fiat in publico & in conspectu omnium, ambitiose invicem certare solent, quis splendidius & præstantius donum Imperatori offerat. Non igitur expendit sed colligit pecuniam belligerando. Secus evenit nostris Principibus, qui rarò ditiores, sed plerumque exhaustis ærariis pauperiores ex bello redeunt. Quod si verum esset, quod dici solet, *Belli nervum in pecunia consistere*, plane invincibilis nobis Turca habendus esset. De qua re paulò inferius. III.

## III.

### *De Militia Turcica.*

CVm Lex ipsa Mahometana armorum patrocinio primum exorta & in posterum conservata sit, posthabito omni auxilio quod à Philosophiæ & Theologiæ studiis promanare posset, ejus asseclæ solam militiam, tanquam verum & unicum scopum omnium suarum actionum, propositam habuerunt, & tanto studio ei incubuerunt, ut efficacissimum belligerandi modum invenerint. Qui tantò majoris faciendus, quod eo tam diuturno tempore imperium conservarint, idque violentissimum aliâs latissimè ampliarint, contra ipsam naturam violenti quod nunquam diuturnum esse solet.

*Igitur de Militia Turcica aliquid dicendum: Quam dividimus commode in* Portam *seu aulam, in* Timoriatos, *& in* eas copias quas ad Imperatoris mandatum subditæ provinciæ in bellum mittere coguntur.

### *De primo Militiæ genere; Portæ scilicet seu Aulæ Turcicæ & ejus stipendiariis.*

CVm officia & munera aulica cum ipsis Monarcharum & Imperiorum incrementis indies mutentur, nemini mirum videbitur, si scriptores, in recensendis rebus Turcicis, nominibus, & militum numero atque militiæ constitutione, varient. Nos in harum rerum descriptione præter antiquiores, fidorum quorundam hominum relationes sequemur; qui statum harum rerum, cujusmodi sub Solimanno fuit, descripserunt; cum sub hoc Imperatore Imperium Turcicum maxime floruisse credendum sit.

Etsi nonnulli Portæ seu Aulæ constitutionem Ottomanno tribuant; Amurathes tamen ad perfectionem & splendorem eam perduxit, eamque illustrium virorum copia ac præsentia ornavit.

ornavit. Porta autem dicta fuit, quasi apertum quoddam asylum, omnibus iis patens, qui benignæ protectioni hujus Imperij se subjecerint. Dicunt nonnulli sub Bajazethe octodecim mille stipendiarios enutritos in aula fuisse. Eorum numerum sub Selimo & Solimanno ad triginta quinque millia excrevisse. Qua in re duo observanda occurrunt. *Primum* quod inter stipendiarios non recensentur nisi præcipui & domini ipsi, servis eorum quos ad belli usum alere coguntur, non numeratis. *Secundò* quod in hoc numero non milites solùm comprehenduntur, sed alij quoque officiarij. Mustius scilicet qui primus & præcipuus est Legis interpres; Cadilescieri qui sunt supremi judices: Cassnatarbassi qui supremi Thesaurarij officio fungitur: Emirlemus, qui belli insignia distribuit: Eunuchus præcipuus, qui præest Reginæ cubiculo: Visieri Eunuchi qui in Seraglio serviunt: Ostiarius; Coquus; Hortulanus, quibus alij collegæ & ministri parent: Tum qui armamentarij reparandi & instaurandi curam habent. His omissis, & stipendiariorum in alium locum rejectis, ad alios transeamus.

Sciendum initiò aulicam militiam & officiarios cunctos hac ratione in Turcicam servitutem devenire & mancipiorum numero adscribi. Cum Turcicus Imperator absoluram imperandi potestatem, & supremam jurisdictionem in suos subditos obtineat, neque ejus imperium ullam limitationem vel exceptionem patiatur, præter decimas redituum & spoliorum, decimas quoque è liberis Christianorum exigit. Res miserabilis & deploranda, quæ ministrorum qui ad tributum hoc exigendum constituti sunt, crudelitate magis misera & calamitosior redditur. Hi elapso quinquennio omnes provincias pervagantur, simique omnes Christianorum filios, qui decimum vel decimum quartum ætatis annum attigerunt, adduci in conspectum cogunt; ex iis semper quintum segregant, qui maxime

ipsis

ipsa arridet. Robur inprimis & corporis constitutionem considerant. Facta collectione, quæ ascendit ad decem vel duodecim millia puerorum, Constantinopolim eos deducunt, ubi cum ijs, qui ex præda Imperatori cedunt & ære comparantur, in duas classes seu cohortes dividuntur. In priori asservantur ij, qui liberaliori sunt vultu & facie decentiori, in altera vero qui rudiores & agrestiores videntur.

Hi *qui rudiores*, per Natoliæ oppida distribuuntur, & rusticis operibus ruri scilicet arando, & pecudum gregibus custodiendis, materiæ atque lignis ad ædificia portandis, alijsque ejusmodi laboribus applicantur, ut corporis vires roborent & confirment, quo magis idonei ad militiam evadant. Nonnulli ad remos alligantur; non ut navicularium discant, sed ut assiduis molestijs callum obducant. Vbi decimum octavum ætatis annum attigerunt (quo tempore nullo precio Imperatori constiterunt) & in Turcica lingua & moribus satis sunt edocti, qui mari serviunt Galliopolim vocantur, ubi triremibus impositi curæ ac disciplinæ seniorum Ianizarorum committuntur, arte militari, donec reliquorum Ianizarorum matriculæ inserantur. Qui in Natolia fuerunt enutriti in Seraglium Constantinopolitanũ vel alia pertrahuntur: ubi militarem addiscunt artem, inprimis verò arcum tendere, bombardas explodere, & reliqua belli exercitia tractare discunt. Ex hac classe suppletur numerus custodum aulæ regiæ; quorum numerus constat duodecim mille Ianizaris selectissimis, sumptibus Imperatoris institutis. Hi alium patrem vel fautorem præter Imperatorem non agnoscunt; in aula nihil aliud præter ejus majestatem, liberalitatem & laudes decantari audiunt, unde affectus & reverentia erga Imperatorem adeo in ipsorum mentibus obfirmatur, ut tanquam ab ipso creati, fidelissimi & obedientissimi existant. Hi dum eandem habeant originem, & eâdem disciplina & arte instituti & imbuti sint, nervum

robustissimum Turcicæ militiæ efficiunt, imitantes eam quæ toties commendatur Macedonum phalangem, vel Romanorum legionem, licet hi leviter tantum sint armati. Eorum Aga vel Dux præcipuum munus aulicæ militiæ gerit. Hi sunt quibus cura atque custodia præcipua totius aulæ & palatij regij commissa atque concredita est, qui ipsum Principem & ejus thesauros tuentur atque defendunt. Vbi regni caussâ lis atque dissensio oritur, illi eam decidendi potestatem habent; plerumque enim in regno succedit, quem illi, tanquam palatij rectores, eligunt. Eorum benevolentiam Imperatores sæpius multis privilegijs & immunitatibus sibi compararunt. Quibus insolentiores redditi, ipsis sæpe Imperatoribus metum atque timorem incusserunt. Matrimonia non contrahunt. Ob nullum atrocius delictum, ne ipsum quidem homicidium, graviori pœna quam capitis diminutione, nomine ipsorum è matricula deleto, vel relegatione in præsidia longinqua, ubi gravius ab hoste periculum immineat, affici queunt. Propugnacula Ianizari tuentur. Asapij vero duplici numero urbis portas custodiunt, ut immunes sint à Ianizarorum insolentijs. E Ianizaris eliguntur ducenti satellites, qui semper latus Imperatoris circumstipant. Ex ijsdem trecenti alij ad portas aulæ excubant: quorum dux Capibassi dicitur, quod officium inter præcipua refertur, quod aditus inde ad Sangiachatum pateat. Mille Ianizari canes venaticos curant. His omnibus Aga imperat. Sunt tamen inferiores quoque duces Iacabassi seu Centurio, Oddobassi Decurio seu vicarius, Alfier judex, & scribæ. Oddobassi seu Decurio subditis suis militibus de hospitio & victu, in expeditione verò de equis ac tentorijs prospicere tenetur. Nemini tamen equo incedere permittitur, præter centurioni, vicario, & judici, stipendia ipsis numerantur singulis mensibus. Aga ex timaris seu feudis percipit sex mille ducatos annuos; à thesaurarijs vero plus mille

aspe-

aſperis ſingulis diebus. Vicarius ejus habet ter mille ducatos ex timaris & ducentos aſperos: centurio ſexaginta aſperos: quadraginta decurio; Ianizzari privati quinque habent, ob benemerita tamen octo interdum ipſis numerantur; ubi egregia fortitudinis ediderunt ſpecimina ad gradus altiores vel ſatellitum vel oſtiariorum, vel aliorum promoventur (quorum quilibet viginti aſperos in dies ſingulos accipit) quidam etiam Sangiacchi creantur. Præter ſtipendia illis dantur ſingulis annis artus, duo induſia, & panni tantum, unde ad conficiendam veſtem eis ſufficiat. Hi ſunt qui ex claſſe poſteriori robuſtorum & agreſtium puerorum, deſumuntur.

Quod attinet ad *alteram claſſem puerorum*, qui nobiliori & acutiori ingenio præditi eſſe videntur, illi per Seraglia, quæ ſunt Conſtantinopoli Peræ & Adrianopoli diſtribuuntur. Eorum quingenti Conſtantinopoli aluntur ſub Eunuchi diſciplina. Iique è tota cohorte ſegregantur, ut in lege & lingua Turcicâ, atque alijs honeſtis armorum & rei equeſtris exercitijs inſtituantur. Ex his ſex ad cubiculum regium deſtinati ſunt; ejus curam atque cuſtodiam bini ſingulis diebus per vices gerunt: ubi hoc munere ad tempus functi ſunt, alij ipſis ſubrogantur. Priores vero qui octodecim annos nati in Spahorum numerum aſſciſcuntur, & ad graviora munera promoventur, prout ætas atque induſtria ipſorum meretur, nimirum Agæ vel Baſſæ creantur. Spachi (Spachioglani ſeu juvenes equeſtres ab alijs dicti) initio pauci fuerunt numero, ad ducentos fere. Plerique Principum erant filij; unde ferunt in Peloponneſi expugnatione nobilium filios in Seraglijs fuiſſe conſervatos, & Imperatoris Trapezuntis filios eòdem collocatos fuiſſe, ut diſcerent & ſeſe exercitarent. In hac turma verſabantur quoque initio imperij ij Principes, qui aulam ſequi neceſſario cogebantur. Vbi verò paulatim illuſtres Græciæ familiæ extinctæ & abolitæ Laonic. l. 5. 9.

fuerunt, numerus verò equitum istorum ad tria millia excrevit, fieri non potuit ut eodem rigore electio hæc fieret. Nobilium igitur familiarum defectum supplevit honesta & liberalis faciei & corporis constitutio. Horum Spachorum quilibet quinque servos equites in bellum ducere, & in eundem usum semper alere cogitur. Ii in separata turma ad latus dominos suos sequuntur, sed ob splendidum vestitum quo induuntur non minus sunt conspicui, quam ipsi domini, qui sericis & Attalicis vestimentis induti & generosis equis instructi, splendidissime incedunt. Eorum arma præcipua sunt machæra, clava & lancea. Post Persicum bellum ferreis quoque thoracibus affabre factis armari cæperunt. Ipsorum Aga ex Timaris & stipendio habet quingentos asperos in singulos dies; Spachorum vero quilibet viginti quinque usque quadraginta asperos accipit. His ubi ad maturiorem ætatem attigerunt, in matrimonium collocantur puellæ quæ ab infantia tanquam mancipia fuerunt enutritæ in Seraglio privato, ubi semper trecentæ aluntur. *Slichtari* aliud genus equitum numero & pompa Spachis similes, viliora habent stipendia, & tres vel ad summum quatuor servos alere tenentur. Ex Seraglio puerorum Constantinopolitano segregantur, cujus defectum alterum quod est Peræ supplet. Agam habent & reliquos belli ministros. In acie & expeditionibus sinistrum cornu Imperatoris defendunt: Spachi vero dextrum. Ex ijs quingenti diurnas atque nocturnas excubias armati ad regis cubiculum agunt; à quibusdam eodem cum Spachis nomine comprehenduntur, cum exigua inter illos sit differentia. Duæ adhuc equitum sunt cohortes numero & pompa prioribus inferiores, quibus tamen armis & robore bellico non cedunt. Vtraque peculiarem habet Agam. Altera mille equitibus selectissimis constat, ex ignobilioribus hominibus collecta, quorum tamen virtus & fortia facta nota sunt.

His

His multi sese adjungunt Ianizari, tum Imperatoris, Bassarum & aliorum magnatum servi ac mancipia. Illi enim honori sibi ducunt, si quem è suis militantem habeant, inter eos qui ob virtutem Imperatori chari sunt. Altera cohors mille equitum est, è Turcis natis collecta atque conscripta. Qui soli in aulam recipiuntur; nec admittuntur, nisi exercitatissimi, quique multis heroicis facinoribus fortitudinem suam testatam fecerunt. In iis inprimis requiritur dexteritas & agilitas in equitando, in vibranda lancea & stringenda machæra: ut videatur cohors hæc ad ostentationem dexteritatis collecta esse. Ordines æque atque priores in acie observant, ijsque non sunt inferiores, viliora tamen stipendia habent nec ultra duos servos alunt.

Descripsi totam aulicam militiam: quæ constat duodecim millibus peditum & quadraginta millibus equitum; militibus scilicet selectissimis. Inter proficiscendum Ianizari quasi corona cingunt Imperatorem; à latere eum circumstipant Spachi atque Slichtari: hos sequuntur duo reliqui equitum ordines: servi à latere, remotiori tamen loco, suos comitantur dominos. Post Ianizaros proximo loco incedit Emirlemus: coram quo Imperatorium vexillum albo & viridi colore insignitum portatur. Illum excipiunt sex Sangiachi; quorum quilibet lanceam, (cujus cuspis aureo globulo, & parte caudæ equinæ, armata) gestat. Eodem ordine acies instruuntur, & castra metantur. In quorum medio aula & prætorium constituitur, quod reliquus exercitus tanquam agger circumvallat. Quin & Ianizari sæpius sua tentoria palis in terram defixis muniverunt, quemadmodum ad Varnam contigit; vel machinarum catenis invicem devinctarum atque ligatarum vallo sese muniunt, ut ad Agriam vidimus.

Præter eas, quas modo numeravi copias nonnulli alij repe-

riuntur, quos vel genus familiæ, vel officij ratio in bellum trahit: Iudices nimirum, Thesaurarij, & Consiliarij. Hi longos mancipiorum series secum ducunt. Quidam eorum tria alij quatuor vel quinque millia servorum possident; qui solis vestibus armis & dominorum insignijs internoscuntur. Sed notandum hîc, cum omnia officia ijs conferantur, qui Christianis parentibus nati sunt, non ignominiæ verti, si captivi servi fidem ejurent, quin etiam ubi fortes sese in bello præbent, domini libentius eis filias matrimonio quam ipsis Turcis elocant. His præter victum & vestitum domini certum quoddam stipendium numerant, ne furentur. Quin ne ipsi quidem domini propriis sumptibus eos nutriunt, sed cum teneantur pro quinque aspris equitem in bellum singulis diebus sistere, tot solent alere mancipia: iis qui copiam servorum majorem habent, præter stipendia ex timarorum reditibus prospectum est. Si quis ea quæ dixi diligentius examinet, inter stipendarios Turcas reperiet ad minimum duas tertias è Christianis constare qui fidem ejurarunt; non solum propter aulicorum verum etiam eorum copiam qui Timaris fruuntur, & Beglerbegorum atque Sangiachorum servos, quorum maximam multitudinem alere solent; ijs maxime fident, quod sub ipsorum stipendijs & auspicijs tanquam propria quædam cohors militent.

Tres quondam solebant esse Consiliarij intimi, qui ad Imperatorem omnia negocia deferebant, & responsa lata exequebantur. Sed tamen & Beglerbegorum judices supremi (quos *Cadileschiieer* vocant) in concilium intimum admittebantur; in quo Mustius præsidet, cui nemo contradicere audet. Numerum Bassarum auxit Solimannus, quarto prioribus tribus, Barbarossa scilicet, addito, quem etiam Bassæ titulo condecoravit; eadem etiam potestate & titulo Beglerbegis concesso, quo nostro tempore etiam Sangiachos gaudere cernimus. Vnde in Europa tot

Bassæ

Bassæ numerantur, qui quondam Sangiachi tantum vocabantur; ut est Bulgariæ. Bosniæ, Temesuariæ, & Budæ, nec non etiam hodie Iavarini Bassa. Gallipolis Sangiachatus qui mari dominatur, in Bassæ officium sub Barbarossa fuit conversus. Volunt nonnulli etiam Beglerbegorum numerum in Europa auctum esse ut prius in Asia contigit. Sed numero crescente, decrevit dignitatis autoritas. Fuit tamen differentia quædam inter Bassas observata; ut qui in aula viverent *Visieri* seu consiliarij, & inter illos maximus Visierus Azem seu præses vocaretur. Ad hanc dignitatem, quemadmodum etiam ad reliquas supremas, nulli admittuntur, nisi qui cubiculo regio quondam præfuerunt. Barbarossa solus favore Solimanni, qui ipsi plurimum fidit, ad hunc honorem ascendit. Supremus Visierus viginti quinque millia ducatorum habet in reditum; Reliqui non minus sedecim millibus. Ad servos autem nutriendos, & sustentandam familiam haud minorem summam ex Timaris percipiunt. Tum etiam avaritia impulsi, munera à quibusvis libentissime accipiunt, unde maximos thesauros brevi tempore cumulant. Nemo enim sine muneribus ullam sibi gratiam vel favorem apud officiarios promittere potest; qui dedecore se & ignominia affectos existimant, quasi ipsorum imminuatur autoritas, nisi dona ipsis crebra offerantur, quæ in signum recognitionis accipiunt. Hujus rei usum optimè didicerunt Christianorum Principum Legati, qui aulitum in aulam & favorem sibi ære & muneribus comparare solent.

Hæ sunt aulæ Turcicæ vires, quæ contra hostem educi possunt sexaginta fere hominum millia; præter servos ministros & mancipia, quorum numerus viginti millia ascenderet. Neque hic comprehendo innumeram copiam eorum, qui carros & rhædas ducunt; nec qui magnatum camelos & mulos qui impedimenta gestant, comitantur. Ferunt nonnulli, ante Selimum qua-

dra-

draginta millia Camelorum â Turcicis Imperatoribus fuisse nutrita: Selimum vero horum numerum auxisse: in Cairi expugnationem, cum desertum esset transeundum centum triginta millia camelorum fuisse conducta; quorum tamen pars non exigua tempore belli coëmpta, vel à mercatoribus commodato sumpta fuerat. Facile etiam crediderim rumorem vulgo sparsum, quod tum in reliquos apparatus belli tum ad comparandos camelos Turcicus Imperator auri millionem erogarit, non omnino vanum exstitisse; cum constet ex longinquissimis regionibus victum in castra comportandum esse.

Ex hoc apparatu constat, quantum ad bellum necessaria sit ipsius Imperatoris præsentia, cum tot millia hominum domi maneant, ubi ipse foras in bellum non proficiscitur. Eo vero præsente, militia non modò confirmatur ejus reputatione, sed viribus quoque innumeris augetur.

## *De secundo Militiæ genere Feudatarijs videlicet, qui ex Timaris seu reditibus vivunt.*

EX Nobilium puerorum cohorte qui Constantinopoli educantur, præcipua Nobilitas Aulæ eligitur. Alij adsciscuntur ex Seraglio, quod est Peræ, Adrianopoli & alibi. Iique ubi decimum octavum ætatis annum attigerunt Spachorum militiæ adscribuntur, certi illis reditus ex timaris seu terræ proventibus assignantur. Distributi in varias provincias demortuorum loca vacantia occupant, Sangiachorum imperio subjecti quibus semper parent.

Divisum est universum Turcicum imperium in duas partes principaliores, Europam scilicet & Asiam. His quondam duo gubernatores supremi cum summo imperio præfuerunt. Sed cum Selimus plurimas Asiæ provincias imperio suo addidisset,

ratus

us tot amplissimas procul invicem remotas provincias,
n commodè ab uno solo regi posse, plures gubernatores
nstituit; qui nullius alterius præter solius Imperatoris
perium recognoscerent, subditas haberent regiones,
as regendas Sangiachis concederent. Ipsi vero guberna-
es præcipui Beglerbegi, seu domini dominorum voca-
ntur.

*Europæ Beglerbegus*, qui etiam Græciæ seu Romaniæ vo-
ur, præcipuus est & primus. Vnde Imperatore absente
e exercitui imperat, eiusque imperio sine exceptione o-
nes, etiam Imperatoris filii si qui sint in castris, obsequi
ntur. Castra eius ad dextrum latus prætorii collocan-
; & in acie dextrum latus Imperatoris claudit. Imperat
adraginta Sangiachis vel circiter (nisi forsitan eorum nu-
rus hodie auctus sit) sub quorum imperio sexaginta mil-
Spachorum continentur; quos Timariatos vocant, quod
Timaris & prædiorum rusticorum reditibus victum ha-
ant. Non enim accipiunt aliud stipendium. In cujus
em certi ipsis assignati sunt pagi & campi; quorum culto-
decimas illis ex omnibus proventibus reddere coguntur.
em viginti quinque aspros per capita solunt, quæ pecunia
Imperatorem redit: tum & angarias serviunt, & alen-
pecudibus, fructibus subministrandis, atque aliis modis
emuntur. Mulcta quoque ad Timariatos pervenit, &
i rusticorum iudices sunt & de caussis cognoscunt. Inde
a est illa extrema necessitas, qua miseri illi premuntur:
vix tantum eis relinquatur, unde vitam miserè tolerare
sint. Semper enim duplex stipendium ad minimum
gunt. Beglerbegus ex Timaris sedecim mille ducatos
nuos habet in reditum, ille tamen plus quadraginta mil-
us percipit. Sangiachi qui hosti sunt proximiores, vel
limites Imperii morantur, plures Spachos sub se habent,

& ampliores etiam reditus à quinq; in duodecim millia ducatorum possident. Spachi initio quidem ultra sexaginta ducatos annuos non percipiunt, sed pro ipsorum meritis stipendium eis augetur usque ad trecentos ducatos. Pro centum ducatis equitem lancea & machæra armatum, atque duobus servis stipatum, in bellum mittere tenentur. Multi centum, alii quinquaginta mancipia alunt, prout amplam habent mercedem. Beglerbegus ultra mille servos tenet. Si cui Spachorum propter merita luculentius stipendium præter trecentos ducatos assignandum esset, ad altius officium promoveretur, puta *Subassi*. Quorum quadraginta in Europa reperiuntur, iique quadringentos mille ducatos percipiunt, plurium cohortum duces sunt, & vel urbem quandam regunt, vel propugnacula defendunt. Existimo eosdem esse, quos in finibus proximis Beghas nostri vocant. Hinc iudicare licet, quam probè stipendia apud Turcas distribuantur; neque quicquam frustra collocetur; sed qui plus præmii habet, plures milites in militiam ducere cogitur. Pacis tempore domi hi manent, & suis Timaris fruuntur: in excursionibus vel in bello, quòcunque mittuntur, ad primum ducis mandatum proficisci coguntur.

Soli Europæ Beglerbego, qui Sophiæ residet, Constantinopoli morari & Visierorum concilio interesse licet. Reliqui sine licentia provincias suas egredi non audent. Stipendia possunt distribuere ad sexaginta usque asperos, pro libitu; quibus suis cognatis & familiaribus inprimis prospiciunt.

Cum *Asiam* unus tantum gubernaret Beglerbegus, majores quidem vires habuit quam Europæus, sed autoritate illi fuit inferior. Quæ tamen postea magis imminuta fuit, cum officium illud divisum & pluribus concessum fuit.

*Natolia* Beglerbegus quatuordecim mille ducatos habet ex

ris.

maris. Ei parent duodecim Sangiachi; quorum ſtipendium eſt quatuor vel ſex mille ducati: & decem mille Spachi. abſente Græciæ Beglerbego ipſe imperat militibus, & ad illiſtrum latus Imperatoris incedit.

*Caramaniæ* Beglerbegus decem millia ducatorum, ſedecim Sangiachos, & quinquies mille Spachos habet.

Beglerbegus *Amaſiæ* habet octo millia ducatorum, quatuor Sangiachos, & quatuor millia Spachorum.

*Armeniæ minoris* Beglerbegus decem millia ducatorum habet; ſeptem Sangiachos; ſeptem millia Spachorum.

*Meſopotamiæ* Beglerbegus in Perſiæ confiniis triginta millia ducatorum habet: duodecim Sangiachos: decem millia Spachorum.

Beglerbegus *Damaſci Syriæ & Indiæ* habet viceſies quatermille ducatos, duodecim Sangiachos, viginti millia Spachorum.

*Cairi* Beglerbegus habet triginta millia ducatorum, ſedecim Sangiachos, & ſedecim millia Spachorum.

Omnes iſti Beglerbegi Sangiachi & alii ſervos alunt, ut dixi, prout ratio ſtipendiorum patitur. Etſi igitur ultra centum triginta millia Timariatorum in exercitu non comparent, hi tamen ultra trecenties mille milites, qui in aciem educi poſſunt, ob ſervorum copiam, efficiunt. Non annumeratis iis, qui carros vehicula & iumenta conducunt, vel qui mercaturæ exercendæ & lucri faciundi cauſſa caſtra ſequuntur. De quorum immenſa multitudine ex prioribus copiis iudicium facere licet.

## *De tertio militiæ genere: nempe de iis copiis quas ſubdita provinciæ ad mandatum Imperatoris in bellum mittere coguntur.*

VBi primum Turcæ in Europam tranſierunt, præda allecti excurſionibus inprimis fuerunt dediti. Neque ulli

labori vel periculo pepercerunt, lucrum modò facerent, cui inprimis inhiabant; adeò ut cum iam pedem fixissent in ea regione, & colonia quædam in Thracia substitissent, ægre à ducibus continere potuerint, quin more suo prædatum excurrerent. Decreto igitur promulgato ut abstinerent ab eiusmodi deprædationibus, illi cupidiores redditi sunt: utpote qui iam assuefacti essent ex raptu victum quærere. Vbi verò aliud propositum fuit edictum, ut qui excurrere prædatum vellet, in constituto loco & præfixo tempore armatum sese sisteret, sæpius ducenta sæpius trecenta millia hominum in eum eventum convenerunt. Ex tantâ multitudine duces præcipui eos secernebant ad futuram expeditionem, qui ipsis videbantur maxime apti & idonei, & armis quoque optime instructi essent: reliqui domum repetere iubebantur. Quilibet autem studebat talem sese præbere, ut dignus haberetur ad excursionem. Vnde mos ille primùm inter rusticos invaluit, tum etiam in urbes atque oppida irrepsit: ubi ad trigesies mille homines designati fuerunt, quibus non modò permissum erat in bellum proficisci, sed cogebantur quoque inviti, ad mandatum Imperatoris, in constituto loco, equo armis lancea & machæra instructi comparere. Consuetudo illa adeo successu temporis fuit inveterata, ut iam officii ratione teneantur subditi eam observare.

Qui hunc in modum frequentant militiam *Acanzi* vocantur seu voluntarii milites: ex natis Turcis selecti, qui solummodo quibusdam gaudent privilegiis, nec aliud stipendium recipiunt. Rustici victum ipsis suppeditant. In transitu præcedunt exercitum, lustratum & deprædatum loca ubi pervagantur. Ex horum numero fuerunt quindecim illa Turcarum millia, quæ in secunda Solimanni expeditione Viennensi Linzium usque excurrerunt. Sed

in

Europa numerus eorum acquisitione novarum provin-
um crevit. In Asia quoque ingens eorum multitudo
Selimus devictâ Paphlagoniâ & Armeniâ minore, in
âque triginta millia Acanziorum creavit. Hi, etsi ma-
idonei ad excursiones quam ad pugnas existunt, eorum
ien plurimi armis & equo optimè instructi in bello com-
ent, & fortissimos sese præbent: ut haud rarò, ex Sangia-
rum recommendatione, Beglerbegi ipsis de Timaris pro-
iant.

Comitantur hos plerumque qui *Martolossi* dicuntur, &
*lachi*, atque *Tartari* vel alii, qui callum obduxerunt in
ociniis; maxime vero in earum regionum confiniis, in
ous deprædandi & excurrendi commoditas est. Vbi lu-
ter ad partem prædæ admittuntur, quod locorum & via-
i sint gnàri & experti.

Hinc inde per provincias multi reperiuntur milites ve-
ni & emeriti, vel quibus ob alias causas immunitas á bel-
onceſſa est. Assignantur illis prædia & pagi in recens
is regionibus; pro quo beneficio equorum illi vel pedi-
certum numerum in bellum mittere tenentur. Trans-
:untur prædia ad successores quoque. A Turcis *Masel-*
vocantur. In Europa sex millia eiusmodi equitum,
itum vero maxima copia reperitur. Exigua tamen eo-
opera in pugnis existit; licet provinciarum inspectores
lò isthuc laborent, ne homines inutiles in bellum mit-
ur.

*Asappi* pedites sunt Turcæ, quorum ingens multitudo,
ndia licet vilissima accipiant. Eorum in Europa quadra-
a millia inveniuntur. Hasta arcu & machæra pugnant.
im cum neque assueti sint ad militiam neque exercitati,
tat illis uti ad expugnationes locorum, ad comportan-
materiam, & cuniculos agendos, quàm ut in aciem

producantur. In hunc tamen usum maxima copia fossorum conduci solet, præter eos qui certa habent ab Imperatore stipendia, & quos pagi in militiam mittere coguntur. Asappiorum quoque magnum numerum Imperator hinc inde per urbes, Natoliæ inprimis, in præsidiis habet, ut bellicis assuescant laboribus; quò eorum opera in re maritima uti possit.

Sæpius quoque contigit, ut *ære conducti* fuerint milites nostro more; cum præsidiarios evocare è confiniis hosti oppositis & aliò transferre non videbatur omnino tutum. Solimannus in Asiam proficiscens hac ratione usus est. Eandem si hoc tempore Turca observare velit, dubium non est, quin præter eas, quas modo recensui, innumeras alias copias adunire & colligere possit.

Adparet igitur, non frustra sæpius sparsum fuisse rumorem, de Turcici Imperatoris expeditione cum centies quater vel pluribus hominum millibus susceptа. Plus admirationis habet *ordo*, quo tempore brevissimo colliguntur. Vbi primùm nuncii cum mandatis ad eos perveniunt & tempus profectionem admittit, sese parati sistunt. Stupenda est tranquillitas unio & obedientia, quæ in immensis illis castris observatur. Vbi strepitum & clamorem excitare ob quamvis etiam caussam prohibitum est; quo tumultus evitentur.

*Finem hic* PRIMÆ *parti opusculi mei imponam. In qua videre est, quibus mediis Domus Ottomannica ad tantum imperium pervenerit. Recensui igitur brevem historiam rerum à Turcis gestarum: tum artes & vires eorundem; & inserui nonnulla de administratione Imperii, quæ non parum facient ad nostrum propositum. In* SECVNDA *parte ostendam, qua ratione potentia hæc in Vngaria adhibito mediocri Germanorum auxilio vinci possit.*

PARS

# PARS SECVNDA.

*VM inparte priori declaratum fuerit, quibus artibus fraudibus & viribus Domus Ottomannica ad tantum Imperii culmen venerit, superest ut videamus, quomodo Hungarorum potentiæ ibito Germanorum auxilio, vinci & superari possit. Vires igitutriusque nationis examinabimus, & cum hostium potentia eas conferemus. Vnde quæ partis utriusque commoditates sint quialteram superat, vel incommoditates quibus cedit, tum quomodo victoriam consequendam in bello procedendum siet, innotescet.*

## SECTIO PRIMA

### *CAPVT I.*

### *DE VIRIBVS GERMANIAE.*

Quæ sint vires Germaniæ atque Hungariæ, ex rebus antehac abutraque natione gestis, constat. Germani quondam plurimis Romanorum legionibus fortissime restiterunt. Sola Saxonia per triginta nos continuos cum Carolo Magno pro libertate patriæ tavit. Non ita pridem in civilibus discordiis paucæ citates Imperiique ordines, ad centum millia hominum ime instructorum in bellum eduxerunt. Inde quid relie possint, ex incolarum fortissimorum multitudine, ex ionis opulentia, propter varia mercimonia quæ ibi exertur, & metallorum quæ effodiuntur copiam, ex fertili & rerum ad vitam humanam necessariarum abundantia, jicere licet. Quælibet civitas libera si mille milites, od exigui momenti res foret, contra Turcas in bellum mitet, immensus copiarum numerus existeret. Constat e, unam earum, reliquorum sociorum auxilio destitu, Imperatori sese opponere ausam fuisse. Super vacuum

puto,

puto, ex singularum provinciarũ & urbium historiis & annalibus rationes deducere, quibus Germania sola centum vel plurium milliũ hominũ exercitum per annum sustentare valeat; ut interim neq; artificia neque agricultura detrimentum patiatur. Siquidem ab Imperio, iis nimirum urbibus & provinciis, quæ Imperatorem Romanum tanquam dominum supremum agnoscunt, ( è quibus patrimonium Domus Austriacæ excipimus ) solummodo triginta hominum millia tam equitum quam peditum in quatuor annos poscimus. Totidem à provinciis Austriæ Archiducatui & Bohemiæ regno subiectis petimus; additis necessariis impedimentis bellicis, tormentis, machinis, & iis quæ ad victum hominum, atque pecudum requiruntur. Nec rem petimus impossibilem, vel quæ nulla ratione fieri possit, sed ne difficilem quidem. In annos tantùm quatuor hunc apparatum requirimus: ut discant viciniores quanta cum facilitate rabies & furor hostis tam immanis cohiberi possit; quem jam ad portas fere Germaniæ pervenisse Javarino Agriaque capta, imo in Germaniam ipsam paulatim tendere, eòque omnia eius consilia directa esse, cernimus.

## CAPVT II.

### DE POTENTIA HVNGARIAE.

Idem sane de Hungaria statuendum est. Nam etsi pars ejus maxima & fere præcipua à Turcis possideatur, quæ tamen Christianis adhuc patet tam egregie culta & habitata est, ut si vires seriò conjungere vellet, patriam universam è tam gravi jugo in libertatem vindicare, ejusque possessionem hosti ancipitem reddere valeret. Sub Hungariâ vero omnes eas provincias intelligo, quæ versus Walachiam Transylvaniam & Croatiam tendunt, & huic regno subiectæ fuerunt, cum primùm

primum Turcæ arma illi intulerunt. Sola *Transylvania*, 1394.
proprijs viribus in unum coactis, Turcarum impetum sæpius 1440.
repressit, maximaque eis intulit damna. Inprimis vero sub 1450.
Corvino, Stephano Battoreo, & non ita pridem sub Andrea Hortens.
Battoreo, qui Ferdinandi Imperatoris nomine eam guberna- 1551.
vit, egregia fortitudinis & potentiæ specimina edidit. Hic quinquaginta millia militum tunc collegit, ut ingressu prohiberet Turcas, & cum septuaginta millia militum Lippam obsedit. Quid vero nuperrime Sigismundus Princeps 1595.
contra hunc Tyrannum non est molitus? Nonne Sinan Bassam fortissime ex Walachia ejecit? eique gloriam rerum prosperrimè in oriente & occidente gestarum, & tanto temporis spacio acquisitam eripuit, maximamque ejus laudibus maculam inussit; ut animi dolore & indignatione tandem mortuus dicatur. Nec unquam Turca unguibus suis Transylvaniam arreptam retinere potuit, licet astu & insidiis sæpius id tentârit. Tantùm abest ut hoc tempore illud efficere queat, cum tam fortes heroes ipsi resistant, qui non modò omni fide & diligentia eam tuentur, sed imperij quoque limites diutissime prolatant. Nec *Walachia* suo defuit officio, cum strenuos nacta est duces & Principes; qualis Dracola fuit, cujus strenuitatem & alacritatem hostes sæpius experti sunt. Nec rarò Turcicarum copiarum hæc regio sepultura exstitit. *Hungaria superior* cis & ultra Tibiscum sita, tanta incolarum multitudine est referta, ut justus inde exercitus conscribi posset, si vero zelo patriæ succurrere velit. *Croatia* inter omnes Regni provincias in pessimo statu versatur, nec nisi pauciissimos, sed optimos tamen, milites in bellum mittere potest. Sed quid tam exacte minutissima hæc examinare juvat? cum ex omnibus hisce regionibus tantum quadraginta millia hominum in bellum per quatuor annos continuos mitti poscamus; quod fieri potest commodissime & facilime.

Hunc in modum facta computatione, ad Vngariæ fines centum millia hominum tam equitum quam peditum convenient, qui in tres partes, ut paulo post dicemus, distribuendi sunt.

## CAPVT III.

### COMPARATIO TVRCICAE ET CHRISTIANAE MILITIAE.

*VIdendum jam porro, quomodo cum tanto militum numero ter quater vel quinquies centena Turcarum millia superare valeamus. Initio utriusque partis potentiam & commoditates belli tum incommoditates quoque comparabimus. In quo examine quatuor considerandа veniunt quæ militiam diversam & variam reddere solent: unde commoditates exercitui accedunt*: Dux *nimirum* belli Generalis, Milites, Arma *& denig.* Comeatus. *Hinc tandem oritur Ratio procedendi contra hostem de qua ultimo loco dicendum est.*

#### *Dux belli generalis.*

I. NOn hic locus differendi de belli duce, quibus ille qualitatibus & virtutibus dotatus esse debeat, de qua re integrum volumen conscribendum foret. Nec quantum momenti persona ducis universo exercitui afferat. Nam sapientes judicarunt, satius esse cervos militare sub leonis quam leones sub cervi auspicijs. Ipsa docet experientia, multa maxima pericula & difficultates ducum prudentiâ aversas & superatas fuisse, ubi copiarum robur vanum exstitisset. Plurimi exercitus ex abjectissimis hominibus collecti maxima ediderunt belli facinora, strenui ducis virtute allecti & conducti. Nec unquam legimus, ducem pusillanimum & abjectum ex optimâ constitutâ militiâ fortiorem & prudentiorem evasisse.

His

His igitur rebus in aliam occasionem remissis, unicum mihi, quod ad hoc bellum plurimùm conducet tractandum reservo, auctoritatem sc. ducis; quæ in Turcico exercitu plus quam usquam alibi viget. Namque Turcicus Imperator absolutus est dominus. Cujus ex arbitrio pendet quidlibet pro libitu disponere & imperare; nec alios in consilium adhibere, vel aliorum rogare consensum etiam in rebus gravissimis, tenetur. Non igitur mirum, si imperatores bellici tantâ instructi autoritate res præclarissimas gerant. Parem ac prorsus eandem potestatem Turca ducibus suis quos exercitui præficit largiri solet; nihil suæ auctoritati reservans, quàm de bello gerendo vel pace sancienda deliberationes. Titus Livius in pulcherrima illa Alexandri Magni cum ducibus Romanis comparatione idem plane confirmat; quod nunquam Romani duces plenam de bello gerendo potestatem habuerint: sæpius à Tribunis plebis delectus antequam Roma discederent impediti fuerint; quod post tempus ad bella juerint: quod ante tempus comitiorum caulsâ revocati fuerint; in ipso conatu rerum circumegerit se annus: quod collegæ nunc temeritas nunc pravitas impedimento aut damno fuerit: quod male gestis rebus alterius successum sit: quod tyronem aut mala disciplina institutum exercitum acceperint: Sed reges non liberi solum impedimentis omnibus sed domini rerum temporumque, trahant consilijs cuncta non sequantur. In eandem sententiam suasit Fabius Maximus Senatui Romano, ut Annibali ducem quendam strenuissimum opponant, eique liberam imperandi & decernendi potestatem tribuant, nec temporis vel belli gerendi modum ei præscribant. *Lib. 9.* *Lib. 14.*

Duo hæc testimonia ex accuratissimo authore deprompta nos admonent, quid ducibus nostris, quos contra Turcas emittimus, inprimis desit; libera scilicet agendi & imperandi

randi authoritas. Quâ cum polleret Alexander, tanquam Princeps absolutus, quidvis imperavit pro libitu. Secus poterant Romani duces, qui reipub. parebant, hos tamen eadem pollere auctoritate Fabius volebat. Tritum est Politicorum axioma, Rerumpublicarum deliberationes & executiones tardius procedere, quam Principum; quod in illis plurimorum consensus & judicia requirantur, quæ sæpius propter varia consulentium ingenia varia sunt & diversa. Germania atque Hungaria mixtum quoddam imperium habent. Princeps enim reliquorum ordinum consensum in comitijs requirere & impetrare tenetur; sine quo in bellum proficisci non potest. Etsi in omnibus alijs rebus ad rempublicam & ad libertatem contra tyrannos vindicandam spectantibus hic procedendi modus approbari potest: in rebus tamen bellum concernentibus damnosissimus & periculosissimus est. Inprimis vero ubi cum adversario potenti, qui libere imperat & expeditiones celerrimè prosequitur, bellum gerendum est.

Ejusmodi militandi rationem reverà Turcæ observant. Quos arma arripuisse, & excursionem ad felicem eventum produxisse, ac reduxisse copias vidimus, citius quam nostri, comitijs atque conventibus immorati, vires colligere & militem conscribere potuerint. Huic malo remedium commodius illo Fabij Maximi applicari non potest. Vt nimirum dux belli eligatur, qui supremam imperandi autoritatem atque potestatem habeat, isque de rebus omnibus instruatur perfectissimè, unde consilium in fortuitis casibus capere possit, ne teneatur aliunde illud petere, cum belli fortuna & vices, ex Scipionis sententia, non semper admittant consilium maturum capessere, vel ex longinquo illud accersere, sed subitò sæpius incunda sit ratio agendi & ex ipsis eventibus & successu rerum petenda. Secretarius

ille qui discursus ad Livium scripsit, dicit Respublicas quaddam, ubi suos in bellum duces emittunt, & quid ipsorum sit officij eos admonuerunt, probè illos instruxisse sibi videri, cum ultimo loco severe ipsis imperant, ne ullâ ratione manus cum hoste conserant, nisi prius Senatus ea de re sententiam rogarint. Sæpius sane evenit, ut hostis procul ab urbe dissitus pugnandi occasionem præbeat commodissimam, & tam subitò, ut strenuus dux vix illam animadvertere possit, quæ etiam minima interjecta mora elabatur. Hoc incommodum ex falsa quadam imitatione prudentiæ Fabianæ in prolatando bello oriri, idem auctor scribit, cujus specie eas Respublicas deceptas asserit. Et vero Fabius legitimo exercitu quem Annibali opponeret instructus Martis aleam nunquam fugit; sed ex prioribus cladibus cautior factus, commoditates pugnandi diligentius explorare & experiri voluit; quæ si ipsi serviebant, aggredientem Hannibalem nunquam reformidavit: nec Hannibal omisisset illum in proprijs munitionibus aggredi, nisi castra ipsius optime munita, & satis virium, quibus se suosque tueretur, eum habere novisset. Neque Fabius potuisset evitare pugnandi necessitatem, nisi castra ab Hannibale ad aliquot milliaria remota collocasset. Quod Philippo contigit, quem Romani armis aggressi fuerant in locis difficillimis & angustis; hos cum ille, sæpius mutatis belli sedibus, ex provincia in provinciam fugeret, regionem universam de qua controversia erat hosti deprædandam & devastandam reliquit; unde cognovit, plenâ Romanos victoriâ frui, nisi eam jacta fortunæ alea denuo ipsis eriperet. Fieri itaque non potest, ut contra imminentes hostes regio defendatur & salva atque incolumis conservetur, nisi aliquando manus conserantur, hoste inprimis illud requirente, quod Hungaria in suo Corvino experta est. Errant igitur summopere, qui prohibent duces, quibus regionis defensionem lib. 3. c. 18. 1443.

committunt, ne nisi jussi expresso decreto cum hoste dimicent. Quin potius iisdem imperandum foret, ut pugnent oblatâ occasione commodâ, quæ plus sæpius in bello quam vires ad victoriam facere solet. Ejusdem fuit sententiæ Marchio ille Savornanus, interdictâ pugnandi copiâ duci auctoritatem tribui dicens ut vincatur, sed ut ipse hostem vincat eidem adimi & auferri.

*Veg. lib. 3. c. 26.*

Qui igitur in Hungariam mittendus est belli imperator, absoluta pollere debet auctoritate, sine exceptione imperandi quæ commoda quæque necessaria ipsi videbuntur. Neque ad præscriptum tempus conducendus; neque singulis annis novus substituendus, sed bellum tamdiu uni alicui committendum, donec tandem ad finem perducatur. Hoc etiam Fabij fuit consilium, & Romani sæpissime id secuti sunt in bellis longinquis, prorogato ducibus imperio sub Proconsulum nomine, quod ad hanc potius quam ad aliam expeditionem hos quam alios magis idoneos judicarent, quod rerum omnium perfectam haberent cognitionem & notitiam. Neque ob unum vel alterum infortunium ab officio dimoveri debent sed confirmandi potius, cum clades acceptæ prudentiores eos & magis cautos reddere soleant. Tum etiam ne in eorum locum alios minus expertes substituamus, qui nostro etiam periculo & damno tandem sapere, & belligerandi rationes, quibus hostes utuntur discere cogantur, cum hæ cuivis obviæ & notæ esse minime soleant. Verum enimvero, si libera agendi potestas uni cuidam summo duci tribuatur majori solertia atque industria munus ille suum obibit: siquidem omnis gloria rerum præclare gestarum, tum etiam vituperium & infamia ad ipsum solum reditura sit. Nec prætendere possit à remotiori consilio se impeditum fuisse, in quod nullum ei fuisset imperium, cujusmodi habet in privatum consilium,

quod

quod semper illum comitari debet. Quod cum in rebus arduis consuluissent præstantissimi duces, res præclaras magnâ suâ cum laude gesserunt: contra multi magno suo cum damno & vituperio illud aspernati sunt. Nec parum in bello imperatori confert, si peritorum probe novit consilijs uti; quod in tractatu de Consiliario bellico brevi me demonstraturum spero.

*Milites.*

II. SUnt qui nervum belli pecuniam statuant, suamque sententiam (ut dicit Secretarius) ex Sallustio probare conantur, cujus tamen mentem illi probe non assequuntur. Vult enim Sallustius, non modò pecuniæ defectum, sed munitionum & victus inopiam, tum etiam alias occasiones, sæpius pugnas accelerare, ut inviti manus conserere cogamur. Nam si, ut volunt illi, pecunia nervus belli existeret, Darius qui auri & argenti grande pondus possidebat, nunquam ab Alexandro victus fuisset: nec Romani Græcos atque Antiochum bello superassent. Sapienter Solon Crœso, cum illi omnes suos thesauros tanquam potentiæ suæ fundamentum commonstrasset, respondisse fertur: cum bella ferro conficiantur, facile aurum tibi adimere poterit qui ferro melius instructus te aggrediatur. Non semper auro præclari milites conduci possunt: facilius strenui milites aurum & opes acquirunt.

Quod in hoc ipso argumento de Turcarum potentia infringenda dextrè probabimus. Eam nimirum thesauris atque opibus invictam quidem manere, sed ob copiarum atque militum defectum oprime vinci posse. Licet plurimi hanc nostram sententiam, tanquam absurdam, paradoxi loco habituri sint: ob eandem tamen caussam pecuniam inter ea præcipue, quæ ad militiam requiruntur, non posci-

mus,

mus, sed copias & milites, quod hi verus belli nervus existant. *Primum* consideremus copiarum quantitatem; *deinde* qualitatem, quæ in usu equitum atque peditum consistit: *tertio* denique, utrum hostium an vero nostri milites in diuturniori bello deteriores vel meliores fieri soleant.

1. Quod ad *multitudinem* attinet, non est dubium, quin Turcicus exercitus Christianorum copias longe superet: sed videndum num hæc vera sit belli prærogativa, an saltem talis esse vulgò credatur. Sane perdifficile est & fere impossibile, ut dicit Aristoteles, urbem populosissimam & innumera habitantium multitudine refertam in officio continere, & probe ac dextre regere, quod ejusmodi hominum multitudo non sit capax ordinis. Vegetius in eandem sententiam dicit, non æque facile esse, cum numerosissimo exercitu quam cum mediocri ex strenuis militibus collecto victoriam consequi. Vnde Romani in bella, quæ haud periculosa videbantur, decem millia peditum, & duo millia equitum sub Prætore mittere solebant: in ea quæ plus videbantur habere periculi, bis totidem sub Consule mittebant: quæ videbantur difficillima & atrocissima, ambo Consules administrabant, quorum exercitus quadraginta millibus peditum, & octo millibus equitum constabat. Ejusmodi militum numero gentes plurimas & maximâ hominum multitudine instructas vicerunt. Xerxes Darius Mithridates atque alij reges, plus damni ab immensa multitudine suorum quàm à fortitudine hostium acceperunt. Nimia multitudo tarde incedit in expeditionibus; facile vel à fronte vel à tergo oppugnari & carpi potest, maximè vero in angustijs viarum vel fluviorum: quæ ad victum atque munitiones pertinent tantæ hominum multitudini difficulter procurari possunt: in prælijs plærumque pars acici tam immensæ fugit, priusquam ad manus veniatur, solo conspectu hostium fortiter ingruen-

*7. Polit. 4.*

*lib. 1. c. 1.*

ingruentium & resistentium perterrita: ubi semel in fugam conjectus est miles, nunquam fere recolligi, & in pugnam reduci potest, fugam tandem sequitur strages & clades cruentissima, quod multis sane exemplis probari potest. Plus igitur Turcico Imperatori obest quam prodest tanta hominum multitudo.

Eâ in bello cum carere non possit, majores incommoditates experiri cogitur. Cum enim milites Turcæ armis non bene instructi, & ob id etiam ad oppugnationes atque reliqua belli munia, quoties nostris copijs probe armatis & equis ponderosis objici debent, inepti sint, nunquam velitationes vel pugnas ineunt, nisi hominum multitudine se longe superiores existere sciant. Sequuntur aliæ quoque incommoditates, quibus hostes urgentur. Cum enim milites eorum leviter sint armati, & ad excursiones quam statarias pugnas magis idonei, majorem in equitatum quam peditatum curam collocant: sed ubi oppugnationes aggrediundæ sunt, vel aggeres demoliundi, aut fossæ superandæ, vel præcipitia occupanda, in quibus equorum nullus usus est, peditum operâ utuntur exercitatissimorum; quorum qui maxime præstant sunt Janizzari, quibus plurimum fident quod eorum virtute ac fortitudine plurimas victorias consecuti sint. Fatentur tamen imperfectam suam esse militiam, quia ad exercitia pedestria inutiles esse solent. Fugatis enim equitibus, quod supereſt refugium ad pedites pertenue est, & exiguum propter eorum paucitatem. Quibus non comprehenduntur Asappi, quod fere inermes sint & ad pugnas prorsus inutiles. In peditatu sane gravitas potius & præstantia armorum, & robur ac vires corporis, propter vehementem impetum, quam agilitas atque dexteritas requiritur. Hac Turcæ præstantiores quàm illâ existunt; unde eo-

rum exercitus, ut dixi, plus in excursionibus, & velitationibus seu tumultuarijs pugnis, quam in alio belli usu valet.

III. Sed utrum Christianorum vel Turcarum milites longo belli usu deteriores fiant vel meliores, videndum. De Turcis prius dicam; quorum autoritas atque reputatio quondam constitit in exacta obedientia, exercitijs militaribus; parsimonia in victu & vestibus, patientia in expeditionibus & laboribus; quodque nec mortis tangebantur metu, siquidem fato quod evitari nullo modo possit omnia sibi obvenire credebant. Ut autem nunc etiam talis sit fieri fere non
*lib. 3. c. 1.* potest. Ex Secretario sane constat; quod omnis res, quæ sub cœlo continetur vitæ suæ finem ac terminum habeat certum & præfixum, cum sit subjecta infinitis alterationibus, ob quas bonitas, quæ illam solet conservare, successu temporis corrumpitur, nisi quid extrinsecus interveniat, quod ad priorem temperiem eandem reducat. Communis medicorum est opinio; quotidie in corpore humano aggregari aliquid, quod quandoque indigeat purgatione, si hæc medicina & cura nimium differatur tandem corruptionem inde nasci. Hoc ut verum est in reliquis corporibus, in corpore mystico rerumpublicarum facilime evenire solet; ubi non solùm accidentia naturalia operantur, sed variæ consulentium opiniones, propter privata lucra, plurimum ad id conferunt. Respublicæ igitur atque regna, præfixo quodam tempore renovatione quadam opus habent, cujus auxilio ad eam qua prius florebant complexionem atque perfectio-
*lib. 1. c. 19.* nem reducantur. Inde concludimus; imperium, mortuo Principe strenuissimo, ad abjectum quendam & timidum translatum, facile ab eo conservari, modò ipsius gubernatio non duret longissime, idque inprimis propter auctoritatem prioris & optimam imperandi formam & ordinem, ob quem tam cito cuncta corrumpi non possunt. Quod si huic timido

timido alius succedat Princeps strenuus & fortis, regnum is facilè ad pristinum nitorem reducere & defectus emendare potest. Sed si timidum & abjectum alius excipiat qui nihilo sit melior, sequetur sine dubio certissima regni universi ruina atque interitus. Quemadmodum contrà, ubi duo Principes strenui imperium adipiscuntur, non mirum si terminos ejus longe lateque prolatent. Exemplum habemus in regno Romano; ubi Romulus bellator successorem nactus est Numam pacificum, qui pace atque quiete usus ad legum promulgationem: hunc secutus est Tullus animo feroci præditus, qui usum armorum revocavit: Ancus vero ejus successor ad pacem non minus quam ad bellum aptus, cum ad illam potius inclinare videretur, eaque de caussa in contemptum apud suos perveniisset, hoc arripuit: atque hisce vicibus ad tantum imperij culmen Romana ascendit respublica. Contratium Judæorum regnum expertum est. In quo Davidi prudentissimo & bello fortissimo regi Salomon filius successit, qui in pace regnum non propria virtute sed patris potius auctoritate & dignitate, quæ adhuc in animis subditorum atque exterorum vigebat, conservavit; quod Roboamo, qui hunc secutus, non pari eventu successit, siquidem paterno avo virtute atque auctoritate longe inferior esset. Hæc remedia inprimis adhibenda sunt in ijs regnis, quæ non ratione vel legibus reguntur, sed à nutu & voluntate Principis & violentia quadam dependent, ad quorum conservationem suprema quædam virtus, nec interrupta sed continua requiritur. Sane Ottomannicum Imperium præ alijs violentum est, quod ab arbitrio unius summi regis dependet. Nec ulla libertatis specie gaudet, eòque magis expositum est mutationibus, quod statuta Imperij non obligent subditos ad quietam & tranquillam vitam agendam, sed cogant quasi, ut ar-

mis atque rapinis ſtudeant. Quas cum extra territorium exercere non poſſint, domi invicem cum regni interitu eas tractare coguntur. Inde fit ut nunquam intermiſſio à bellis concedatur, ſed uno finito aliud incipiendum ſit, ne milites otio torpeſcant.

Qui diligenter Turcarum hiſtorias ab initio ejus Imperij ad noſtra uſque tempora evolvet, reperiet feliciſſimos ſemper in bello exſtitiſſe maximoſque feciſſe progreſſus eos Imperatores, qui manu ſtrenui & animo forti atque invicto præditi fuerunt; qui legis & ſectæ, quam profitentur, ſtudio in bellis ſeſe exercuerunt, ne otio virtus ipſorum tabeſceret. 1300. Indefeſſa fortitudo & vis animi invicta apparet in ijs Imperatoribus, qui ab Ottomanno regnarunt ad Mahemetem uſque Secundum, qui Conſtantinopolis atque Trapezuntis imperium cum plus ducentis urbibus Chriſtianis ad ſe rapuit. 1481. Ipſimet bella caſtrave ſequebantur. Severiſſima diſciplina militum inſolentiam atque luxum cohibebant; turpe ut duceretur militibus etiam qui majora obibant munia, auro vel ſerico veſtiri, vel in caſtris alio lecto, niſi tapeto humi ſtrato, uti. In juſtitia adminiſtranda ſeveriſſime prohibebant, ne iniquis extorſionibus ſubditi premerentur. Sæpius in publico comparebant, & privatorum querelas audiebant; quas ſequebantur pœnæ atque caſtigationes graviſſimæ. Hic regnandi ordo à Bajazethe II intermiſſus, quod vitæ privatæ deditus eſſet, corruptelas in regnum plurimas induxit; quæ temporis ſucceſſu auctæ fuiſſent, niſi maturè Selimus filius illud occupaſſet. Revocavit ille majorum & prædeceſſorum ſuorum conſuetudinem in audiendis ſubditorum querelis, & juris adminiſtrationem reformavit: ipſe bellis præfuit, militiam atque aulam ad priſtinam auſteritatem reduxit, & continuis bellis exercuit. Unde non modò in Europa limites Imperij ſui latiſſime extendit, ſed in Aſiâ quoque Cairi regnum

gnum & Armeniam minorem occupavit, ac plurimas regiones Persis eripuit. Ex quarum conquisitione exercitus ipsius eosdem tulit fructus, quos Romani ex superatâ Asiâ perceperunt: cum milites victores luxum & mollitiem exterorum, splendorem supellectilis, instrumenta ludicra & musica in convivijs, & ciborum exquisitas delitias, in civitatem induxerunt, ad quæ cum ambitio senatorum accederet, ruina exstiterunt tam probe institutæ Reipublicæ. Sic ruinæ Imperij Turcici principium ex Persicis spolijs natum. Quibus aula tapetibus auro & rebus preciosis opulentior reddita fuit; cumque primum tanquam trophæa illata fuissent, postea in usum quotidianum cesserunt, & pompæ pernicioſissimæ instar habitæ fuerunt. Ad conservationem ejus magnificentiæ, cum multum pecuniâ opus esset, extorsiones atque angariæ subditis impositæ natæ sunt, & officia auro venalia esse cœperunt. Quod si Selimo alter Bajazethes successisset, dubio procul Turcica militia funditus eversa fuisset; verùm Solimannus bellicosus & strenuus Imperator, qui continuis bellis maximo cum Christianorum damno milites in Ungaria imprimis exercuit, disciplinam priorem restauravit. Successorem habuit Selimum II. qui in eâ passim fuit existimatione, ut neminem haberet quem jure timeret; gessit quædam bella, sed maritima pleraque, ipse vero domi permansit. Sub hoc Imperatore militia aulica, otium atque opes nacta, delitijs indulgere potuit; quibus adeo abusa est, ut per ostentationem aulici & officiarij certarent invicem, quis splendidiora & pretiosiora munera Imperatori offerret, majorem aleret mancipiorum numerum, magnificentius auro serico & gemmis ornatus atque vestitus incederet; unde precium pecuniæ auctum, & ad summum avaritiæ gradum omnia fuerunt redacta, nec amplius munera atque officia inter benè meritos distribuebantur, sed ijs qui plus æris obtulissent con-

T. Liv. li. 99.

1520.

1556.

ferebantur. Qui dignitate erant inferiores modum potius cumulandi pecunias, quam gloriæ ex rebus benè & fortiter gestis adipiscendæ quærebant; ut illius ope ad munera altiora ascenderent; omnis miseria redundabat in miseros agricolas, qui angarijs opprimebantur, & in extremam redacti necessitatem agriculturam deserebant, fugâque sibi consulere cogebantur: inde regionum vastitas inducta, decimæ non fuerunt solutæ, & stipendia feudatariorum seu Timariotorum cessaverunt. Nec sumptus subministrati fuerunt ad aulam & militiam sustentandam. Unde præter loca maritima & limites Imperij reliqua ditio fere universa deserta quasi videbatur.

Ex his quæ in medium fuerunt allata concludimus: Turcam in hisce bellis, in quibus unà cum provincijs bello captis, subditos ad bellum idoneos nullos sibi subjicit, deteriorem potius quàm meliorem statum Imperij sui reddere; idque magis, quo diutius protrahuntur & sæpius iterantur ejusmodi bella, & factiones inter milites copiarum numerum minuunt. Quarum defectus, nisi ordinem militiæ immutare velit, nusquam alibi quam ex Seraglijs suppleri potest: in quibus tantus est puerorum numerus, ut si ter vel quater insigni clade exercitus afficeretur, defectus occisorum suppleri possit. Sed ulterius non sufficient, etsi extraordinaria puerorum collectio vel exactio fieret; qui tam subito excrescere & ad bellum si continuetur assuefieri nequeunt. Interim provinciæ incolis privantur, præter rusticos, quorum nulla habetur ratio, qui singulis annis in expeditionibus moriuntur: Asappi scilicet, fossores, & qui commeatum in castra conferunt. Bis singulis annis extrema illis calamitas à prætereuntibus militibus infertur; quos hospitio excipere & stipe juvare tenentur, præter reliquas insolentias, quæ ipsis inferuntur. Coactus igitur & invitus Turca breviora quidem bella, sed immen-

immenso cum apparatu gerit; & semel in Asia pace initâ, quo rustici qui ibi sunt post tot tantasque miserias perpessas quiescere & sese recolligere possint, bellum in Europam transfert, ne otio torpescant & corrumpantur milites.

Hinc igitur adparet error quorundam, qui bellum continuando deteriorem Christianorum statum fore existimant; quod non copias sed pecuniam belli nervum statuant. Quod equidem nunquam mihi persuadere potui; tum propter rationes superius allegatas, tum quod ipsa experientia fuerim edoctus, Turcas non diuturna sed vastuosa bella gerere. Quod si potius ère sua fore cognovissent, bellum protrahere quam finire, dubio procul consuluissent rebus suis, prout ipsis visum fuisset commodissimè. Nec dubitandum quin sæpius hac de re in concilio tot Imperatorum fortissimorum, torque ducum strenuissimorum instituta fuerit consultatio. Namque Imperio quam longissime dilatato incommoditas illa aucta est. Siquidem milites ab extremis limitibus ad alteram Imperij extremitatem, per media quasi deserta deduci nequeunt, nisi cum proprio detrimento & rusticorum eversione. Quod firmum est argumentum instantis ruinæ, quæ minatur monarchiam hanc, ad tantam amplitudinem & vastitatem propagatam, ut partes extremæ à suo centro debita auxilia atque subsidia difficulter accipere possint. Verùm nimis diu in hac materia immorati sumus, quæ tamen consideratu dignissima est; unde fundamentum præcipuum nostræ quæstionis, quam decidendam sumpsimus, dependet.

Ad desertionem & desolationem provinciarum, quæ ex nimia rusticorum & subditorum extorsione & miseriâ provenit, aliud accessit sub Selimo II incommodum non minus grave quam præcedens. Classe enim Turcica post expugnatam Cypri insulam profligatâ atque destructâ, & maxi- 1571

more-

mo rerum maritimarum apparatu amisso, adeo Imperator animum à belli maritimi studio subduxit, ut à navigatione & mari protinus abstinere secum statuerit. Secus ac fecerunt majores ipsius, qui incrementi & authoritatis spem non minimam in re maritima posuerant; cum Græci ut sumptibus parcerent ejus imperium sprevissent & neglexissent. Remedium huic malo afferri quivisset, si quis Solimannus regnum adeptus esset: sed Amurathes III successit, qui mollis ipse aulam delitijs & ocio perditam habuit, nec Turcicam militiam enervatam atque corruptam è fundamentis restaurare & ad priorem ordinem revocare; nec pacem cum vicinis conservare novit, qui Solimanni fortitudine perterriti, ab armis hactenus quieti abstinuerant. Imperator delitijs Seraglij vel aulæ vacabat, res quæ Imperij statum concernebant consiliarijs tractandas relinquebat, neque proprias neque hostium vires atque potentiam explorare & perscrutari curabat. Sinani Bassæ consilijs, qui primi Visieri officio fungebatur, irretitus, bellum quod nunc in Ungaria durat, in ejus favorem suscepit, ut inquietæ ipsius voluntati atque naturæ obsecundaret: cujus tamen fructus nimis amaros, præventus morte, gustare non potuit. In Imperio ipsi Ma-
1596. hometes III. omnium cum applausu & lætitia successit, quod ad bellum magis patre Amurathe inclinare, idque à juventute foviisse, videretur. Attamen mulierum illecebris corruptus, non est profectus, ut tot malis hoc in bello illatis succurreret, & remedium afferret, verùm etiam duces militiæ præcipuos vitâ temere privavit, cladium causas non corrupto exercitui sed ipsis ducibus imputans. Primùm
1595. Ferathum Bassam virum bello præstantissimum ad Sinani querelas & accusationes laqueo suffocavit; Sinanus ipse non absque suspicione veneni periit, quod à Transylvaniæ Duce anno proximè elapso cæsus fugatusque fuisset. In tanto du-

cum

cum præstantium defectu classis curam ejusmodi homini commisit, qui rei maritimæ studium nec didicit unquam neque tractavit. Ipse vero cum Cigala in Vngaria comparuit, forsitan quod exercitus, nisi ipsius sub auspiciis, in bellum proficisci nollet. Agriam exiguâ suâ cum laude cepit, quod neque situ neque manu esset munita, & præsidiariorum culpâ in ejus occupatione haud levis interveniisset. Exercitum Christianorum culpa nostrorum fugavit, cum prius milites ipsius turpi fugâ multoties salutem quæsiviissent, quorum numerus infinitus periit. Quod si, fortuna æque ac virtus bellicumque robur eos destituisset, hoc anno fundamentum suæ libertatis Hungaria primum ac firmum jeciisset. Magno sane constabit labore Turcico Imperatori, ut rursus confirmet tot cladibus fractum suorum militum animum; unde ab exiguis nostris copijs sæpius immensa ipsius multitudo cæsa atque deleta fuit. Hinc causæ patent, ob quas provinciæ quædam integræ ejus jugum excussérunt, Walachia scilicet atque Tranfylvania, è quibus militiæ Turcicæ plurimæ quondam commeditates proveniebant. Quod scilicet à potentia & viribus earum provinciarum nihil eis periculi metuendum esset, quas semper antea horruerant atque formidarant. Apparent quoque occasiones, cur tam invitè militiæ nomina dent subditi, qui sponte quondam sua & ultrò in bellum procurrebant. Notæ sunt æmulationes atque discordiæ, quæ inter præcipuos duces vigent: inter Sinanum quidem & Ferathum non ita pridem, hodie inter Hibraimum, (cui Sultanæ favent, quod paci studeat & bellum detestetur,) atque Cigalam, qui officio primi Visieri, quod virtute militari commeritus fuerat, privatus ad alios regni limites relegatus fuit Giaffer Bassa suffocatus periit. Quod si hæc tyrannis in reliquorum aulicorum notitiam perveniret, non mirum foret, si communis quædam rebellio sequeretur; cum cuilibet extre-

mum periculum vitæque discrimen jure timendum sit, quod ad libitum mulieris, etsi nihil gravius sit commeritus, incurrere possit. *Et hæc de Turcico exercitu dicta sufficiant.*

NOSTRUM EXERCITUM quod attinet, jure dicimus continuo belli usu longe meliorem eum existere. Namque *Germanorum* civiles discordiæ authoritate atque prudentia Imperatoris Rodolphi sublatæ, & bellorum occasiones extinctæ fuerunt. Ille quidem diu præmeditans, atque secum animo bellum volvens, ad id pacis tempore sese instruxit: interim Germanorum animos pacavit, remotis dissensionibus, quibus irretiti non considerabant periculum, quod ab instante hoste potentissimo imminebat. Hinc factum, ut majora auxilia quam unquam antea Germani contra Turcam miserint. Iidem edocti, quanta facilitate suis viribus Turcicam potentiam infringere possint, relicto pristino belligerandi modo, non solum quæ adhuc possident defendunt, sed hosti quoque offensivum inferre bellum, atque ejus propugnacula & urbes tentare obsidere & expugnare audent. Imperator noster Ancum Romanorum regem imitatus, non minus ad bellum quàm ad pacem aptum sese declarans, subito bellum acceptavit, cum Turcarum perfidiâ, occupatâ Biccia Croatiæ propugnaculo, & violatis legatis pax rupta fuit.

Quantum valeat *Hungarorum* virtus contra Turcas, ex eo patet; quod ipsi soli per ducentos fere annos fortissime hosti restiterunt. Vt nunquam vel minimam partem hujus regni sub jugum mittere potuisset, nisi civiles discordiæ aditum præbuissent, & fere januam in id aperuissent. Notæ sunt clades, quas à nostris accepit; tum etiam victoriæ, ob quas plurimi sane duces, qui in Hungaria contra Turcas militarunt, triumphos adhuc hodie agunt. Idem probant tot factiones quæ adhuc vigent. Cum enim plurimi durissimum ejus jugum amplius perferre

ferre nequeant, animo confirmato secessionem fecerunt. Qui nunc difficillima quæque tentant & maxima cum laude ad finem perducunt; inprimis verò cum è sua natione nacti sint Principem Christianum & bello strenuum, qui memoriam Stephani & Mithriæ regis renovat.

Quæ sint *Germani* militis laudes bellica virtute partæ, non opus est ex historiarum serie longius repetere. Natura videtur Germanos complexione & corporis dispositione armorum & belli oneri perferendo aptos procreasse; nec aliud ipsis deest præter exercitium, quo ob diuturnam pacem caruerunt, eoque destituti timidiores in proximis expeditionibus exstiterunt. Siquidem nemo ea fortitudine natura dotatus est, ut primo hostium impetu (nisi irâ sit commotus) animum non dimittat; verùm ubi aliquoties ad manus cum eo fuit deventum & pugnandi modum didicit, abjecto omni timore ipse prompte in aciem descendit. Ejus rei exemplum in Italis vidimus, qui ad Hydruntem, licet bello assueti ne aspectum quidem hostium ferre potuerunt; perciti novi hostis fama & timore. Tum quod novam pugnandi formam prius non fuerant experti, adeo fuerunt perterriti, ut non dubitarint ex Vngaria copias quasdam extrahere & evocare, qui Turcis resistere scirent. Sane usus atque necessitas plurimùm ad instruendos milites in bellicâ disciplinâ conducunt. Vidimus in his ipsis regionibus veteres Germanorum legiones fortissime sese in bello gerere, & exiguo militum numero non modò hostem non fugere, vel detrectare prælium, sed ipsum quoque ad pugnam quærere provocare atque insectari. *Bohemorum* equitatus male apud quosdam audit, quorum rationes ego non intelligo. Namque in Asiâ Cairi deliciæ & aeris temperies homines molles & effœminatos producere solet. Exstiterunt tamen plurimi ejus regionis incolæ, qui Mamuluchorum exercitui sese junxerunt, & diuturno 1480. *Bonf. l. 36.*

belli exercitio tam strenui evaserunt, ut cum ipsis Ianizaris congredi, & manus conferere ausi fuerint. Rex Matthias in Moraviam quondam delegaverat equitum quasdam turmas, ut hyeme atque æstate ibidem militarent, quæ propter facici nigredinem atræ legiones fuerunt vocatæ. Harum virtus adeo claruit, ut si quando una earum in exercitu numeroso militabat omnibus formidabilis existeret, & reliquis copiis authoritatem conferret. Quid obstat, quin hoc idem nostro tempore eodem eventu tentetur, & in effectu ponatur?

*Bonf. lib. 43.*

*Concludimus* ergo, militiam nostram diuturnitate belli meliorem factam esse: apud Turcas vero contrarium evenisse, siquidem tam subitò copias in occisorum locum propter provinciarum defectiones restaurare nequeant, tum quod in præliis plerumque fortissimi quique cadunt, quorum in hoc bello ad minimum centum millia occubuerunt, illi in primis qui in hisce regionibus magis erant versati & cogniti. Quod ad reliquam fæcem exercitus, collectam ex vilissimis quibusvis, attinet, occisorum numerus commemorari non potest. Turca quidem in tam vastuoso imperio facile immensam multitudinem hominum scribere potest; sed pauci in ea milites strenui reperientur, nisi justis præsidiis propugnacula limitanea denudare & privare velit. Objiciunt quidam, etiam à nostris tyrones & novitios in militum numerum referri, qui nunquam antea hostis conspectum viderunt. Fateor id quidem; sed Turcarum diversam esse rationem dico; siquidem noster exercitus hominibus constat liberis, qui etsi cuncti in rebus bellicis non sint exercitati, ingenia tamen ad militiam applicant, & usum tractandorum armorum gladij in primis & bombardæ norunt. Contra Turcarum exercitus, præter Timariatos & milites qui privilegijs gaudent, constat hominibus abjectissimis & vilissimis mancipijs, quæ nulla specie libertatis fruuntur, reliquorum mili-

militum insolentijs exposita. Rusticis in primis, quibus ne arma quidem relinquuntur; quos Iudæorum fæci abjectissimæ, qui inter Christianos vivunt, verè comparare lubet. Huc accedit, quod in regionibus septentrionalibus homines nascuntur sanguine completi: unde etiam cordatiores existunt, pericula spernunt, nec vulneribus terrentur, ut Physici dicunt, facilius quoque aëris intemperiem perferunt.

*Hæc de militibus, nunc de armis.*

*De Armis.*

Arma quod attinet, duo primum in considerationem veniunt: Quantitas scilicet & Qualitas. Ea autem in omni exercitu armorum *quantitas* habenda est, ut non semel inde milites armari possint, sed cum ob varios casus illi pereant, vel usu consumantur vel abjiciantur in fugâ, alia semper asservanda sunt quæ militibus in perditorum locum tradantur. Nec eadem ad cunctos belli usus conducunt: sæpius ubi stratagemate hostis vincendus est, expedit paribus vel similibus armis militem induere, ut hostem decipiamus. *Qualitas* armorum in usu & prærogativa consistit. Alia enim offensiva sunt, alia defensiva. Illis aggeres diruimus, quibus tormenta bellica & omne genus machinarum comprehendimus, & hostem cominus & eminus petimus. Cominus ut est hasta, lancea, gladij & similia. Eminus vero, ut arcus, bombardæ, & omne genus missile. Defensiva arma sunt, clypeus, scutum, ferrei thoraces, loricæ, & quicquid denique tutum corpus ab ictu hostili conservat, quibus dubio procul nostri Turcas longe superant. Armorum prærogativa non omnibus nota est, siquidem è subtili hominis ingenio proficiscitur: cum nimirum diligenter perpendimus, quæ arma hoc loco, hoc tempore, & in hisce actionibus utiliter adhibenda sint. Quod qui non observarit diligentius, contrarium forte suo conatu eventum experietur. XII.

*De hac materia inferius, ubi de aciebus ordinandis explicandum erit, fusius dicemus.*

*De Commeatu.*

IV. INter reliquas difficultates, quibus nonnulli moti, domi hostem expectandum statuerunt, præcipuâ fuit commeatus
*Iovius.* & rerum ad victum pertinentium defectus atque penuria. Si quidem enim offensiuum bellum sit gerendum, longius in hosticum, per desertas scilicet provincias, proficiscendum, & commeatus qui tanto exercitui sufficiet maximo cum labore & sumptu portandus foret; cum milites nostri, qui bonis cibis & vini potui assueti, ejusmodi nutrimento sani & incolumes conservandi sint; Germani inprimis maximâ copiâ indigent; tum pedites propter tot meretrices lixas & calones, inutile genus hominum, qui ipsorum sequuntur castra, tum equites, qui propter armorum gravitatem & ne equos perdant sæpius quiescere solent. Minori apparatu Hungari utuntur. Minimo verò Turcæ atque Tartari. Equos ut plurimum solo stramine & fœno alunt. Milites destituti pane carne & vino sæpius pulmento vel oryza contenti vivunt; lautè se vixisse putant si frustum panis biscocti nanciscuntur: vel carne salsa, obduratâ, in pulverem redactâ, & aqua calidâ maceratâ, vescuntur.

Tam austerum vitæ genus quondam apud Turcas in usu fuisse potius credo, quam ut hodie eo utantur. Qui in hac opinione sunt, sententiam suam Vladislai exemplo confirmant,
*1443. Bonfin. l. 26.* quod defectu commeatus potissimum, cum ad Hemum usque processit, copias reduxisse credatur. Eandem victus penuriam causam extitisse, quod ad Varnam pugna cum maximâ inconmodirate fuerit commissa. Tum etiam quod in Croatia nihil laude dignum effici queat; ob caritatem annonæ potius fieri, quam propter militum paucitatem & defectum.

Vt ad hanc objectionem respondeam, equidem satis mirari

rari non possum, sapientes quosdam viros hisce difficultatibus irretitos, consuluisse tam insignem errorem, ut hostem scirent domi expectemus, in regione florentissima & fertilissima, ubi commodissime sese possit sustinere, ne cogatur longius adferre commeatum. Non igitur sterilitas sed difficultas commeatum deducendi, & quæ inde secutæ sunt confusiones, nostros perterruerunt, quod nullum huic malo remedium adhibere sciverint. Quod si recte fertilitatem regionis, & commoditatem tot fluminum navigabilium, tantam copiam armentorum & vehiculorum perpendissent, certe ulterius penetrassent. Quod in hunc usque diem nostrâ in primis culpâ & incolarum discordiis intervenientibus nondum tentare ausi sumus. Vladislaum quod attinet, nunquam ille sibi persuasit fore ut Turca pugnam fugiat, vel quod transitu ipsum impedire posset. Non vero credidit fore, ut ex Asiâ tam cito Amurathes contra instructissimum Christianorum exercitum revertatur in Europam, ut ipsum præverteret antequam in Thraciam provinciam fertilissimam perveniret: quod si tale infortunium suspicatus fuisset, facilime rebus suis aliter consulere quiviſſet. Croatiæ defectibus quo minus consulatur & prospiciatur, nostra potius confusione, tum quod Ordines Regni à bello abhorreant, quam ex ignorantia vel impossibilitate quadam evenit. Cum videamus, hostes Constantinopoli usque jumentorum dorsis suos adferre commeatus, & ob eam causam immensum impedimentorum numerum & acervum secum in bellum extrahere. *Leonic. lib. 7.*

Primum sciendum Christianum exercitum ad trium provinciarum limites emittendum. Viginti mille in Croatiam: triginta mille ad Transylvaniæ & Walachiæ confinia: quinquaginta mille ad Danubij ripas subsistent. Necessitate tamen urgente bina castra coniungi possunt. Suppono alteram quoque necessariam belli rationem; quod nunquam locus hostilis proficiscenti

ficiscenti exercitui à tergo relinquendus est; in primis vero prope flumina, ne qui commeatum adportant impediantur; qui non modò ab hostium insidiis defendendi sunt verum etiam ab incolarum latrociniis. Et semper turma quædam equitum emittenda, ad loca suspecta perlustranda & detegendas insidias, ne metu prædonum impediatur commeatus comportatio. Opera quoque danda, ut pro ratione periculorum, & distantia locorũ, unde merces afferunt mercatores, honestum hi lucrum percipiant, quo in posterum ad mercimonia diligentius exercenda instigentur. Deligendi sunt certi quidam officiarij, qui mercibus pretia justa imponant. Certus est locus designandus, quo mercatores secure, tanquam in emporio, conveniant, & quæ attulerunt venalia exponant, vel aliis mercatoribus divendant, à quibus postea vehiculis & carris tutò in castra deferantur. Proficiscente enim exercitu non semper ad ea loca, ubi subsistat, perveniri justo tempore potest; & morâ interveniente, merces quæ durare non possunt, corrumpuntur & frustra pereunt. Quod si ista strictè observentur, non est dubium quin rerum omnium abundantia in exercitu sit futura, propter tot fluvios navigabiles, qui per regiones fertilissimas & copiosissimas dilabuntur.

Cum verò ea loca ubi plus imminet periculi mercatores adire non soleant, necessarium foret (in Croatia imprimis) ut ejus provinciæ Ordines, qui militibus stipendia solvunt, granaria quædam publica in locis securis constituant, unde avenam atque panem militibus stipendij loco numerent. Quin & pro singulis militum vexillis vehiculum vel jumentum quoddam solo pane bis cocto vel frumento onustum circumvehi potest. Nec tamen eo sine permissu belli ducis utendum, sed ad subitas expeditiones conservandum; ne quæ mora injiciatur, vel occasio amittatur, donec de victu sibi milites prospiciant. Vbi vero

vero per dies aliquot in loco certo quiescendum est, jumenta atque vehicula tutò ad constituta illa emporia provinciæ vel mercatorum mitti possunt, ut quilibet pro suo vexillo quæ necessaria sunt comparet. Quin & sentina illa hominum inutilissimorum, mulierum puta atque colonum, ab exercitu abigatur atque depellatur: paucis exceptis, qui ægrotos curent & linteamina lavent. Quod peditibus Germanis inprimis usu venit, qui laceratis vestibus fere nudi revertuntur è bello, vel pereunt vestibus destituti.

Postquam Transylvania atque Walachia (quæ vera Turcarum fuerunt granaria) ab ipsis defecerunt, maximis inde necessitatibus urgeri cœperunt, siquidem commeatum ex Asia navibus Constantinopolim quidem, inde jumentis in Vngariam transportare coguntur. In Europa parũ frumenti ex provincijs, quas possident etsi fertilissimis nanciscì possunt; quod exigui supersint pagi, & ipsi quidem incolis vacui. Tum etiam quod per transitus militum, qui toties iterantur, omnis ferè commeatus absumatur, & regio depopulationibus quasi deserta reddatur. Si quis itaque commeatus comportandi rationem qua Turca utitur, deinde qui sumptus requirantur ad alenda tot mancipia qui eos conducunt, tum quantum frumenti absumat exercitus antequam sedem belli attingat, recte perpendet, sane reperiet fieri non posse, ut per tres vel quatuor septimanas in uno loco Turca immoretur. Quod pabulationes quibus equitatus vix sustentari potest, multo minus jumentis quæ vehicula trahunt alendis sufficient; quorum numerum majorem esse Laonicus dicit, quàm hominum qui militiæ inserviunt. Ad Agriam proxime nonnulli opinati sunt, prælium differendum esse quod hostis pabulationum & commeatus defectu brevi inde discessurus sit; cujus penuriâ plus damni in his regionibus percipit, quàm arma hostilia ei inferre possint. *Lib. 7.*

# SECTIO ALTERA.

## *Quomodo in bello procedendum & bellum sit gerendum.*

QVæ hactenus à nobis dicta fuerunt, ad intelligenda reliqua in medium inprimis fuerunt allata, siquidem principalis hujus materiæ scopus in iis versatur. Vt igitur probe intelligantur omnia, præcipua capita observanda sunt: *Bellum* scilicet offensivum in posterum gerendum; *tum* quo ordine hostilis regio sit aggrediunda; *postea* qua ratione acie cum hoste sit decertandum, & quod bellum pluribus annis protrahendum, & hyeme quoque gerendum, *denique* quomodo bello capta sint conservanda. Quod si in tam brevi compendio hæc omnia pro rei dignitate discuti, & examinari nequeunt, ii saltem, quorum plurimum interest ea diligentissime considerare, & ad calculum singula revocare debent.

### I.

### *Bellum offensivum gerendum esse.*

QVæ commoda quæve incommoda bella offensiva vel defensiva sequantur, primum generaliter, tum particulariter consideremus.

Ad prius quod attinet pluribus sane exemplis comprobatum est, *Bellum commodius*, Guicciardino teste, *hosti inferri, & in hosticum derivari quam domi illud excipere.* Ejus rei exempla multa apud Romanos scriptores legimus, qui earum partes plerumque potiores exstitisse prædicant, qui primi arma arripuerunt. Vt habet Livius in consultatione de bello Samnitis movendo, vel in Macedoniam transferendo: in oratione Scipionis de Africa debellanda: in consilio Hannibalis Antiocho dato, de bello Italiæ inferendo; quæ loca omnia sententijs exquisitis

*lib. 10. Tit. Liv. lib. 1. lib. 21. 28. lib. 24.*

sitis sunt referta. Inter quas hæfere sunt præcipuæ: præcaveri destructionem propriæ ditionis: hostem impediri, quo minus pro libitu suorum ope atque præsidio uti possit, subditorum facultatibus hostilis exercitus devastatione eversis; hostem timidiorem reddi, cum qui aggrediuntur semper sint ferociores: milites cordatiores ad pugnam reddi, quod procul à ditione propria & patria absint: occasionem suppeditari multorum animos explorandi, qui erga Principem male poterant esse affecti: victoria lucrata regionem hostilem posse occupari, priusquam hostis exercitum restauret. His rationibus aliæ opponuntur contrariæ, quas idem Livius recenset, describens incommoda, *lib. 9.* quæ Alexander M. habiturus fuisset si in Italiam descendisset; *lib. 18.* ut Fabius in Senatu contra Scipionem probat, & Paulus contra *lib. 22.* Hannibalem. Qui idem hoc tandem fatetur: quod domi quisque majores copias colligere, quàm extra ditionem ducere possit: clade accepta patere, quo se in tutum recipiant milites à nece superstites: exercitum restaurari facilius posse: situs locorum & viarum cognitos esse, quos in nostrum usum convertere possumus; res necessarias domi suppeditari, quibus in peregrina regione sit carendum.

In hac materia Secretarius in hunc modum distinguit. Si, *lib. 2. c. 12.* inquit, potentia ejus qui oppugnatur inferior sit hostili, defensivum bellum gerere debet, cum auxilijs externis destituatur; secus faciendum, si vires ejus tantæ sint, ut acie cum hoste concurrere, nec de victoria desperare ausit. Duo insuper hic considerandа: Num regio naturâ situs, vel arte sit munita, num pateat undique; Deinde utrum exercitus noster è proprijs subditis constet, quos convocare possumus pro libitu, an vero conductitios milites habeamus, iique consensu plurium conscribantur. Quod si regio munita sit, & militia ex subditis constet, hostis propter dictas causas domi expectari debet; Sin vero

aperta sit regio, & milites ab alterius arbitrio dependeant, non expedit ut defensivum bellum geramus, sed melius erit hostem prævenire, maxime vero si ille sit vicinus & potens, cujus imperium subditi absolute recognoscant, quos ille pro libitu convocare & hinc inde emittere possit, qualis revera Turca est. Ejus
lib. 14. rei Hungari exemplum præbent, quos nunquam hostis subegisset, nisi discordiis civilibus irretiti (ut dicit Bonfinius) defensivum bellum gerere constituissent; quod revera nihil aliud erat quam bellum gerere, non ut illis conducebat; sed potius ut hosti commodum videbatur. Maximis sumptibus ingens sæpius exercitus fuit collectus, isque sine ullo fructu iterum dimissus, quod hostis rebus suis prospere gestis discessisset vel anni tempus non pateretur amissa recuperare. Accedit & alia haud levioris momenti causa; quod cùm nos eo tantum animo bellum suscipimus, ut nos defendamus: probe illud succedere non possit: cum econtra ubi hostem offendere velimus, possit. Turca movendo nobis bellum offensivum, omnes ibi impendit regni nervos, illis expugnans urbes & arces, hisce oppugnans & debellans nostros exercitus. Id quod non potest, cum ad defensionem sui tantùm intentus esse velit. Prærogativa defensorum consistit in altitudine propugnaculorum, tectorum, & justo laterum ordine extensorum; qua sic stante pauci multorum assultus sustinere & reprimere possunt; ea jacente vincuntur. Jam quis meritò sperare potest, quatuor sex aut decem hominum millibus diu hostem impedire? qui in obsidione loci alicujus centum aut ducentis millibus, his agendo curriculos, illis effodiendo terram fossasque replendo, istis munimenta & aggeres educendo, strenue occupetur, & totidem alijs in hostem eductis confligat: quia brevi temporis intervallo superior evadat, ac munitissimum etiam propugnaculum everrat? & quodcunque præsidium enervet inque nihilum redigat absque ulla militari arte, &

inge-

ingenij solertia; nisi illud singulari naturæ beneficio insigniter munitũ sit? Præterea rationes nostræ effectum non sortiuntur, cum ad succurrendum obsesso alicui à Turcis castro certum præfinimus tempus: metientes illud non ex potentia hostili in hoc belli genere: sed vel ex propugnaculorum magnitudine, quoad nos: vel ex commoditate situs: vel ex præsidij virtute, quam aliàs fortassis resistendo viriliter conspicuam fecit: non indagantes veriores eventuum causas. Vnde postea fit, ut succursus isti semper tardius adveniant. Cui sæpe accedit præsidiariorum perfidia, aut animi abjectio; sicut hujus rei testis est omnis Vngariæ palmus. In eo autem belli genere, quo nos hostem aggredimur & impugnamus, eque suis latebris in planitiem ad arma conserenda provocamus, multo secius evenit. Non enim potest in prælijs campestribus sicut in obsidionibus, usurpare palas & ligones: sed tantum lanceas, hastas, & bombardas. Et hæc causa est, quod rarò ad prælium apertum adduci potest; saris perspectum habens, quantum hoc suis rebus vel prosit vel obsit.

## II.

### *Quo ordine Regio hostilis sit aggrediunda & debellanda.*

*Quæritur quis locus primùm, quis postea sit oppugnandus.*

Diviſimus exercitum nostrum in tres partes, tum ut hostium vires distrahantur, tum propter commeatus rationem, tum etiam ut præcaveantur confusiones. Cum parte præcipua, quinquaginta scilicet millibus tum peditum tum equitum hostii ad Danubii ripas occurremus. Altera pars, quatuordecim nimirum peditum, & sex equitum millia in Croatiam mittenda; quæ cum sterilis sit & montuosa regio, minores copias & plures pedites quàm equites capere potest. Restant triginta millia hominum: è quibus Transylvano major numerus equitum. Germanorum sex millia scilicet, & quater millia peditum mitti

poterunt. Sub ipso quoque decem millia equitum, & totidem pedites Hungari militent. Siculi præstantissimi forent, si hastis præpilatis uterentur.

Exercitu hunc in modum distributo, duæ regulæ ducibus sunt observandæ 1. Quod nullus à tergo locus hostilis sit relinquendus: Altera, ut tempus & labor in loco, qui alicujus sit momenti, occupando, insumatur, & in eo honor & sumptus qui impenduntur considerentur. Priori regula periculum avertitur, ne exercitus intercludatur, & securitati eorum, qui commeatum comportant, consulitur. Alterius observatio faciet, ut cum recentibus copiis loca munita & principaliora facilius occupemus; quæ minora alia sequentur, quorum occupatio forsitan eâdem opera & labore quo priora fuerunt expugnata, constitisset. Hoc consilium Asdrubal capta Placentia secutus est. Marcello, cum Agrigentum occupasset, sexaginta aliæ urbes & oppida sese dediderunt. Antiochus universâ Thessaliâ potitus est, cum Pheras in suam potestatem redegisset. Idem innuit Marcellus, Fabium Collegam reprehendens, quod Casilinum exiguum castrum obsedisset, quod ne tentare quidem debuisset, eo tamen semel obsesso, propter honorem deseri non poterat, etsi propter difficultates inde emolumenti parum & fere nihil Romanis accedebat.

*Tit. Liv. lib. 17. lib. 16. 26. lib. 14.*

Hoc igitur in primis tribus nostris exercitibus observandum; ut nunquam hostilem locum à tergo inexpugnatum relinquant, ea maxime quæ ad fluvios sita sunt. Tum ut semper aggrediantur loca principaliora, & præclariora. Inde præter alia sequetur, ut hostis si auxilio obsessis venire velit, nobis magna sua cum incommoditate sese accommodare cogatur. Nec à tergo aciem nostram aggredi & confundere possit; quo unico modo nostros prælio superare antea consueverat.

Vt ad singularia veniam, puto exercitum nostrum majorem

ad

ad *Budam* occupandam initio applicandum esse; posthabitâ Solnock, Agriâ & Hatwana, quod urbes istæ hosti potius impedimento quam emolumento sint futuræ & ex ijs commeatus, qui per Danubium defertur, impediri nequeat. Buda vero ob has rationes capienda, quod nimirum una sit ex urbibus regni primarijs; hostes eam optime munitam æstiment: regni sit metropolis, & quod est præcipuum in meditullio fere sita, unde versus Solnock & Agriam commodissime præsidium mitti potest: nobis vero necessaria & peroportuna propter Albæ regalis obsidionem, qua simul etiam Iavarinum intercluditur & obsidetur. Si Solnock Agriam vel Hatwanam obsidere velis, Danubij commoditate destitueris; in Iavarino occupando eædem difficultates & forsitan majores occurrent, minores tamen utilitates inde ad nos redundent, & parum honori nostro conducet si defensionibus assiduo, & amissis recuperandis innitimur. Fateor Iauarinum gravis instar stimuli esse, qui fortiter nos pungit, propter vicinitatem multorum locorum, qui magni sunt momenti, & quod hostis inde magno suo cum fructu bellum gerere possit. Nobis tamen omnium rerum commoditas inservit, fossorum inprimis, qui maxima copia in ea regione reperiuntur.

Vna Budæ obsidioni difficultas obstat, quod exercitus dividendus & intervallo maximorum fluuiorum separandus erit. Eodem enim tempore Pestam (quæ ad alteram ripam posita est) cingere & premere convenit. Itaque sub mensis Iunij initium, coram hac urbe comparerem, cum hostis copias suas nondum conjunctas habet pontem super fluvium construerem, & melius custodirem, quam in priori obsidione anno millesimo quingentesimo & quadragesimo primo & nuper ad Iavarinum factum, ubi pontis expugnationem deditio urbium secuta est.

His primordiis ita constitutis, ambo loca simul aggrederer, 1594.

Budæ

Budæ fingerem arctius instare, sed re ipsa vehementius urgerem Pestam, quod facilior captu sit, tum quod copiæ quæ Pestam obsident facilius reliquis, si hostis auxilium Budensibus ferre conetur, se conjungere possint. Quod si res ex voto cedat, nec aliud periculum superesse videatur, copiæ istæ Seghedinum obsidebunt; quod locus ille commodissimus sit, non solum ad deturbandum hostem ex Hungaria superiori, verum etiam ad transitum in Transylvaniam confirmandum. Cujus Princeps occupato Chmadino, quæ parùm à Lippa distat, ponte Tybiscum junget, eoque firmo præsidio munito, consilia & auxilia nostra quovis tempore excipere poterit. Ob hanc unicam causam, nisi adessent aliæ quoque, Budæ expugnatio non est omittenda; nec suaderem Transylvano ut Temeswariam oppugnaret, nisi obsessa vel expugnatâ Budâ, ne molem exercitus Turcici contra se irritet & convertat, cui noster exercitus propter longitudinem itineris in tempore auxilio venire nequeat. Quin prius transitus confirmandus, & cavendum ne à tergo quid periculi immineat, priusquam tanti momenti res suscipiatur.

In Croatia duo sunt præcipua itinera, alterum ad Savum, ad Dravum alterum tendit. Illud confirmandum Petrinæ propugnaculi auxilio, & fluvius occupandus. Quod si ab ea parte Biccia cum locis finitimis occupari posset, confinia illa contra Bosniam tuta existerent, & exercitus ibidem subsisteret. Inde alterum iter, quod ad Dravum ducit tentandum, quod Bobaccia exiguo intervallo ab eo distet, & propugnacula ijs in locis quædam construenda, quo se exercitus recipiat, si majoribus viribus Turca ingrueret: Hac ratione plurimum damni hostibus inferri potest, tum propter vicinitatem Sigerhi, cujus illi maximam curam gerunt, tum propter commeatus defectum, atque impedimentum, si versus Budam excurrere velint. Itaque

que exercitus hic si in istis regionibus solummodo quietus subsistat, reliquis duobus plurimum conducet: donec vel revera Temesvvariæ obsidio suscipiatur, vel saltem fingatur, ut hostium consilia atque copiæ distrahantur, quo Buda vel Alba regalis majori cum securitate obsideri possit. *Hæc de præsenti materia dicta sufficiant. In reliquis idem ordo & eadem regulæ in tribus illis exercitibus observentur.*

III.

## *DE PVGNIS ET PRAELIIS.*

ARtes quibus dux belli in primis excellere debet in ordinandis aciebus & pugnis committendis consistunt. In his si probe versatus & instructus est, reliqui errores qui ipsius culpa committuntur facile corrigi & perferri possunt. Qui contra artibus hisce destituitur, etsi reliquam militarem disciplinam optime sciat, nunquam tamen ad prosperum finem bellum arduum deducet. Namque pugna prospere commissa defectus priores omnes delet & obliterat: victoria vero amissa reliquas actiones quæ præcesserunt inutiles & vanas reddit. Quantum porrò gloriæ & honoris victoria habet, tantum ignominiæ & periculi clades adferunt. Siquidem in rebus bellicis fortuna ut plurimum dominatur, in pugnis ejus imperium in primis adparet. Ubi decretum ducis non recte intellectum vel perceptum; ubi ordo præscriptus non recte observatus: ubi temeritas aut vana quædam vox à minimo milite edita victoriam hosti parat quem victum credebamus; ubi denique ex improviso innumeri casus eveniunt, quos dux belli consilio suo prævertere vel assequi nunquam potuit. Ideoque superius, ubi de militibus dixi, tandem in hunc sensum concluси: Turcam commodius vinci non posse quàm crebris pugnis, in quibus tamen magnam ille prærogativam habet. Ideoque relictis communibus illis stratagematibus ad ea revertar, quibus ut plurimum

*Secretarius de Arte militari lib. 2.*

mum victoriam nobis hostes eiripuerunt. Ante omnia de acierum ordine dicendum foret, quomodo tam numeroso exercitui resisti posset, sed cum ea materia pluribus capitibus constet, ad finem hujus libelli eam reservavi.

Perpendi autem sæpius mecum & examinavi pugnas celebriores, in quibus Christiani à Turcis victi, eas præcipue quæ in Ungaria commissæ fuerunt, ubi (posthabitis caussis, ob quas ad manus ventum fuit,) quatuor præcipuos errores & caussas cladis nostræ me reperisse puto; qui necessariò in posterum præcavendi & corrigendi sunt. Error insignis videtur *si* exiguæ copiæ prælio cum immensa hostium multitudine confligant: *si* nimio pugnæ feruore & cupiditate hostem aggrediamur; *si* milites ordines deserant vel prædas agant, hoste nondum penitus devicto vel lucrata victoria: *si* nimis diu hostem fugientem insequantur. Hos errores, & quæ adhibenda sint remedia, ubi pro dignitate materiæ probe deduxero, spero me satis evidenter demonstrasse, Turcam in Ungaria optime vinci posse.

*Primus error.*

ETsi victoriæ non hominum multitudine, sed militum strenuorum fortitudine apprehendantur, innumera ut exempla testantur eorum qui cum impari plane hostium numero manus feliciter conserverunt: (Inter quæ clarissima omnium Luculli est victoria; qui aperto Marte cum sex millibus equitum & quindecim millibus peditum Tigranem immensa hominum manu stipatum profligavit. Qui cum Romanorum castra è longinquo lustrasset, per jocum dixit; ad legationem tot hominibus non opus esse, ad exercitum majores copias requiri.) Attamen Turcæ non adeo sunt stupidi & insulsi, cujusmodi à nonnullis finguntur, siquidem ab infantia ad labores & bellica exercitia assuefiunt. Neque in nostro exercitu ea disciplina militaris cernitur, quæ quondam

dam floruit; unde pauci sæpius heroica plane facinora & quasi miracula contra numerosissimos hostes ediderunt.

Quemadmodum igitur belli dux meritò ignorantiæ vel timiditatis accusaretur, si ad Turcam vincendum trecenta vel quadringenta hominum millia conscribere vellet, quo æquasem hostili exercitum haberet, non consideratis aliis prærogativis: Sic stultæ temeritatis notam merito quidam incurret, si cum quindecim vel viginti millibus militum victoriam sibi promitteret. Nam etsi ejus rei exempla in regibus & ducibus quibusdam habeamus, ij tamen non studio sed vi & extrema necessitate coacti ad manus pervenerunt. Vladislaus putans Amurathem plane Europa exclusum esse, cum viginti quinque millibus in expeditionem profectus est: (etsi Dracola ipsum præmonuisset, ne cum tanta paucitate ulterius procederet, siquidem Turca ad venationes majores copias secum traheret.) hoste igitur subitò comparente, tutò ei cedere & pedem referre non licuit; nec subsistere etiam poterat, quod commeatus inopia exercitus laboraret, fortunam itaq; tentare coactus fuit. Paulò pòst Joannes Corvinus, ut ignominiam illam antiquaret cum viginti duobus millium pugnam invitus cum eodem Imperatore iniit, priusquam reliqua adventarent auxilia. Neque Ludovicus studio contra Turcarum aciem, quæ trecentis millibus hominum constabat, cum viginti quinque in prælium descendit, sed cum hostem ad Dravum transitu prohibere cogitaret, & serius advenisset, nec subsistere poterat commode donec reliqua auxilia adventarent. Huc tamen non debet referri Sigismundi clades, qui cum sexagies millibus militum cæsus fuit; non quidem propter exercitus debilitatem, sed propter alios errores de quibus postea dicemus. Ad Agriam nuper exercitus noster quinquaginta fere millibus militum constitit, cæsus tamen, non quidem copiarum defectu

1444. *Bonfin. l. 26.*

1445. *Ibidem.*

1528.

1396. *Bonfin. l.*

fectu vel hostium fortitudine, sed propter alias quasdam confusiones; vel quod exemplo Ludovici in insidias fuerint deducti, vel quod nimis præcipitanter ut Sigismundus in prælium procurrerint, unde postea consternati milites vano terrore perterriti fuerunt.

Sufficient igitut quinquaginta millia militum ad pugnam cum Turcis ineundam; maxime si ejus vires, ut supra dixi, distractæ nec in unum locum collectæ sint. Præter rationes superius allegatas exemplum me movet Romanorum, qui contra copiosissimos hostium exercitus majores copias non duxerunt. Accedit ad rationem experientia quoque; quæ non ex successu examinanda, in quo fortuna partem quoque sibi vendicat, & aliæ occasiones præter pugnantium fortitudinem interveniunt, sed ex hostium confessione pro-
1443. priâ desumenda. Cum Vladislao sane, qui in prima sua expeditione quinquagies mille hominum in aciem duxit, manus conserere Amurathes ausus non est, quin ne ad pugnam cogeretur transitus difficiliores Thraciæ obstruxit. Multò minus
1493. Vladislaum II, cujus exercitus sexagies millibus constabat, in
Bonfin. l. 4. acie expectare voluit, sed ut tuto copias reducere & domum reverti posset, specie legationis & induciarum eum decepit, & varijs excursionibus ipsum distraxit. Solimannus omnium Imperatorum Turcicorum fortissimus bis in Austriam cum
1529. trecenties & quingenties millibus militum, Germanorum in-
1530. nixus discordijs, descendit; verùm ubi solùm exercitum à nostris conscribi intellexit, qui tamen nondum in ipsius conspectum venerat, turpiter inde discessit, ejusque discessus fugæ haud fuit absimilis. Idem Strigonium atque Albam Regalem cum ducenties vicesies millibus militum expugnavit: sed cum Ferdinandum cum quadraginta millibus ho-
1543. minum Possonium advenisse & recta contra ipsum tendere inaudivit, subito reduxit exercitum copiasque dimisit.

Infini-

Infinita ejusmodi exempla in medium adduci possunt. Agria quoque ejus rei testis est; ibi quæ gesta sint recenti adhuc memoria tenemus. Sane perinvitus, nec absque timore, hostis in aciem descendit, cogitans nostrorum saltem animos tentare, vel confusiones inter eos excitare, quæ ipsius commodo servirent: ubi verò nostros superare paludes & arctius illi instare vidit, neglecto armorum præsidio fugâ salutem quæsivit.

Rationes denique ex multitudine hominum desumo, cui neque de victu & commeatu prospici, nec ea certo ordine regi & freno contineri potest. Dein verè mihi persuadeo, copias nostras armis instructas eo ordine in aciem collocari posse, ne ab hoste inermi circumdari possint. Tandem quod hostium vires disjunctæ sint, ad plures Imperij limites defendendas. Quod si omne suum robur omnemque potentiam unitam haberet, nostri quoque contra non secus cunctas suas copias recolligere vel conatus ejus eludere poterunt; donec reliqui exercitus in alijs provincijs, justis præsidijs privatis, alias expeditiones perficiant. In discessu verò extremum ejus agmen aggrediendum & infestandum foret.

*Secundus error.*

SEcundus error è nimia militum audacia & pugnandi desiderio provenit. Etsi enim militaris audacia in pugnis probatur, imo duces quoque militum animos ad eam excitare debeant, semper tamen, ex Pauli Æmilij consilio, penes belli ducem consistere debet, locum tempus & formam pugnæ designare; quæ ducis munia si milites sibi sumant, officij rationem excedunt, siquidem verus militiæ ordo invertitur & confusiones introducuntur, quas ordinarij sequuntur effectus, cujusmodi Ungaria sæpius maximo suo malo experta est. Clades ad Nicopolim Ungarorum & Gallorum contentione contigit. Hi enim ne gloria priva-

rentur, quod primi hostem aggressi essent, ante tempus impetum in Turcas fecerunt. Illius ad Varnam caussa exstitit nimia quarundam legionum temeritas, quæ hostem in planitie circumcursitantem conspexerant: cumque aggressi, contra ordinem præscriptum insectando, in loca incommoda fuerunt delati, quæ caussa ruinæ totius exercitus fuit. Ad Mohaz Ungari differre potius, quod commode poterant, quam inire prælium debuerant, donec adventu auxiliorum exercitus ipsorum confirmatus fuisset. Illi vero primas hostium turmas quæ è longinquo comparuerunt cum impetu adorti eos fugarunt, & tam diu insecuti sunt donec in insidias inciderunt. Etsi clades ad Agriam nostro exercitui, non propterea quod paludes milites superarint, sed ob alias quasdam confusiones quibus ordines fuerunt turbati, illata fuerit: negari tamen non potest, summo cum periculo pugnæ initium fuisse factum; siquidem hostis dum nostri alibi paludes superant, in alio loco, ubi minime cogitarant, adoriri pro libitu aciem Christianam potuisset. Nisi ruinæ caussas prædandi desiderio potius quam pugnandi studio adtribuere velimus; siquidem avaritiâ equites seducti in funes & tentoria hostium fuerunt delati, ubi miserè perierunt. Paulus Æmilius non solum nimiam militum in pugnis sed in verbis quoque temeritatem castigabat: cum non datum sit cuilibet duci constantiam & lenitatem Fabij Maximi imitari, qua erga Minutium usus est.

*Tertius error.*

*Tit. Liv. lib. 5.*

TErtius error deprædationibus committitur. In militia Romana cautum erat, ne miles prædas ageret priusquam certum à ducibus signum ederetur. Nec difficile erat sub ordinibus copias continere. Cæsar in clade Pompeij Pharsalicâ subito restituit ordines, ut profligaret Pompeianos quosdam qui collem proximum occuparant. Utilissima hæc

*Bel. civil. lib. 3.*

&ne-

& necessaria est disciplina omnibus qui lucratam victoriam in dubium revocari nolunt; ut sæpius evenit. Siquidem milites spolijs atque exuvijs colligendis adeo disperguntur, ut in aciem reduci nequeant. Quodcunque sane periculum immineat, sæpius eo stratagemate milites fuerunt decepti, quibus hostes simulata fuga spem prædæ opimæ injecerunt, castra omni genere spoliorum referta eis diripienda concessserunt, inter fugiendum res pretiosas projecerunt, vel carros atque vehicula subducere, ne hosti in manus venirent, simularunt, ut eorum aciem hac ratione dirimerent. Cujusmodi stratagemata Frontinus plura recenset. Multi duces ut errorem hunc evitarent, commoditates ejusmodi suis prætipuerunt: plurimi propugnacula magni momenti, jam victa fere, capere noluerunt; quod hostibus præsidium licet exiguum adventare scirent, verentes ne dum milites in colligenda præda occupati essent, hostes eos adorirentur imparatos.

*Tit. Liv. l. 2. 6. 7.*

*lib. 1. c. 26*

*lib. 2. c. 5.*

*Guiceiar. lib. 14.*

Turcæ ejus rei observantissimi. Nec urbes nec castra diripere solent, nisi omni suspicione imminentis periculi vacui sint & liberi, ne amittant certam victoriam spe prædæ exiguæ, quæ, ut dicebat Ambiorix, victoribus tandem serò licet cedit. Ad Varnam Turca per triduum à direptionibus castrorum abstinuit. Post pugnam ad Agriam commissam, sequenti die integro omnia impedimenta salva visa sunt & intacta. Sanè qui hac ratione in bello procedunt, non timide sed prudentissime agunt. Secus quam fecerunt quidam è nostris centurionibus, à quibus vix hostis discesserat, non vi in fugam conjectus, sed sponte se subducens. Nam etsi hostis non ut nostros deciperet sed præ timore aufugit, illi tamen suos ipsimet ordines turbarunt, & hosti caussam præbuerunt insidias struendi & in aciem redeundi. Antiqua hujus rei exempla minus nota sunt, sed nostra recen-

*Cæs. bel. Gal. l. 5.*

1552. recentiora omnibus patere debent. In Ungariâ Aladana, & paulo post Deutelius, maximâ suorum strage, insignes amiserunt victorias jam partas, quod nimis avide prædæ inhiarent milites. Ob eandem caussam Clissa propugnaculum fortissimum nuper amissum fuit: ex cujus conservatione fructus sperabamus amplissimos.

1596.

Guicciar. lib. 10. Non igitur milites in loca ducendi sunt ubi se subducere possunt. Quod si aliquando evitari nequeat, Foxij istius Gallici ducis regula tenenda; quam observavit cum ex arce Brescianâ urbi jam captæ ab hostibus præsidio accelleraret, imperans ut proximi quique omnes eos trucidarent, qui in ædes civium, priusquam hostis penitus devictus atque fugatus esset, sese ingererent. Quin & Turcarum more officiarij quidam post acies substituendi; qui sine discrimine primos occidant, qui ordines egrediuntur vel deserunt. De quâ re inferius, ubi de ordinatione acici dicendum.

*Quartus error.*

QUartus error hostem insequendo committitur. Constat equidèm non eandem esse pugnandi rationem, sed eam mutari pro varietate nationum: quarum aliæ stataris aliæ velitaribus pugnis magis sunt assuetæ.

Stataria pugna omnium securissima & optima est: sæpius tamen superata ab his qui velitaribus uruntur; non aliam ob caussam, quam quod crebriori impetu hostium sæpius iterato soliditas & robur copiarum infirmatur & instabilis redditur. Milites verò ad stataria pugnam armati, ob gravitatem armorum minus apti sunt ad velitationes; in quibus diu subsistere nequeunt, sed cedere tandem coguntur. Omnibus hoc solet initiò contingere donec assuescant. Cæsaris legiones in Hispaniâ atque Africâ idem sunt expertæ; sæpius ordinibus hostium instabilitate perruptis; unde Cæsar, tanquam tyrones & novitios in hoc certaminis genere milites, pu-

*bel civil. lib. 1. & 5.*

res, pugilum more exercere & instituere coactus fuit. Non meliori conditione usi sunt veteres Italorum cohortes Turcis ad Hydruntem oppositæ. Siquidem statariis pugnis ipsis nocere nequiverunt, nec contra velitationes resistere, nec prohibere excursiones potuerunt, quin ad præcavenda majora damna & pericula copiæ quædam ex ipsâ Hungariâ evocatæ fuerunt, quæ leviter armatæ hostium pugnandi rationem jam didicerant. 1480. *Bonf. l. 36.*

Sanè leviter armati, si à tergo eos qui gravi armaturâ sunt induti aggredi possunt, circumvolutionibus eos fatigant, ordines turbant, & facile vincunt. Levis enim armaturæ propria est agilitas & crebra agitatio atque mobilitas. Nunc fugit, nunc redit in aciem, nunc hostem à tergo vel quocunque lubet aggreditur; quod ubi in statariâ pugnâ usu venit, jam rupta censetur.

Hanc prærogativam Turcæ optime didicerunt, eâque uti melius, quam nostri suos servare ordines, norunt; sæpius enim fugiendo quam pugnando victores exstiterunt. Neque casu vel fortuito, sed studio & ex legibus suæ militiæ hac ratione in pugnam descendunt, siquidem impetu contra nostram aciem nihil efficere possunt. Michaëlem Palæologum velitationibus diu detinuit & defatigavit; tandem fugam simulans in insidias eum deduxit & insigni clade affecit. Andronicum per integrum diem nunc fugiendo nunc iterum propellendo distinuit; defatigatum omnibus copijs aggressus eum profligavit. Ad Varnam, Corvini, diuturnis velitationibus, insignis illa strages secuta est. Ludovicus defatigatus, (quod per integrum diem equo vectus esset) victus fuit ab hoste; quem fugere credebat, cum sine ordine victoriam incertam prosequeretur. Nuperrime ad Agriam cum hostis tergum vertisset, nimis audacter eum nostri insecuti sunt, unde victoria splendidissima illis è manibus elapsa est. Non semper hostis fugit cum tergum vertit. Qua de re inferius de ordinatione plura dicentur. *Nic. l. 5. lib. 9.*


image
not
available

exiguam quietem tanta expeditione acquisiviſſemus. Nunquam forte continget, ut Chriſtianiſmus ejusmodi claſſem contra Turcam, niſi extrema coacta neceſſitate, inſtruat. Quod ſi nunc pacem ineamus curſum victoriæ ſane deſerimus. Quam adhuc à noſtris partibus ſtare jure affirmo, non obſtante Agrienſi clade: ſiquidem hoſtis non modo in aliis prælis, ſed hoc ipſo anno longe majorem militum numerum quam noſter exercitus amiſit: tum quod ipſius potentia adeo attenuata, ut amplius fere reſiſtere nequeat niſi tempus ei concedatur vires reſtaurandi.

Faxit Deus, ut exoptatam hanc commoditatem tyranni hujus opprimendi recte perpendamus, nec rurſus eam in vanum elabi patiamur; & certò cum Matthiâ rege nobis perſuadeamus, Turcicam pacem ad gravius bellum præparationem fore. *Pax eſt*, dicit Polybius, *res dulciſſima, & bellum omni ratione vitandum, ſed extrema quævis non ſunt tentanda, ut ad pacem perveniamus*, ſiquidem Reip. æquitas incolumitas & libertas cuivis paci præferuntur. Nec Pindari ſententiam probo, qui cives ſuos hortabatur, ut tentarent omnia quo pacem & tranquillitatem recuperarent. *Pax ſane*, idem ſubijcit, *res eſt pulcherrima, ſi juſta ſit & honeſta*; quo nihil quicquam pretioſius inveniri poteſt. Denique nihil quicquam vel injuſte vel turpiter committendum, ut pace fruamur. *l. 5. Hiſt.*

## V.

### *Bellum etiam tempore hyberno gerendum.*

Si bellum commodiſſime pluribus annis continuari poteſt, ut ſupra probavi, ſequetur ex iisdem rationibus etiam hyberno tempore cum utilitate & fructu illud geri poſſe. Idem Appius Romanis ſuaſit cum Veios obſideretiquod hyeme interveniente, labores & ſumptus jam impenſi inutiliter cedant, & nunquam expeditioni finis imponatur, ſed bellum continuando ho- *T. Liv. l. 5.*

sti occasionem præripi, spiritus & animum resumendi atque vires restaurandi, eumque defatigari.

Quod ita se habere in bello Turcico experimur. Ad quod tardè noster exercitus sese parat, potiorem anni partem in apparatibus faciendis consumit; vix duo vel tres menses militando transiguntur, interim stipendia pro quinque mensibus persolvuntur. Pleraque igitur pecunia in profectionibus & apparatibus impenditur. Secus fieret, si per integrum annum bellum duraret, & stipendia pro duodecim mensibus solverentur, etsi novem solummodo miles in castris versaretur. Ea sæpius aëris est temperies, ut miles in campis per totum fere hyemen morari possit. Glacies nonnunquam expeditiones faciliores reddunt. Sereno cœlo educi possunt milites, qui aëri Vngarico magis sunt assueti. Si stipendia longius durent, milites dilationem solutionis atque diminutionem minus graviter ferent: siquidem nullum fere commodum ex stipendiis percipere possunt, quod militia citò dissolvatur. Sed gravia incommoda in itineribus, & multum detrimenti in solutione stipendiorum patiuntur; quorum loco & arma & aliæ merces eis dantur, unde maximum lucrum ad duces redit, qui ob id singulis annis novam militiam instruunt. Adde quod in Vngariâ semel tantum exercitus lustratur; è quo primo statim mense quarta fere militum pars fugâ dilabitur vel morbis perit; quorum stipendia duces sibi reservant cum provinciarum maximo damno, quod exiguo cum fructu bellum geri possit propter militum paucitatem. Diligenter hæc considerari & sævere reformari debent. Huc accedit, quod singulis annis miles per easdem provincias bis proficisci soleat, unde plurimum damni miseris rusticis infertur, & onera illa graviora sint quam ipsa tributa quæ pendent.

Non solùm autem nostris proderit bellum hyberno tempore continuare propter causas modo dictas, sed inprimis hostibus

stibus illud impedimento erit; siquidem Turcæ (ut Rex Matthias dicere solitus erat) aquâ & pauciſſimo cibo contenti, hyemis injurias & vim frigoris non æque perferre poſſunt, ut Hungari qui vino & victu lautiori recreantur. Tum quod milites Aſiatici temperationi aëri ſunt aſſueti. Vſus camelorum qui impedimenta geſtant in hyeme vanus eſt & inutiiis, quod ſuper glaciem incedere nequeant. Incommoditates augent viæ lutoſæ & herbarum inopia unde tot equi & reliqua animalia ſuſtententur, in æſtate ex campis nutriri poſſunt. Vnde fit, ut rarò copiasantequam herbæ excreverunt, educat hoſtis, hyeme nunquã quicquam tentavit præter excurſiones, quibus ſingulis diebus in alia loca perrumpere poteſt, ut habeant milites unde vivant. Cum igitur præter ordinaria præſidia nullus hoſtium exercitus in Vngaria hyberno tempore ſubſiſtat, non opus erit univerſas noſtras copias, ſed earum partem præcipuam, peditatum ſcilicet omnem, novâ militum luſtratione habita, ibidem retinere. Reliquis qui dimittuntur tempus certum, quo denuo in caſtris comparere debeant, aſſignetur. Cum propter tempeſtates educi milites nequeunt, in hyberna debent collocari in vicina oppida, unde facilè coire & congregari poſſint. Bonif. l. 3.

Nec Germanis atque Vngaris difficiliuserit in Vngaria hybernare quàm Romanis in Italia. Vtraque enim provincia aëris temperie, incolarum habitu, qui altera dicitur natura, & corporis complexioni reſpondet. Nam Germani poros & meatus magis conſtipatos habenti, ut frigus tam facile ad partes corporis interiores penetrare, vel calor naturalis exhalare nequeat. Vnde propter ſanguinis abundantiam corpulenti evadunt, nec vulneribus terrentur. Nec in Germanis quicquam deſidero præter bellica exercitia, quæ uſu & experientiâ addiſcuntur. Prima Vladislai expeditio in hyemem uſque duravit. Fremebant milites & indignabantur, quod non eſſent aſſueti contra 1443.

vim frigoris & glaciei & hostem simul sese defendere. Rex ta-
1444. men difficultates nihil moratus copias non reduxisset, nisi pe-
nuriâ commeatus exercitus laborasset. In secundâ expeditio-
ne non hyemis sævitia sed annonæ inopia pugnæ caussa exsti-
1475. tit. Matthias in hyeme Zenderoviam obsessam reliquit, in ca-
stra cum majori exercitu redituruş, si Danubius glacie conge-
latus oppugnandi occasionem præbuisset. Idem in Moravia e-
quitum conductitiorum ordinem instituit, qui in hyeme excu-
Bonf. l. 4. babant in castris, unde in æstate strenuissime sese contra hostem
gerebant. Exercituni dubio procul fortiores producit mili-
tes quàm ipsa natura; qui & calorem excessivum, & frigus a-
sperrimum, & omnem militarem austeritatem perferre pos-
sunt.

## VI.

### *Quomodo nos gerere debeamus in cladibus.*

Quod ad cladem attinet duo consideranda veniunt. Quomo-
do scilicet nostros in ordinem reducere, vel post cladem ac-
ceptam nos gerere debeamus. Prius ad caput de aciebus or-
dinandis reijciam. De posteriori hic dicendum.

Profligato & cæso exercitu duo obvenire solent. Vel enim
omnes milites in fugam se conijciunt, idque tam præcipitanter,
ut duces malum prævidere & remedium afferre nequeant; vel
solum pars eorum fugit eorumque fugam pars altera excipit,
unde duces commoditatem nacti rebus suis prospicere & con-
sulere possunt. De hoc itidem susius in capite de ordinandis
aciebus dicendum. Quod si eodem momento universus exer-
citus fugam arripit: neque consilium, neque artes, neque vires
usquam reperiuntur, quæ fugientes retrahere vel remorari pos-
*De arte mil. lib. 4.* sint, ut dicit Secretarius. Sic Cn. Fulvius in Senatu se excusat,
*Tit. Liv. lib. 16.* quod non suâ culpâ exercitus ex acie fugiens fuerit profligatus;
se enim recte officio suo functum probè omnia prævidisse &

ordi

ordinasse; nec suorum animos nec hostium in potestate habuisse, sed vi aperta armis & acie victum, eumque fugerent omnes se quoque turbâ ablatum fuisse, ut Varro Cannensi pugnâ, ut multi alij imperatores; se solum restantem in acie nihil prodesse Reipublicæ potuisse. Nec fortitudo sed temeritas dicenda, si negligantur & spernantur ea quæ jure timeri debent. Vituperio quam laude dignior est Vladislaus, qui ad Varnam occubuit. Nihil emolumenti sed maxima ruina in Hungariam ex morte Ludovici redundavit. Quod si suâ culpâ victoriam amissam & cladem exercitui illatam dux belli cognoscit, non animum tamen despondere, sed caute extra periculum se subducere, & ut suos in tutum collocet omnes inire rationes; se denique meliori reipublicæ fortunæ præservare debet, Varronis exemplo, qui fugâ ex Cannensi clade elapsus à Senatu fuit laudatus, eique gratiæ fuerunt actæ, quod de reipublicæ statu non desperasset ut collega ejus.

Sed ut habeant duces unde in tantis infortunijs sese consolentur, legant errores non ab uno duce, sed ab ipso Senatu Romano, capta à Gallis urbe, admissos de quibus Livius in hæc verba prorumpit. *Tanta*, inquit, *fortunæ in obcæcandis animis hominum est potentia, cum sibi non patitur resisti.* Vnde Secretarius subijcit; *Neminem frustra desperare debere, cum nesciamus qua via nos operiatur fortuna, quæ plerumque per vias inflexas & incognitas incedit: semper meliora speranda in bello inprimis, ubi vis atque potestas ejus maxime adparet, siquidem multi exercitus una sola voce, vel falsa quadam specie, in fugam fuerunt conjecti: multi cum victi essent denuo victores exstiterunt.* lib. 5. lib. 25. 29.

Turpissimum igitur duci post res male gestas, quod superest per desperationem negligere. Cum milites in latam fugam versi sunt, opera danda, ut eos in tutum extra periculum collocet, eos certiores reddat, quò fugam capessere, & quibus vijs incedo-

cedere debeant. Vt hostis, si copias suas dividere cogatur, ab insequendo cesse. Quod si ante fugam significare non licuit, in ipsa fuga id faciendum, missis nuntijs ad transitus præcipuos ubi necessariò transeundum est copiis fugientibus. Tutissime in castra fuga instituitur; quæ in eum eventum ante pugnam muniri & præsidio firmari solent. Reditus enim in castra fugæ speciem non habet, nec victos nos esse arguit. Possunt etiam omnes illi modi & stratagemata adhiberi, quæ Vegetius docet, ut victoriam à nostris partibus stetisse hostibus persuadeamus. Inprimis vero in ijs pugnis, ubi par est occisorum numerus & conditio, sæpius victi fuerunt habiti qui primi castra deseruerunt; in quibus si diutius immorati fuissent, hostes in eam, qua ipsi premebantur, necessitatem conjeciissent.

*Tit. Liv. lib. 2.*
*Veget. l. 3. cap. 25.*
*Liv. l. 4. 7. 10.*

*Appia. l. 2.* Pompeius & Scipio non injuriâ reprehenduntur, quod cum eorum milites in castra recurrerent ipsi procul a fugerunt; cum denuò Martis aleam tentare quivissent. Ad Varnam Amurathes adeo cruento prælio fuit attonitus, ut tanquam victus retrocedere cogitârit, nisi ei nuntiatum fuisset castra Christianorum deserta & derelicta esse. Anceps victoria ad Agriam fuisset, si Princeps in castra reversus ibi substitisset: Sed cum ibidem paucos quosdam milites, eosque inermes offendisset, reliqui magis remotiora loca petierent, ipse quoque Cassoviam abiit, ut copias ibi colligeret. Quo etiam Dieffenbachii & Transylvani exercitus per viam quæ Tokaium ducit convenire debebant, ne tota regio hostium excursionibus exposita esset. Sane qua occasione tanta inter nostros fuga excitata fuerit, nondum in hunc usque diem certò intelligere vel percipere potui. Nec causa tanti terroris & metus reddi potest sufficiens: nisi in simili casu quondam ab Hungaris ignominiosa sumpta resolutio; qui cum ex varijs & diversis partibus contra se à Turcis impressiones & excursiones fieri viderent, eo solo ita statim con-

consternati fuere, & vilescere eorum cæpit animus, (quod dignum observatione Bonfinius notat) ut statuerint se cum Turcâ bellum amplius nisi defensivum gerere nolle; obliti omnino per hanc minimam cladem tantarum & tam illustrium victoriarum, quas olim contra Turcas Rex ipsorum Matthias Corvinus obtinuerat. Quapropter si rationes evidentiores excutere volumus, eos reperiemus omnes in contrario. Nam Turca nunquam commodius vinci potuit, quàm hoc ipso bello; amissa insigni provinciæ parte, & militibus innumeris hoc quadriennio occisis. Quod attinet ad Agriæ occupationem, quæ multis defectibus quoad situm & munitiones laboravit: tum ad pugnam, in quâ nostri propter confusiones non vi atque robore hostili fugati fuerunt, intelligimus exiguum inde honorem ad Turcam rediisse, quod ipsemet cum omnibus suis viribus & potentiâ nostros oppugnavit, & milites multò plures ex ipsius quam ex nostro exercitu fuerunt desiderati. lib. 31.

Propter hos successus tam prosperos Hungaria animum despondere, & pacis rationes inire non debet. Quam Matthias toties ei denegavit, dicens Hungariæ regem jure pacem cum Ethnicis sancire non posse. Cognovit tandem Hungaria gravem errorem sub initio regni Uladislai commissum, pace cum Turcis initâ & jurejurando confirmatâ. Siquidem ab eo tempore & honor & authoritas & imperium inclinare cæpit: cum ea perpetrasset, quæ ipsorum regum sententia atque decreto prohibita erant. Nec jugum excutere poterit, quin omnem pacis tractationem & commercium cum Turcis intermittat. Quod si Matthias præter Turcam nullum alium habuisset inimicum, propriis armis & potentiâ eum ex Thracia expulisset: tot enim habebat virium, & magnanimitate Christiana præditus erat; nec latebat ipsum hostium potentia, quam bello continuo solùm vinci & infringi posse sciebat. Quo in- Bonf. l. 32. 1444.

termisso, tempus & occasio conceditur vires reparandi. Vt Herculi contigit quoties Anteum tangere terram permisit: quæ fabula poëtica commodissime ad nostrum propositum allegari & revocari potest.

## VII.

### *Quomodo Bello capta retineri & defendi debeant.*

DIxi de pugnis & prælijs; tum quomodo amissa recuperanda sint. Supereſt, ut videamus quomodo eadem retinenda.

Qui bello gerendo consultant hoc inprimis spectant, quâ ratione provincias acquirere & acquisitas retinere queant, ne detrimentum accipiant, sed ditiores & potentiores evadant. Hoc consilium Romani secuti sunt in colonijs emittendis, & præda colligenda. Cum enim bellum in locis dissitis & remotis gerendum erat, ærarium unde militibus stipendia solvebantur, subitò fuisset exhaustum nisi prædæ pars maxima militibus erepta & in fiscum relata fuisset. Propter stipendia vero, quæ tunc militibus fuerunt decreta, contenti illi fuerunt recognitione quadam pro libitu imperatorum distributâ; qui benemeritis etiam præmia dabant ex reliqua prædâ, quæ mercatoribus qui castra sequebantur vendebatur; quod supererat in ærarium publicum referebatur, eâ ambitione, ut certarint invicem, quis vi pecuniæ insigniori & majori ærarium locupletius reddidisset. Coloniarum usu provincias suas ditiores & securiores reddebant. Victis enim hostibus partem territorij pœnæ loco auferebant, idque distribuebant inter eas familias, quæ Roma eò migrarant, tanto numero ut hostium excursionibus resistere possent. Extra Italiam integræ legiones ductæ fuerunt. Hac ratione Vrbs superfluâ civium parte fuit liberata, & Romanis hostium reditus cesserunt; tum etiam limites

sine

sine sumptu ab hostium incursionibus & deprædationibus defendebantur, donec justus belli adparatus fieret.

Vtrumque Turcæ imitati sunt, ut superius dixi. Cur idem apud nos fieri nequiret? Præda jure ad Principem pertinet; milites suo contenti esse debent stipendio. Quod si ex prædâ insuper decimæ eis concedantur, nullo modo conqueri possunt. Coloniæ non modò propter fructum qui inde redit, sed propter ipsam necessitatem in usum revocari deberent, si divina favente clementia regnum Hungariæ Turcis denuò eriperetur, & libertati suæ restitueretur. Expulsis enim hostibus ditio incolis vacua foret; unde intermissâ agriculturâ salva subsistere nequiret, nec exteri milites ibi sustentari possent: plus igitur damni quam commodi ad recuperatorem, qui maximis sumptibus eam acquisivit, redundaret. Coloniæ igitur in loca quædam regni præcipua deducendæ essent. Quod si Ungari satis agri ad excolendum habentes, non cuperent aut non possent relinquere patriam aliò se recipiendi caussa, nec dum nimis amplis & arduis occupati essent expeditionibus tota regio inculta & desolata remaneret, Germania populosissima colonos suppeditare deberet, qui loca quædam majoris momenti occuparent, extendens se ita coloniarum missione in partes exteras. Id quod maximo suo cum honore faceret: siquidem earum gentium vices obiret, quæ magna sua cum laude colonias quondam in Germaniam duxerunt. Qua in re nulla alia provincia Germaniæ præferri potest ob incolarum multitudinem & artificum copiam. Cum vero ij qui agros colunt ut suis atque aliis victum suppeditent, militiæ vacare nequeant: artifices ad eam assuefaciendi, tum etiam præsidiarij nonnulli conducendi sunt, qui confinia tueantur. Et quo promptius habitatores confluant, urbes vel provinciæ quæ eos mit-

tunt, pecuniæ frumenti pecudum & aliarum rerum necessariarum eis subsidium & auxilium præstabunt; debiti partem singuli quotannis restituent, donec totum mutuum persolvatur. Vel alia ineatur ratio, ut quadragesima vel quinquagesima familia è rusticis & artificibus ex unaquaque civitate vel provincia describatur; reliqui qui domi permanent mutuo vel dono quodam eos juvent. Novi porro coloni decimas redituum ad præsidiariorum & militum sustentationem persolvant.

Quod si hac ratione bellum offensivum per annos quatuor cum centies millitum militibus geratur, & nullæ pugnandi occasiones omittantur, omnisque mora & armorum intermissio caveatur & præcidatur, dubio procul hostibus superiores existemus; nec singulis annis novæ præparationes ad oppugnationes fieri debebunt; & acquisita optime retinere ac tueri, confinia denique coloniatum præsidio multa cum laude & utilitate defendi poterunt.

---

# PARS TERTIA.

*QVa ratione commodissime bellum contra Turcas in Vngaria cum quinquaginta millibus militum geri, & earum potentia infringi atque everti possit, libris superioribus à nobis demonstratum fuit. Superest ut videamus, quo ordine & qua ratione pugna cum hoste sint ineunda. De quibus diligentissima & exactissima, antequam committatur, deliberatio & consultatio instituenda & habenda est. Relictis igitur præceptis generalibus, de utilitate necessitate atque varietate præliorum, materiam totam in quatuor capita præcipua distribuam: In quibus* de *quantitate & qualitate armatorum:* de *quantitate & qualitate acierum & turmarum:* de *copiarum distributione ratione situs:* & tandem, *quomodo in acie contra hostem procedendum sit, dicam.*

De

## CAPVT I.

# De quantitate & qualitate armatorum.

Constat militum numerus, quem ad hoc bellum requirimus, quinquaginta scilicet hominum millibus. Videndum quibus armis instructi esse debeant. Etsi vero (ut Aristoteles dicit) quondam acierum robur & vis in equitatu posita fuerit, quod peditum usus nondum esset cognitus, qui nisi severâ disciplinâ in officio contineantur, parum commodi ad bellum adferunt: nihilominus tamen in Græciâ sub Philippo & Alexandro phalanx Macedonica, & in Italia legiones militiam pedestrem tam celebrem reddiderunt, ut plus ponderis sæpius quam equestris habuerit. Legio Romana sex millibus peditum, solis trecentis equitibus constabat. Eundem morem Carthaginenses observarunt; unde graviora damna Romanis, quam quævis alia natio populosissima, intulerunt. Ante nostram ætatem disciplina militaris propter crebras Barbarorum excursiones in Italiam graviter fuit labefactata, quod majori ex parte equitatu constaret, cujus usus contra hostem minus commodus existebat. Nec error fuit agnitus, donec Helvetiorum quædam turmæ, nostros, magno suo cum damno, prudentiores reddiderunt. Experti namque sunt peditum aciem recte ordinatam, ab equitatu difficillime superari posse; quin contrarium sæpius evenire, ut ad Carminolam contigit, cum victi jam equites ab Helvetiorum turmâ, in terram descendere ordinibus recte dispositis & inire pedestre prælium coacti, superiores tandem hoste exstiterunt. Peditatus igitur non potest superari, nisi ab alio peditatu melius instructo & ordinato. Romani equites extremo urgente periculo sæpius ab equis descenderunt, & victorias illustres pedestri certamine

*Polib. lib. 18.*

*T. Liv. lib. 44.*

*Guicciard. lib. 5.*

*Sleid. lib. 2. ad.*

tamine contra equites & pedites consecuti sunt. Cumque in prælio quodam equites soli audacissime & pertinacissime invicem pugnarent, Romani equis relictis hostem pedestrem pugnam capessere coëgerunt, potiores peditum quam equitum partes esse innuentes. Idem Cæsar alio quodam exemplo confirmat. Hujus rei hæc videtur causa reddi posse, quod qui pedes pugnat, firmius subsistere, vel hosti instare, vel cedere pro libitu possit: secus verò qui eques certat, calcaribus & freno efficere, nec suo modo equum, qui modo parum modo nimium velociter vel tarde incedit, regere queat. Huc accedit, quod equi nonnunquam sint refractarij vel calcetrosi. Tum ut strenuus interdum eques equum habeat strigosum & male habitum, contra timidiores milites nanciscantur equos generosos, quorum utrorumque opera vana existit. Denique facilius pedes equum vel equitem ferire potest, quàm ut ab equite vulneretur, quod hic pro libitu ictum tendere & stringere nequeat. Quoties equitatus ultrò levissimas ob causas in fugam se conjecit? In pugnâ contra Pyrrhum & Hannibalem equos elephantorum odor fugavit. Idem Crœsus camelorum operâ, & Hetrusci cum carris strepitum excitantibus effecerunt. Selimus tormentorum manuariorum sonitu Persas & Soldanum in fugam conjecit. Sed notandum: quemlibet peditatum cuivis equitatui non rectè opponi, sed aptissimum eum existere, qui gravi armaturâ munitus sit, ut in loco aperto primum equitum impetum sustinere possit; ubi equites solum peditatum superant, leviter armati, ut sunt tormentarij, cùm armis destituantur quibus ingruentes equites repellant, etsi quosdam interficiant tamen semper in pugna stataria inferiores existent, nisi lancearij ipsis adjungantur.

*Bel. civ. l. 6.*

*T. Liv. li. 10. 12.*

*Secret. de artemilit. l. 4.*

Etsi igitur communi omnium judicio, tum experientia & rationibus validis edocti, peditatus primas in bello partes obti-

neat,

neat, tamen in hac mea dispositione viginti quinque peditum millia solummodò retineo: tum quod illi tardius in expeditionibus incedant, nec provinciæ ab hostium incursionibus, qui equites plerique pugnant, defendi possint; tum etiam quod Germani equites, qui ferreis thoracibus induuntur, atque ordines in acie strictè observant, & ab hostibus vehementer formidantur, non minori loco quàm pedites habendi sint, inprimis vero Turcarum equitibus oppositi, qui levi armaturâ utuntur. Quod si igitur acie in loco aperto, cum hoste (qui angustias propter multitudinem equitum fugiet) decertandum foret, hunc in modum quinquaginta illa militum millia armis instruenda esse concludo. Primum decem millia lanceariorum peditum; tum septem mille & quingentos moscetarios; totidemque tormentarios requiro. Quibus addo septem millia equitum Germanorum; duodecim millia lanceariorum, & sex millia tormentariorum equitum.

## CAPVT II.

## De quantitate & qualitate agminum & turmarum.

*Hoc caput quasdam continet difficultates, quæ necessario explicandæ sunt.* Primum *igitur, num magis conducat omnes copias in acie conjunctim explicare, vel plura agmina separatim educere.* Deinde *num ea acici constitutio magis probanda sit, in qua uno agmine & eadem serie milites in ordine collocantur, vel ubi plures turmæ separatæ, & distantes invicem ponuntur.* Tertio *num uno eodemque genere armorum in unaquaque phalange utendum, an vero arma invicem permiscenda sint.* Tandem, *quam magna acies esse debeat dicendum.*

### Plures acies ex diversis agminibus constituendas.

Nonnulli putant hostem uno agmine, in quo omnes militiæ vires sint conjunctæ, excipiendum esse; tum ut majori fortitu-

titudine ei resistatur; tum ne copijs divisis debiliores singulæ exercitus partes reddantur, unde facilius vinci possint; tum ut commodius laborantibus vel fugatis cum integris copijs auxilio veniatur: quod post cladem milites ea animi fortitudine & virtute quam ante amissos socios, nunquam in acie persistant, tum quod sæpius milites tanto furore adversarios adgrediantur, ut eorum quoque ordines rumpant, qui succurrere & auxilio venire prioribus jam victis designati erant. Non igitur plures acies ordinandas, sed in unum agmen omnem vim militarem conterendam existimant, quo cum omnibus viribus belli alea & fortuna tentetur, nec cum parte quadam exercitus totus in discrimen adducatur. Hac ratione phalangem Macedonicam constitutam dicunt, quâ Philippus & Alexander tot victorias
lib. 9. illustrissimas acquisiverunt. Sed phalangi Livius legionem Romanam longe proponit. Vtraque firmiter ordines seruabat; phalanx tamen (in qua lanceati pugnabant) immobilis erat, & uno eodemque armorum & hominum genere constabat. Legio Romana magis erat distincta & ex pluribus partibus erat composita, facilius dividebatur, & commodius primum in lo-
lib. 1. cum redibat, & in unũ corpus coibat. Alibi dicit, Romanos conformem Macedonicæ phalangi quondam aciem habuisse, eam tamen postea immutatam & emendatam fuisse.

Probatur igitur aciei in plura agmina & distincta armorum genera distributio, à Romanis quondam obseruata: licet ea nostræ militiæ disciplina sit, ut cohors fugiens ab altera, quæ laborantibus auxilio venire cogitat, commode excipi & à fugâ retrahi nequeat, siquidem mercenarijs plerumque & novitijs atque tyronibus exercitus constent, qui ordines dextre observare ignorant. Sed quò confusiones & turbæ evitentur, à latere auxilium est ferendum. Vnde fieri nequit, ut eadem fronte acies instituatur sed in multa agmina distribuenda est, tanto inter-

vallo

vallo invicem disposita, ut subsidiarij facilem aditum & ingressum habeant. Huc tamen accedent reliquæ conditiones magis necessariæ, quæ in conjungendis disjungendis ac transportandis hinc inde citra confusionem militibus prælio ipso, durante, necessariò observanda sunt. Quâ re plus quam quavis aliâ Cæsar adjutus multis clarissimis victoriis potitus est. Sæpius enim contigit, ut copiæ in uno agmine sint superfluæ, quæ in alio desiderantur. Nec ea ratione moveor, quod virtus unita & conjuncta solidior & præstantior existere soleat. Hoc enim axioma Physicorum in rebus naturalibus propter communicationem partium cum toto verum esse agnosco, sed in actionibus voluntarijs minus necessarium illud comperio. Quid in acie, ubi centum classes sunt, ij milites, qui in ultima serie consistunt, magis ad primas juvandas conferre possunt, quam qui in medio vel in vigesima serie pugnant? Non nego tamen milites audacius in hostes ituros, si non modò pugnæ socios prope se conspiciant, sed alios quoque à tergo in sui præsidium, qui vulneratos vel defatigatos aut alia necessitate pressos è periculo liberent, & eorum vices obeant, præsto esse sciant. Facilius quoque persistent, si alios eandem conditionem & fortunam subire videant: quod firmissimum est fundamentum, quo pleræque acies & earum ordines nituntur. Non igitur ad confirmandos militum animos plures superflui militum ordines in phalange sunt constituendi: sed ij sufficiunt, qui ad auxilia sibi invicem ferenda valeant. Ob easque difficultates cohortes longiores non sunt producendæ: ubi ijs qui in prima serie pugnant difficilius succurritur, quam si in turmas acies distincta esset.

Sæpius Romani & ad Novaram Helvetij tam invicto animo in acie steterunt, ut se in frusta potius secari passi fuerint, quâm latum unguem de loco recesserint. Id apud nos quoque

contingere posset. Sed ejusmodi tamen aciem sic conglobatam non multum roboris atque virtutis habere existimarem, siquidem eâ, quæ necessario requiritur, conditione destituatur; quod scilicet milites re ita postulante separari & manipuli pro necessitate hinc inde distribui nequeant. Addo quòd in acie hac ratione ordinatâ prima ejus frons plerumque locum stationemque amittit recedendo, & constringendo maxime vero hastati (quemadmodum contigit Antiocho) adeo se involvunt & confundunt, ut neque dextre commodeque dimicare, neque ultimi accessum ad juvandos primos habere possint. Hinc aut cæsi aut â turba retroacti totum agmen perturbant, suoque loco dimovent etiam qui hactenus firmiter substituerant.

*Liu. lib. 8.* Legiones Romanæ in tres acies non admodum magnas distribuebantur: quarum unâ victâ, intervallum quoddam commoditasque secundæ relinquebatur, quâ debellatos in ordinem suum excipiebat, vel magno impetu in fractæ aciei locum succedebat & penetrabat. Hanc tertia denique & ultima sequebatur. Vnde hostes non aliter victoriam reportare & adversarios vincere poterant, quam si tertiâ vice feliciter dimicando superassent. Immo neque phalanx neque ulla alia militia sufficiens ad resistendum erat.

Varij casus & accidentia in pugnis existunt, quibus non modò viribus superiores, sed qui iam manibus victoriam tenent, superantur. Vnde temeritatis signum, uno impetu tem totam periclitari, unique conflictui totum negocium committere. Qui si ex sententiâ non succedat, nullum nisi in fugâ subsidium & spes salutis reposita est. In committendis igitur & ineundis præliis parata semper auxilia atque subsidia requiruntur, cum in nostra militia mercenaria, (ubi milites non ex professione sed necessitate coacti pugnant) ea disciplina, qua Romani quondam & hodie Turcæ præstant, recessus scilicet & accessus turmatum

rum citra periculum & confusionem, revocari in usum nequeat. In cujus locum plura agmina ordinanda sunt, exiguo intervallo invicem distincta, unde subsidium laborantes vel à fronte vel à latere prompte excipere & suppetias ferre queant.

*Longitudo & Latitudo aciei.*

QVod ad longitudinem primæ frontis aciei & latitudinem laterum attinet, quidam existimant aciem quadratam plurimum excellere, in qua scilicet totidem milites in lateribus collocentur quot in prima fronte consistunt. Alij quadraturam hanc ratione soli metiuntur & considerant, ut pediti uni scilicet spacium trium pedum attribuant, & series septem peditum intervallo invicem distent, unde spacium terræ duplex majus à latere quam à fronte cuilibet militi assignant. Hæc aciei forma ob quadraturam æquilateram elegantior, & quod majorem pugnantium numerum & copiam referat commodior priori videtur. Iuxta illam mille milites in triginta & unum seriem distribuuntur, quarum quælibet triginta & unum militem contineat. Iuxta hanc quadraginta novem milites à fronte & viginti à latere ponuntur. Hæc acierum ratio longe est, dubio procul, præstantior; non tamen adeo frequens, ut certa regula de ea tradi possit, consideratis circumstantiis, numero scilicet militum & hostium, temporis & loci, quæ omnia variantur. Secus fecit Tartalius, qui posthabitis & neglectis variis militiæ accidentibus, quæ subitò evenire possunt, contemplationibus Mathematicis solum insistit: cum potius sit, aciei magnitudinem secundum numerum militum, & diversitatem armorum, tum oppositâ hostium multitudinem, considerare & instituere.

Quoties igitur dux, cujus milites exigui quidem numero armis bene sunt instructi, cum numerosa hostium sed inermi manu congredi debet, milites in classes latiores & breviores disponat, siquidem inermes aciem armatorum,

torum, licet nonnihil remotiores invicem sint, penetrare nequeant. Et cum in acie mille virum, quadraginta novem à fronte, viginti à latere ponantur, eadem ratione tria millia disponenda erunt; quæ in classes triginta septem divisa octodecim milites quælibet continebit. Quod si viginti classes lanceatorum hostibus resistere valent, reliquæ superfluæ erunt, & in alia loca commode transferri poterunt.

Romani apprime gnari, quid armorum præstantia, quid exacta disciplina militaris ad victoriam conferat, multis constrictis agminibus (pro ratione ejus temporis) pugnabant, eorumque beneficio numerosissimos exercitus fuderunt, nec ordinem mutarunt, etsi hostis eadem quâ illi aciei dispositione contra illos procederet. Livius Romanorum & Latinorum rebellium aciem describens, tria agmina quindecim ordinum utrosque habuisse dicit. Frontinus Legiones Pompeij in Campis Pharsalicis in tres quoque acies, quarum singulæ denos ordines haberent in latitudinem, distribuit; in qua pugna non vi sed arte Pompejus à Cæsare victus fuit, lateribus aciei equitatu denudatis. Antiochus in Asia cum Romanis manus conserturus, Hannibalem, cui artes Romanæ optime cognitæ & perspectæ erant, consultorem habuit; cujus suasu sedecim hastatorum millia in unam phalangem collocata, & in triginta duos ordines distributa fuerunt. Hæc quidem coarctatio non improbanda fuit; licet illa phalanx, fugatis levioris armaturæ militibus & curribus falcatis ingruentibus, rupta fuerit (cui malo obviari quivisset sica militum copia non in uno agmine pugnasset, sed in plura distributa fuisset) improbatur tamen nimia phalangis longitudo, quod medij extrema cornua prospicere & contemplari nequiverint. Cæsar hoc errore lapsus, in maximum discrimen se incidisse ostendit; siquidem unus toti exercitui, denegata prospiciendi in omnes angulos facultate, impera-

*Lib. 8.*

*lib. 2. c. 3.*

*Liu. libr. 27.*

perare nequiverit. Accidit tamen hic error Cæsari non propter nimiam aciei longitudinem, sed quod pugnæ locus inæqualis collibus vallibusque interruptus esset. Acies igitur non est longius extendenda, quàm à duce qui medium occupat locum omnes ejus anguli & latera oculis contemplari & perlustrari possint, nisi situs loci ad pugnam destinati impedimento siet. Nec curanda hostium ingruentium multitudo, quâ nostros à latere circumdare possit; siquidem huic malo parata sunt remedia, de quibus infra latius dicendum erit.

Ad magnitudinem seu vastitatem acierum quod attinet, non Romanorum quidem ordo imitandus, sed consuetudo longissimo tempore observata à ducibus præstantissimis, qui copias per intervalla disponere soliti sunt, retinenda videtur. Igitur contra Turcarum aciem inermem & vastuosam multò longiora quam latiora agmina constituenda censemus. A fronte plures, à latere pauciores pugnent. Nec quadratura vel soli vel armatorum consideretur. In Belgio ubi exercitus rarò quindecim vel vicena millia hominum excedunt, agmina quingentis lanceatis vel equitibus constant. Totidem in Hungariâ contra Turcarum aciem sex vel octo millia personis refertam sufficient; maxime cum non Romano more una acie, sed distinctis per intervalla agminibus pugnam ineamus, quæ omnia re ita postulante in pugnam educi possunt. Verum quæ nostra sit intentio, ex ijs quæ de varietate armorum dicturi sumus, magis apparebit.

## CAPUT III.

## Armorum in acie distributio, quo ad situm.

Quæritur quæ arma in medium aciem, quæ in cornua & alas sint reijcienda. Qua in re pro loci & situs ratione & commodita-

moditate diversa stratagemata adhibentur, & pars principalis exercitus varie distribuitur. Peditatus militiæ nervus præcipuus sæpius in cornua: equitatus verò in mediam aciem ponitur. Eaque distributio, tum in fronte, tum in lateribus, variari & immutari solet.

Vna tamen penes omnes certa constat regula; gravioris armaturæ militem, in quo vis & robur præcipuum ad oppugnandum hostem consistit, in mediam aciem disponendum, quod ibidem hostibus plus quàm alibi nocere possit, quod munitus sit à latere, ubi pedites plus quàm alibi ab equitatu sibi timent. Denique quod firmius subsistere, & minus facile moveri & disturbari, fortiusque propter conjunctionem resistere valeat, si forte levioris armaturæ milites à latere ejus abscedant. Hi enim ut sese offert occasio, vel in hostem prorumpunt ultrò, vel ejus impetum sustinent, & propter agilitatem corporis volatiles dicuntur. Pro armaturæ igitur vel gravitate vel levitate & mobilitate, aciei situs considerandus, & partes graviores semper propius ad mediam aciem collocandæ: tum ita sunt copiæ & turmæ distribuendæ, ut quælibet suas vices in pugnando obeat. Pedites in mediam aciem, equites in cornua & latera ponantur. Pro situs tamen ratione, & propter machinas, sæpius pedestres quædam copiæ in lateribus distribuendæ sunt: peditatus extremæ partes muniri debent lanceariis, & qui missilia ejaculantur, sagitariis nimirum, bombardariis, atque mosquettariis.

Contra Turcas lancearij commodissime in pugnam producuntur, quod eorum latera bene munita, à fronte nihil eis periculi imminere videatur. Idem ordo in equitatu servandus. Equites Germani, & qui thoracibus ferreis induuntur, cum gravioribus armis utantur & facilius subsistere possint, proxime peditibus adjungentur. Vltra hos lancearij subsistent, prioribus

ribus leviores & mobiliores, apti tamen ad hostes aggrediendos, & eorum impetum suscipiendum. Extremum agmen pyrabolarij atque sagittarij defendent, qui neque ad propellendos adversarios, neque ad excipiendam vim hostilem, armis muniti & instructi sunt. Eorum opera in excurrendo, & hostem à latere atque eminus impediendo & profligando, consistit. Plus verò terroris quam roboris habent; ideoque Tartaris utilissime objiciuntur, & opponuntur. Hinc apparet Hungarorum qui lanceis utuntur error haud vulgaris in pugnâ ad Agriam commissus. Vbi contra omnium prudentum consilium atque judicium medium in acie locum sibi poposcerunt, & sustinere voluerunt. Quo non solùm in rationes modò adductas graviter impegerunt, sed à pristino suo valore protinus desciverunt. Carolus Quintus contra Solimannum bellum gesturus copias in Austria eadem formâ in aciem disposuit; qua contra tam potentem hostem uti decreverat; tormentis enim majoribus, tanquam firmo quodam aggere, militiam circumdedit & communivit. Verùm Hungari indignum rati ejusmodi munimenti genere se defendi, machinarum septo includi recusarunt, copiasque suas in duas alas extenderunt & explicarunt. Neque in hac nostra distributione jure conqueri possunt, quod majoribus periculis sint oppositi, quia ab utroque latere equites pyrabolarij eos defendant, licet charitas erga patriam eis præcipuum belli onus imponat: tum quod periculum hoc (cum iisdem quibus hostes armis utuntur) citra gravem Hungariæ ignominiam detrectare & subterfugere vix possint. 1538. P. Iovius lib. 30.

## CAPVT IV.

## Qunmodo amplius contra hostem procedendum.

*Hîc quid ordo probe observatus conducat & in bello valeat, ex ipso*

termisso, tempus & occasio conceditur vires reparandi. Vt Herculi contigit quoties Anteum tangere terram permisit: quæ fabula poëtica commodissime ad nostrum propositum allegari & revocari potest.

## VII.

### *Quomodo Bello capta retineri & defendi debeant.*

DIxi de pugnis & prælijs; tum quomodo amissa recuperanda sint. Supereſt, ut videamus quomodo eadem retinenda.

Qui bello gerendo consultant hoc inprimis spectant, quâ ratione provincias acquirere & acquisitas retinere queant, ne detrimentum accipiant, sed ditiores & potentiores evadant. Hoc consilium Romani secuti sunt in colonijs emittendis, & præda colligenda. Cum enim bellum in locis dissitis & remotis gerendum erat, ærarium unde militibus stipendia solvebantur, subitò fuisset exhaustum nisi prædæ pars maxima militibus erepta & in fiscum relata fuisset. Propter stipendia vero, quæ tunc militibus fuerunt decreta, contenti illi fuerunt recognitione quadam pro libitu imperatorum distributâ; qui benemeritis etiam præmia dabant ex reliqua prædâ, quæ mercatoribus qui castra sequebantur vendebatur; quod supererat in ærarium publicum referebatur, eâ ambitione, ut certarint invicem, quis vi pecuniæ insigniori & majori ærarium locupletius reddidisset. Coloniarum usu provincias suas ditiores & securiores reddebant. Victis enim hostibus partem territorij pœnæ loco auferebant, idque distribuebant inter eas familias, quæ Roma eò migrarant, tanto numero ut hostium excursionibus resistere possent. Extra Italiam integræ legiones ductæ fuerunt. Hac ratione Vrbs superfluâ civium parte fuit liberata, & Romanis hostium reditus cesserunt; tum etiam limites

sine

ſine ſumptu ab hoſtium incurſionibus & deprædationibus defendebantur, donec juſtus belli adparatus fieret.

Vtrumque Turcæ imitati ſunt, ut ſuperius dixi. Cur idem apud nos fieri nequiret? Præda jure ad Principem pertinet; milites ſuo contenti eſſe debent ſtipendio. Quod ſi ex prædâ inſuper decimæ eis concedantur, nullo modo conqueri poſſunt. Coloniæ non modò propter fructum qui inde redit, ſed propter ipſam neceſſitatem in uſum revocari deberent, ſi divina favente clementia regnum Hungariæ Turcis denuò eriperetur, & libertati ſuæ reſtitueretur. Expulſis enim hoſtibus ditio incolis vacua foret; unde intermiſsâ agriculturâ ſalva ſubſiſtere nequiret, nec exteri milites ibi ſuſtentari poſſent: plus igitur damni quam commodi ad recuperatorem, qui maximis ſumptibus eam acquiſivit, redundaret. Coloniæ igitur in loca quædam regni præcipua deducendæ eſſent. Quod ſi Ungari ſatis agri ad excolendum habentes, non cuperent aut non poſſent relinquere patriam aliò ſe recipiendi cauſſa, nec dum nimis amplis & arduis occupati eſſent expeditionibus tota regio inculta & deſolata remaneret, Germania populoſiſſima colonos ſuppeditare deberet, qui loca quædam majoris momenti occuparent, extendens ſe ita coloniarum miſſione in partes exteras. Id quod maximo ſuo cum honore faceret: ſiquidem earum gentium vices obiret, quæ magna ſua cum laude colonias quondam in Germaniam duxerunt. Qua in re nulla alia provincia Germaniæ præferri poteſt ob incolarum multitudinem & artificum copiam. Cum vero ij qui agros colunt ut ſuis atque aliis victum ſuppediſtent, militiæ vacare nequeant: artifices ad eam aſſuefaciendi, tum etiam præſidiarij nonnulli conducendi ſunt, qui confinia tueantur. Et quo promptius habitatores confluant, urbes vel provinciæ quæ eos mit-

tunt, pecuniæ frumenti pecudum & aliarum rerum neceſſariarum eis ſubſidium & auxilium præſtabunt; debiti partem ſinguli quotannis reſtituent, donec totum mutuum perſolvatur. Vel alia ineatur ratio, ut quadrageſima vel quinquageſima familia è ruſticis & artificibus ex unaquaque civitate vel provincia deſcribatur; reliqui qui domi permanent mutuo vel dono quodam eos juvent. Novi porro coloni decimas redituum ad præſidiariorum & militum ſuſtentationem perſolvant.

Quod ſi hac ratione bellum offenſivum per annos quatuor cum centies millitum militibus geratur, & nullæ pugnandi occaſiones omittantur, omniſque mora & armorum intermiſſio caveatur & præcidatur, dubio procul hoſtibus ſuperiores exiſtemus; nec ſingulis annis novæ præparationes ad oppugnationes fieri debebunt; & acquiſita optime retinere ac tueri, confinia denique coloniarum præſidio multa cum laude & utilitate defendi poterunt.

---

# PARS TERTIA.

*QVa ratione commodiſſime bellum contra Turcas in Vngaria cum quinquaginta millibus militum geri, & earum potentia infringi atque everti poſſit, libris ſuperioribus à nobis demonſtratum fuit. Supereſt ut videamus, quo ordine & qua ratione pugnæ cum hoſte ſint ineundæ. De quibus diligentiſſima & exactiſſima, antequam committatur, deliberatio & conſultatio inſtituenda & habenda eſt. Reliqua igitur præceptis generalibus, de utilitate neceſſitate atque varietate præliorum, materiam totam in quatuor capita præcipua diſtribuam: In quibus* de *quantitate & qualitate armatorum:* de *quantitate & qualitate acierum & turmarum:* de *copiarum diſtributione ratione ſitus:* & tandem, *quomodo in acie contra hoſtem procedendum ſit, dicam.*

De

## CAPVT I.

# De quantitate & qualitate armatorum.

Constat militum numerus, quem ad hoc bellum requirimus, quinquaginta scilicet hominum millibus. Videndum quibus armis instructi esse debeant. Etsi vero (ut Aristoteles dicit) quondam acierum robur & vis in equitatu posita fuerit, quod peditum usus nondum esset cognitus, qui nisi severâ disciplinâ in officio contineantur, parum commodi ad bellum adferunt: nihilominus tamen in Græciâ sub Philippo & Alexandro phalanx Macedonica, & in Italia legiones militiam pedestrem tam celebrem reddiderunt, ut plus ponderis sæpius quam equestris habuerit. Legio Romana sex millibus peditum, solis trecentis equitibus constabat. Eundem morem Carthaginenses observarunt; unde graviora damna Romanis, quam quævis alia natio populosissima, intulerunt. Ante nostram ætatem disciplina militaris propter crebras Barbarorum excursiones in Italiam graviter fuit labefactata, quod majori ex parte equitatu constaret, cujus usus contra hostem minus commodus existebat. Nec error fuit agnitus, donec Helvetiorum quædam turmæ, nostros, magno suo cum damno, prudentiores reddiderunt. Experti namque sunt peditum aciem recte ordinatam, ab equitatu difficillime superari posse; quin contrarium sæpius evenire, ut ad Carminolam contigit, cum victi jam equites ab Helvetiorum turmâ, in terram descendere ordinibus recte dispositis & inire pedestre prælium coacti, superiores tandem hoste exstiterunt. Peditatus igitur non potest superari, nisi ab alio peditatu melius instructo & ordinato. Romani equites extremo urgente periculo sæpius ab equis descenderunt, & victorias illustres pedestri certamine

*Polib. 12.*

*T. Liv. lib. 22.*

*Guicciard. lib. 5.*

*Serra lib. 2. c. 11.*

tamine contra equites & pedites consecuti sunt. Cumque in prælio quodam equites soli audacissime & pertinacissime invicem pugnarent, Romani equis relictis hostem pedestrem pugnam capessere coëgerunt, potiores peditum quam equitum partes esse innuentes. Idem Cæsar alio quodam exemplo confirmat. Hujus rei hæc videtur caussa reddi posse, quod qui pedes pugnat, firmius subsistere, vel hosti instare, vel cedere pro libitu possit: secus verò qui eques certat, calcaribus & freno efficere, nec suo modo equum, qui modo parum modo nimium velociter vel tarde incedit, regere queat. Huc accedit, quod equi nonnunquam sint refractarij vel calcetrosi. Tum ut strenuus interdum eques equum habeat strigosum & male habitum, contra timidiores milites nanciscantur equos generosos, quorum utrorumque opera vana existit. Denique facilius pedes equum vel equitem ferire potest, quàm ut ab equite vulneretur, quod hic pro libitu ictum tendere & stringere nequeat. Quoties equitatus ultrò levissimas ob caussas in fugam se conjecit? In pugnâ contra Pyrrhum & Hannibalem equos elephantorum odor fugavit. Idem Crœsus camelorum operâ, & Hetrusci cum carris strepitum excitantibus effecerunt. Selimus tormentorum manuariorum sonitu Persas & Soldanum in fugam conjecit. Sed notandum: quemlibet peditatum cuivis equitatui non rectè opponi, sed aptissimum eum existere, qui gravi armaturâ munitus sit, ut in loco aperto primum equitum impetum sustinere possit; ubi equites solum peditatum superant, leviter armati, ut sunt tormentarij, cum armis destituantur quibus ingruentes equites repellant, etsi quosdam interficiant tamen semper in pugna stataria inferiores existent, nisi lancearij ipsis adjungantur.

*Bel. civ. l. 6.*

*T. Liv. li. 10. 12. Secret. de artemilit. l. 4.*

Etsi igitur communi omnium judicio, tum experientia & rationibus validis edocti, peditatus primas in bello partes obti-

neat,

neat, tamen in hac mea dispositione viginti quinque peditum millia solummodò retineo: tum quod illi tardius in expeditionibus incedant, nec provinciæ ab hostium incursionibus, qui equites plerique pugnant, defendi possint; tum etiam quod Germani equites, qui ferreis thoracibus induuntur, atque ordines in acie strictè observant, & ab hostibus vehementer formidantur, non minori loco quàm pedites habendi sint, inprimis vero Turcarum equitibus oppositi, qui levi armaturâ utuntur. Quod si igitur acie in loco aperto, cum hoste (qui angustias propter multitudinem equitum fugiet) decertandum foret, hunc in modum quinquaginta illa militum millia armis instruenda esse concludo. Primum decem millia lanceariorum peditum; tum septem mille & quingentos moscetarios; totidemque tormentarios requiro. Quibus addo septem millia equitum Germanorum; duodecim millia lanceariorum, & sex millia tormentariorum equitum.

## CAPVT II.

## De quantitate & qualitate agminum & turmarum.

*Hoc caput quasdam continet difficultates, quæ necessario explicandæ sunt.* Primum *igitur, num magis conducat omnes copias in acie conjunctim explicare, vel plura agmina separatim educere.* Deinde *num ea aciei constitutio magis probanda sit, in qua uno agmine & eadem serie milites in ordine collocantur, vel ubi plures turmæ separatæ, & distantes invicem ponuntur.* Tertio *num uno eodemque genere armorum in unaquaque phalange utendum, an vero arma invicem permiscenda sint.* Tandem, *quam magna acies esse debeat dicendum.*

### Plures acies ex diversis agminibus constituendas.

Nonnulli putant hostem uno agmine, in quo omnes militiæ vires sint conjunctæ, excipiendum esse; tum ut majori fortitu-

vallo invicem disposita, ut subsidiarij facilem aditum & ingressum habeant. Huc tamen accedent reliquæ conditiones magis necessariæ, quæ in conjungendis disjungendis ac transportandis hinc inde citra confusionem militibus prælio ipso durante, necessariò observanda sunt. Quâ re plus quam quavis aliâ Cæsar adjutus multis clarissimis victoriis potitus est. Sæpius enim contigit, ut copiæ in uno agmine sint superfluæ, quæ in alio desiderantur. Nec ea ratione moveor, quod virtus unita & conjuncta solidior & præstantior existere soleat. Hoc enim axioma Physicorum in rebus naturalibus propter communicationem partium cum toto verum esse agnosco, sed in actionibus voluntarijs minus necessarium illud comperio. Quid in acie, ubi centum classes sunt, ij milites, qui in ultima serie consistunt, magis ad primas juvandas conferre possunt, quam qui in medio vel in vigesima serie pugnant? Non nego tamen milites audacius in hostes ituros, si non modò pugnæ socios prope se conspiciant, sed alios quoque à tergo in sui præsidium, qui vulneratos vel defatigatos aut alia necessitate pressos è periculo liberent, & eorum vices obeant, præsto esse sciant. Facilius quoque persistent, si alios eandem conditionem & fortunam subite videant: quod firmissimum est fundamentum, quo pleræque acies & earum ordines nituntur. Non igitur ad confirmandos militum animos plures superflui militum ordines in phalange sunt constituendi: sed ij sufficiunt, qui ad auxilia sibi invicem ferenda valeant. Ob easque difficultates cohortes longiores non sunt producendæ: ubi ijs qui in prima serie pugnant difficilius succurritur, quam si in turmas acies distincta esset.

Sæpius Romani & ad Novaram Helvetij tam invicto animo in acie steterunt, ut se in frusta potius secari passi fuerint, quâm latum unguem de loco recesserint. Id apud nos quoque

contingere posset. Sed ejusmodi tamen aciem sic conglobatam non multum roboris atque virtutis habere existimarem, siquidem eâ, quæ necessario requiritur, conditione destituatur; quod scilicet milites re ita postulante separari & manipuli pro necessitate hinc inde distribui nequeant. Addo quod in acie hac ratione ordinatâ prima ejus frons plerumque locum stationemque amittit recedendo, & constringendo maxime vero hastati (quemadmodum contigit Antiocho) adeo se involvunt & confundunt, ut neque dextre commodeque dimicare, neque ultimi accessum ad juvandos primos habere possint. Hinc aut cæsi aut â turba retroacti totum agmen perturbant, suoque loco dimovent etiam qui hactenus firmiter substituerant.

*Liu. lib. 8.* Legiones Romanæ in tres acies non admodum magnas distribuebantur: quarum unâ victâ, intervallum quoddam commoditasque secundæ relinquebatur, quâ debellatos in ordinem suum excipiebat, vel magno impetu in fractæ aciei locum succedebat & penetrabat. Hanc tertia denique & ultima sequebatur. Vnde hostes non aliter victoriam reportare & adversarios vincere poterant, quam si tertiâ vice feliciter dimicando superassent. Immo neque phalanx neque ulla alia militia sufficiens ad resistendum erat.

Varij casus & accidentia in pugnis existunt, quibus non modò viribus superiores, sed qui iam manibus victoriam tenent, superantur. Vnde temeritatis signum, uno impetu rem totam periclitari, unique conflictui totum negocium committere. Qui si ex sententiâ non succedat, nullum nisi in fugâ subsidium & spes salutis reposita est. In committendis igitur & ineundis præliis parata semper auxilia atque subsidia requiruntur, cum in nostra militia mercenaria, (ubi milites non ex professione sed necessitate coacti pugnant) ea disciplina, qua Romani quondam & hodie Turcæ præstant, recessus scilicet & accessus turmatum

rum citra periculum & confusionem, revocari in usum nequeat. In cujus locum plura agmina ordinanda sunt, exiguo intervallo invicem distincta, unde subsidium laborantes vel à fronte vel à latere prompte excipere & suppetias ferre queant.

*Longitudo & Latitudo aciei.*

QVod ad longitudinem primæ frontis aciei & latitudinem laterum attinet, quidam existimant aciem quadratam plurimum excellere, in qua scilicet totidem milites in lateribus collocentur quot in prima fronte consistunt. Alij quadraturam hanc ratione soli metiuntur & considerant, ut pediti uni scilicet spacium trium pedum attribuant, & series septem peditum intervallo invicem distent, unde spacium terræ duplex majus à latere quam à fronte cuilibet militi assignant. Hæc aciei forma ob quadraturam æquilateram elegantior, & quod majorem pugnantium numerum & copiam referat commodior priori videtur. Iuxta illam mille milites in triginta & unum seriem distribuuntur, quarum quælibet triginta & unum militem contineat. Iuxta hanc quadraginta novem milites à fronte & viginti à latere ponuntur. Hæc acierum ratio longe est, dubio procul, præstantior; non tamen adeo frequens, ut certa regula de ea tradi possit, consideratis circumstantiis, numero scilicet militum & hostium, temporis & loci, quæ omnia variantur. Secus fecit Tartalius, qui posthabitis & neglectis variis militiæ accidentibus, quæ subitò evenire possunt, contemplationibus Mathematicis solum insistit; cum potius sit, aciei magnitudinem secundum numerum militum, & diversitatem armorum, tum oppositâ hostium multitudinem, considerare & instituere.

Quoties igitur dux, cujus milites exigui quidem numero armis bene sunt instructi, cum numerosa hostium sed inermi manu congredi debet, milites in classes latiores & breviores disponat, siquidem inermes aciem armatorum,

torum, licet nonnihil remotiores invicem sint, penetrare nequeant. Et cum in acie mille virum, quadraginta novem à fronte, viginti à latere ponantur, eadem ratione tria millia disponenda erunt; quæ in classes triginta septem divisa octodecim milites quælibet continebit. Quod si viginti classes lanceatorum hostibus resistere valent, reliquæ superfluæ erunt, & in alia loca commode transferri poterunt.

Romani apprime gnari, quid armorum præstantia, quid exacta disciplina militaris ad victoriam conferat, multis constrictis agminibus (pro ratione ejus temporis) pugnabant, eorumque beneficio numerosissimos exercitus fuderunt, nec ordinem mutarunt, etsi hostis eadem quâ illi aciei dispositione contra illos procederet. Livius Romanorum & Latinorum rebellium aciem describens, tria agmina quindecim ordinum utrosque habuisse dicit. Frontinus Legiones Pompeij in Campis Pharsalicis in tres quoque acies, quarum singulæ denos ordines haberent in latitudinem, distribuit; in qua pugna non vi sed arte Pompejus à Cæsare victus fuit, lateribus aciei equitatu denudatis. Antiochus in Asia cum Romanis manus conserturus, Hannibalem, cui artes Romanæ optime cognitæ & perspectæ erant, consultorem habuit; cujus suasu sedecim hastatorum millia in unam phalangem collocata, & in triginta duos ordines distributa fuerunt. Hæc quidem coarctatio non improbanda fuit; licet illa phalanx, fugatis levioris armaturæ militibus & curribus falcatis ingruentibus, rupta fuerit (cui malo obviari quivisset si ea militum copia non in uno agmine pugnasset, sed in plura distributa fuisset) improbatur tamen nimia phalangis longitudo, quod medij extrema cornua prospicere & contemplari nequiverint. Cæsar hoc errore lapsus, in maximum discrimen se incidisse ostendit; siquidem unus toti exercitui, denegata prospiciendi in omnes angulos facultate, im-

*lib. 8.*

*lib. 2. c. 3.*

*Liu. libr. 27.*

pera-

petare nequiverit. Accidit tamen hic error Cæsari non propter nimiam aciei longitudinem, sed quod pugnæ locus inæqualis collibus vallibusque interruptus esset. Acies igitur non est longius exrendenda, quàm à duce qui medium occupat locum omnes ejus anguli & latera oculis contemplari & perlustrari possint, nisi situs loci ad pugnam destinati impedimento siet. Nec curanda hostium ingruentium multitudo, quâ nostros à latere circumdare possit; siquidem huic malo parata sunt remedia, de quibus infra latius dicendum erit.

Ad magnitudinem seu vastitatem acierum quod attinet, non Romanorum quidem ordo imitandus, sed consuetudo longissimo tempore observata à ducibus præstantissimis, qui copias per intervalla disponere soliti sunt, retinenda videtur. Igitur contra Turcarum aciem inermem & vastuosam multò longiora quam latiora agmina constituenda censemus. A fronte plures, à latere pauciores pugnent. Nec quadratura vel soli vel armatorum consideretur. In Belgio ubi exercitus rarò quindecim vel vicena millia hominum excedunt, agmina quingentis lanceatis vel equitibus constant. Totidem in Hungariâ contra Turcarum aciem sex vel octo millia personis refertam sufficient; maximè cum non Romano more una acie, sed distinctis per intervalla agminibus pugnam ineamus, quæ omnia re ita postulante in pugnam educi possunt. Verum quæ nostra sit intentio, ex ijs quæ de varietate armorum dicturi sumus, magis apparebit.

## CAPUT III.

## Armorum in acie distributio, quo ad situm.

Quæritur quæ arma in mediam aciem, quæ in cornua & alas sint reijcienda. Qua in re pro loci & situs ratione & com-

moditate diversa stratagemata adhibentur, & pars principalis exercitus varie distribuitur. Peditatus militiæ nervus præcipuus sæpius in cornua: equitatus verò in mediam aciem ponitur. Eaque distributio, tum in fronte, tum in lateribus, variari & immutari solet.

Vna tamen penes omnes certa constat regula; gravioris armaturæ militem, in quo vis & robur præcipuum ad oppugnandum hostem consistit, in mediam aciem disponendum, quod ibidem hostibus plus quàm alibi nocere possit, quod munitus sit à latere, ubi pedites plus quàm alibi ab equitatu sibi timent. Denique quod firmius subsistere, & minus facile moveri & disturbari, fortiusque propter conjunctionem resistere valeat, si forte levioris armaturæ milites à latere ejus abscedant. Hi enim ut sese offert occasio, vel in hostem prorumpunt ultrò, vel ejus impetum sustinent, & propter agilitatem corporis volatiles dicuntur. Pro armaturæ igitur vel gravitate vel levitate & mobilitate, aciei situs considerandus, & partes graviores semper propius ad mediam aciem collocandæ: tum ita sunt copiæ & turmæ distribuendæ, ut quælibet suas vices in pugnando obeat. Pedites in mediam aciem, equites in cornua & latera ponantur. Pro situs tamen ratione, & propter machinas, sæpius pedestres quædam copiæ in lateribus distribuendæ sunt: peditatus extremæ partes muniri debent lanceariis, & qui missilia ejaculantur, sagitariis nimirum, bombardariis, atque mosquettariis.

Contra Turcas lancearij commodissime in pugnam producuntur, quod eorum latera bene munita, à fronte nihil eis periculi imminere videatur. Idem ordo in equitatu servandus. Equites Germani, & qui thoracibus ferreis induuntur, cum gravioribus armis utantur & facilius subsistere possint, proxime peditibus adjungentur. Vltra hos lancearij subsistent, prioribus

ribus leviores & mobiliores, apti tamen ad hostes aggrediendos, & eorum impetum susciendum. Extremum agmen pyrabolarij atque sagittarij defendent, qui neque ad propellendos adversarios, neque ad excipiendam vim hostilem, armis muniti & instructi sunt. Eorum opera in excurrendo, & hostem à latere atque eminus impediendo & profligando, consistit. Plus verò terroris quam roboris habent; ideoque Tartaris utilissime obiiciuntur, & opponuntur. Hinc apparet Hungarorum qui lanceis utuntur error haud vulgaris in pugnâ ad Agriam commissus. Vbi contra omnium prudentum consilium atque judicium medium in acie locum sibi popoſcerunt, & sustinere voluerunt. Quo non solùm in rationes modò adductas graviter impegerunt, sed à pristino suo valore protinus desciverunt. Carolus Quintus contra Solimannum bellum gesturus copias in Austria eadem formâ in aciem disposuit; qua contra tam potentem hostem uti decreverat; tormentis enim majoribus, tanquam firmo quodam aggere, militiam circumdedit & communivit. Verùm Hungari indignum rati ejusmodi munimenti genere se defendi, machinarum septo includi recusarunt, copiasque suas in duas alas extenderunt & explicarunt. Neque in hac nostra distributione jure conqueri possunt, quod majoribus periculis sint oppositi, quia ab utroque latere equites pyrabolarij eos defendant, licet charitas erga patriam eis præcipuum belli onus imponat: tum quod periculum hoc (cum iisdem quibus hostes armis utuntur) citra gravem Hungariæ ignominiam detrectare & subterfugere vix possint. 1530. P. Iovius lib. 30.

## CAPVT IV.

## Qunmodo amplius contra hostem procedendum.

*Hîc quid ordo probe observatus conducat & in bello valeat, ex ipso*

*ipso usu apparet. Vbi* primum *singulorum armorum excellentiâ:* Deinde *num præstet in hostem impetum facere, vel ejusdem excipere:* Tum *quibus armis pugnæ initium fiat:* Quomodo *victoria sit prosequenda:* Quo *ordine in clade exercitus in tutum deducendus sit, & laborantibus auxilium ferendum:* Quomodo *latera munienda:* Tandem *quem locum in acie ipsi duces capessere debeant, & quod ipsorum sit officium, considerandum venit.*

## I. De armorum usu & excellentia.

Hæc cognitio adeo necessaria est, ut ea neglecta omnis armorum usus inanis & vanus sit futurus.

Inter omnia armorum genera præstantissimæ sunt hastæ illæ prælongæ, quas Macedones sarissas appellasse creditur, Et merito in illis aciei nervus in statariis pugnis consistere censetur, siquidem milites qui iis pugnant peditibus & equitibus pariter resistere valent, cum in adoriundo ita conglobentur, ut prima militum series quinque cuspidum ordinibus defendatur. Econtra si in eos impetus fiat, non modò quinque priores ordines succurrunt, sed plures alii: plerumque tamen sex proximæ series, quæ prioribus quinque junguntur, eodem tempore resistere possunt. Vnde necessariò in quovis hastatorum agmine undecim series & ordines requiruntur. Cum hunc in modum coarctantur, & restringuntur milites, pro indicio habetur audaciæ ac fervoris in resistendo & oppugnando vehementioris: contra ordinum relaxatio & dilatatio, terrorem consternationem & fugæ meditationem indicat, non solum in lanceariis sed in omnibus aliis copiis. In primis verò si in locis interruptis aut saxis vel fossis impeditis prælium contingat. Nocte, propter longitudinem, hastæ difficillime explicari & tra-
*Liv. l. 34.* ctari possunt, unde facilius quoque disturbantur. Perseus optatam quandam pugnandi occasionem elabi passus est, quod in

situ

situ in æquali exercitus subsisteret, ubi phalangem hastatorum extendere nequibat, *quæ*, ut dicit Livius, *propter minimas quasvis situs incommoditates inutilis redditur.* Et paulo post subjungit: *Cladis superioris causam manifestiorem nullam aliam exstitisse, quam quod eodem momento pluribus in locis pugnæ initium factum esset, unde phalanx perturbari & prosterni cæperit, cuius robur invictum & intolerabile alias manet, cum stricte observantur ordines & densæ stringuntur lanceæ. Quod si partes ejus singulas aggrediaris, vel à latere aut à tergo periculum quoddam nascatur, facile turbatur & profligatur.* Romani non aperta fronte phalangem adoriebantur, sed iteratis vicibus impetus in eam faciebant ubi minus videbatur valida; tum latera sæpius & vehementiori vi oppetebant, quod illibi facilius labefactari & ordines divelli possent, Sin phalangem à fronte adorti fuissent, & militem militi oppositum fuissent, ipsi hastarum spiculis sese intrusissent & involuissent, nec impetum aciei tam bene instructæ sustinuissent. Livius dicit Romanos, *lib. 22.* quo minus in urbem quandam per disjectam muri partem penetrarint, à lanceatis qui ad foramen muri fortiter & immoti constiterant impeditos fuisse; cum hos tueretur ab utroque latere pars muri superstes, & in angustiis certamen fieret, ubi ordines ex impetu ingredientium turbari nequeunt. Hinc usum hastatorum conspicimus; qui pari & gravi motu tum ab utroque latere probe muniti incedere debent. Cavendum etiam ne frons aciei latior sit, quàm ut æqualiter milites contra diversos hostium impetus procedere valeant; sed ita constituatur, ut dux qui in medio consistit in illa longitudine ad omnes casus suis adesse, & in omnibus locis consilio & auxilio laborantes juvare, eosque sapienter & cum judicio regere possit. Præstat igitur numerosum exercitum in plura agmina interjectis intervallis distinguere; ut hosti insecutio cum majoribus copiis difficilior, cum minoribus periculosior existat, siquidem

ab utroque latere mofcetariorum & tormentariorum cuneis ſeſe immiſcent & implicant, à quibus eminus plura damna accipient, quam ab haſtatis, qui horum terga ab incurſionibus equitum defendunt. Equites autem à phalange ſemper abhorrent, niſi circumdare, & à tergo ut ordines turbent eam aggredi poſſint. Adde, quod nullum tam præſtans armaturæ genus reperiatur, quibus in phalangem penetrari & invadi queat, dummodo firma illa & ſtabilis ſubſiſtat; nec crebriori motu occaſionem præbeat, ut à latere turbetur. Hac in parte in exemplis ſuperius allegatis erratum fuit. Ad Ravennam & Carminolam idem contigit.

*Guicc. lib. 10.*

Concludo igitur ex utilitate haſtatorum, neceſſario quandam exercitus qui in Hungariam mittitur partem hoc armorum genere inſtruendam eſſe. Etſi omnes ferreos thoraces non habeant, inſeri tamen inter armatorum ordines commodè poterunt. Tranſylvanus eorum opera inprimis indiget, cum peditatu Germano deſtituatur: in cujus locum Siculos ſibi ſubditos haſtis inſtruat, octodecim vel decem millia, cum robuſto corpore & ingenio non inepto præditi ſint; qui ſi haſtis pugnare aſſueſcant & arte in hoſtem ducantur, facile vim Turcicam reprimere & eludere poterunt.

Mediæ longitudinis haſtæ & arma, ſecures ſcilicet gæſa & ſpari, tunc multiplicem uſum in militia habent, cum ſariſſæ minus commodæ exiſtunt. Vbi tormentarij ad velitationes emittuntur, nonnulli qui his armis inſtructi ſunt eis adduntur, ut illis pugnantibus hi excubias agant & ſuppetias ferant. Quin & haſtati quidam ex horum numero expreſſe & ſtudiò tormentariis adjunguntur, ut latera eorum tueantur. Tum ſigna atque vexilla plerumque hi comitantur & circumſtipant. In eum videlicet finem; ut cum primæ ſariſſarum ſtationes perruptæ ſunt, cum armis brevioribus & agilioribus commodè ulterius

pene-

penetrari possit. Ad nocturnas impressiones, ut & in locis in- *Guicc. lib.*
æqualibus interruptisque, in oppugnationibus difficilioribus, *21.*
tum etiam ad præcavenda & avertenda damna atque pericula, quæ ab ictibus machinarum metuuntur, plurimum utilitatis conferunt; longiores atque fariſſas commoditate ſuperant. Qui his armis pugnant milites, conjuncti atque permixti cum equitatu, poſtquam impetus factus eſt, vel in loco pugna committitur ubi equi minus dextre regi queunt, non leve momentum ad victoriam contulerunt. Hujus ſtratagematis primi authores atque inventores exſtiterunt Romani; qui à tergo equo *Liv. l. 16.*
rum dorſis ſemper ferebant juvenes dexteritate & agilitate præ- *Val. Max.*
ſtantes, in hoc militiæ genere apprime exercitos. Cæſar hac *l. 2. c. 1.*
ratione acie inſtructa cum millenis ſuorum ſeptem millia Pompejanorum equitum in lato campo fudit. Arioviſto ſex *Bel. civ.*
millia Germanorum equitum erant, totidemque numero pe- *lib. 3.*
dites velociſſimi ac fortiſſimi: quos ex omni copia ſinguli ſingulos ſuæ ſalutis cauſſa delegerant: cum his in præliis verſabantur: ad hos equites ſeſe recipiebant: hi ſi quid erat durius concurrebant: ſi quò longius erat prodeundum aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut jubis equorum ſublevati curſum adæquarent. Horum operâ plurima fa- *Bel. Gal. l.*
cinora Arioviſtus edidit. Suevi in aſpero quodam prælio, re- *1. Liv. Ma-*
lictis equis pedites pugnam inierunt, & Romanis ſuperiores ex- *23.*
ſtiterunt. Simile quippiam in Macedonia iiſdem contigit; ubi equitibus permixti pugnarunt pedites, qui hoſtium equis ungulas præſciderunt. In Hungaria Vladislaus proſpero ſucceſ- *1443.*
ſu contra Turcas hoc certaminis genere uſus eſt; verùm id caſu *Bonf. lib.*
potius quam certo conſilio factum, ſiquidem equitatus hoſti- *26.*
lis in loco incommodo ſubſtiterat.

Legimus quoque equitibus pedites ſagittarios permix- *Bel. Gal.*
tos in aciem eductos fuiſſe. Licet igitur noſtris quoque ſtra- *lib. 7.*

tagemata ejuſmodi ad juvandum & confirmandum equitatum invenire & excogitare: tum præter haſtatorum & tormentariorum copias, certos quoque milites è toto exercitu deligere & conſcribere, qui unà cum equis incedere, & ſine timore cum illis verſari, vel hoſtibus ſaltem, ubi loci iniquitas equorum uſum & impetum vehementiorem prohibet, reſiſtere ſciant.

Duobus ſupradictorum armorum generibus Turcæ deſtituuntur. Aſappij haſtas quidem geſtant, ſed ſariſſis breviores, & exiguis cuſpidibus munitas, quibus punctim ſolummodo feriunt. Vnde nec haſtis noſtris, nec cum ſecuribus comparari, nec ijſdem reſiſtere valent. Gladij noſtri communes ſtricti & longi cum in eâ pugnantium turbâ ad cæſim feriendum vibrari nequeant, & parum etiam contra acinaces latiores valeant, optime ad punctim lædendum adverſarium uſurpantur: ijs remotiorem hoſtem, qui breviori gladio pugnat, facilius & tutius ferire vulnuſque periculoſius ac mortale infligere licet. Quæ omnia ſi probe obſerventur, licet exigui momenti videantur, magnum tamen pondus in militia habent. Turcicæ atque Vngaricæ haſtæ, ubi cum impetu in hoſtem procurrere licet, utiliſſimæ quidem, ſed propter longitudinem & quod pleræque ſint concavæ fragiles ſunt atque infirmæ. In locis parum impeditis & interruptis, ubi vehementi curſu impetum eques facere nequit, plane inutiles exiſtunt.

Arma quibus eminus hoſtem oppugnamus, omneque genus miſſile, nocte & in tenebris plane nullum uſum habet; quod meta propoſita quo ictum dirigimus perſpici nequeat. Liv. l. 34. Paulus Æmilius difficilem quendam tranſitum, ubi legio propter angustiam loci inutilis videbatur, occupaturus, nocte id aggreſſus eſt, quod hoſtem miſſilibus potius quam Romanos inſtructum & in eo armorum genere probe exercitatum ſciret; in tenebris autem jactus & ictus incertus eſt, & nuſquam certo

dirigi

dirigi potest. Sed alio quoque defectu hoc armaturæ genus laborat, quod pedites in planitie & spatioso campo, hastatorum subsidio & auxilio destituti, ne leviſſimo quidem equitatui resistere valeant: carent enim quod ingruentium equitum insultibus opponant, unde facillime disturbantur. Optimum ad hos sundendos remedium exstat, ut quam vehementissime urgeantur, & in eorum ordines prorumpatur; quod non modo aliàs contra tormentarios sed moscetarios etiam in Belgio Hispani observare solent. Prima enim vice tormentis illis explosis, cum gladiis manus admoventur, illi in hostes strictis ordinibus properant, eorum ordines invadunt, & si fieri potest divellere atque perrumpere tentant. Ejus generis sunt arcus, bombardæ, tormenta majora quæ moscettæ vocantur, & æneæ machinæ seu catapultæ. Postquam bombardæ & tormenta inventa sunt arcuum usus desiit, & parum apud nos amplius curantur. In bello Hungarico Tartari ut plurimum illis utuntur. Leviter enim armati, & ipsorum equi, velociſſimi licet, propter debilitatem tamen ad faciendum impetum minus idonei, solummodò ad devastandam regionem, impediendos commeatus, & simulandam circumventionem apti sunt. Vnde nostros aliter oppugnare cum nequeant, hoc genus missile usurpant; quod plus terroris quam periculi adfert ijs qui illi minus sunt assueti; optime equites bombardarii illis obijciuntur.

Sclopetorum autem tria genera sunt, pro diversa magnitudine distincta, quædam minora sunt Italis *pistolæ*, alia mediæ ijsdem *archebusi* denique majora quædam vulgo *mosquettæ* dicta, quorum hæc omnium maxima sunt quæ manu tractari & explodi possunt. Horum armorum magna est differentia, non inter se modò, sed etiam ratione usus in quem adhibentur. Alio enim modo ad venationem & inimicitiam privatam, alio ad bellum instruuntur & præparantur. Ad primum, sumendus est

pulvir nitratus, qui bonus sit & justa proportione probe infectus paratusque. Ad secundnm, qui munitionum intermedius dicitur. Horum impletio, primis ejaculationibus exceptis, aut non proportionata est, ejecto sæpius frustra pulvere, aut non satis glande sua conferta & coarctata. Vnde summo studio cavendum est, ne primæ globorum emissiones sint frustraneæ. Ajunt enim mosquettum in velitatione conficere spatium ducentorum passuum, sicut & sclopetum quod inimicitiæ causa gestatur: & sclopetum militis quantum bombarda seu pistola inimicitiæ, octuaginta nempe passuum, quorum quilibet quinque pedes in dimensione habet. Bombarda vero militis omninò nullius est momenti, nisi adurat & consumat sumque conficiat ictum, proinde non nisi velut ad hostile pectus admotam explodi volunt.

Hinc notentur sequentes observationes. *Manuarijs tormentis* seu sclopis equites qui ferreis thoracibus armantur plerumque uti solent. Iuramento hi adstringendi sunt, ne citius explodant quàm in hostem rectà ictum direxerint, & de eo vulnerando dubitare nequeant. Lanceæ igitur impetus prius expectandus; quo facto, vel hoste quam proxime imminente, feriendus est. Hoc armorum genus ad resistendum & impetum excipiendum, fortiterque stationem tuendam, quàm ad aliam in acie impressionem faciendam, accommodatius est; unde ordines eorum arcte & confertim consistere debent. Apparet etiam, quàm imperitè & negligenter officio suo fungantur, qui cum primæ stationes exploserunt non expectant quò ordo eos quoque tangat; vel in aërem vel in socios vel procul ab hoste explodunt. Quæ negligentia & imperitia sæverissime inhibenda & castiganda est. Gallici quoque thoraces quam Germanici præstantiores sunt, & facilius ictum scloporum longiorum eludunt. Quin & magnum inter utrosque equites thoracatos discri-

discrimen adparet. Gallus unico tantum servo stipatus in militiam proficiscitur; Germanus contra non duobus equis pro se & servo, sæpius ne octo ne decem quidem contentus, ingens servorum famulitium post se trahit. Ea res abusum habet manifestissimum & periculosissimum, ob plures causas. *Prima* est, quod habita lustratione, quæ ab initio tantum & sub finem expeditionis fieri consuevit, multi ex servis illis desiderantur; sive quod dimissi sint sive quod ficta nomina gesserint & suppositicij fuerint. *Secunda* est: quod in tanto numero multi inveniuntur equi strigosi & ad bellum inutilissimi. *Tertia* est: quod turmæ ex vilissimis hominibus, servis & stabulariis, qui ad bellum ineptissimi sunt complentur. Vnde mirum nemini videri debet, si eos eventus expeditiones nostræ minime nanciscantur, quos speramus ex ejusmodi apparatu. Qui si in nobilibus & strenuis viris consisteret, eorumque virtus, vel pars saltem eorum, præstantiæ armorum corresponderet, quamvis velitum etiam immensam multitudinem, ut Turcica plerumque est, excipere & reprimere valeret. Cum enim cominus manus conserendæ sunt, harpæ quocunque feriunt corpus ferro munitum offendunt, enses vero inermia Turcarum pectora eaque remotiora ubique penetrant perforantque; qui tamen in tanta cinguli, quo lateri aptantur, angustiâ à multis difficulter admodum evaginari possunt. Eo meliori conditione Gallorum thoracati propter veruta quæ gestant existunt.

Bombardæ longiores, quas *archebusi* Itali vocant, levissima arma sunt, quibus equites atque pedites utuntur. *Pedites* eum in acie locum tenere solent, ubi plus dexteritatis & agilitatis requiritur: in campo aperto equitatui & hastatis peditibus resistere nequeunt, nisi alio munimento tuti reddantur. Vnde hastati plerumque eis adduntur, vel ad horum latera collocantur. Idque duabus fere rationibus. Siquidem quinque vel

septem

ſeptem primi ordines, quot nimirum haſta tegere & defendere poteſt, haſtatis non indigent, cum firmiter contra oppoſitas hoſtium turmas conſiſtant nec magis quam illa moveantur, licet inter dimicandum quidam immutari, & alij in ſociorum locum ſuccedere ſoleant. Hi proprie latus agminis vocantur. Alij brachia dicuntur, quod manuum & brachiorum inſtar à cohorte dependeant & nunc hic nunc illic hoſtem lædant: in defeſſorum locum recentiores & qui viribus integri ſunt ſuccedunt. Bombardariorum igitur particulares quædam cohortes haberi ſolent, iiſque haſtati quidam adduntur. Vulgo copiæ perditæ dicuntur, quod ſæpius maximis periculis obijciantur, & capiendis foſſis rupibus vineis vel aliis ejuſmodi locis, unde hoſti plus damni inferri poſſit, adhibeantur. *Equites* ſclopetarii veterum ſagittariorum vicem ſuſtinent. Hi eminus hoſtes lædunt; unde extra reliquam aciem collocandi ſunt; neque in uno loco nec firmiter ſubſiſtunt, nec impetum facere nec ſuſtinere, & ſuis laborantibus difficulter ſubſidio accurrere poſſunt quin coſdem quoque lædant. Siquidem ictus bombardæ, ab equite in primis factus, incertus eſt & fallax. Quod igitur potiſſimum hoc armorum genus habet, in primo pugnæ initio conſpicitur & plurimum valet. Cum verò in eos ab hoſte impetus fiat, recedere & periculo ſe ſubducere poſſunt. Illorum officium præcipuum & ferè primum eſt, ut latus hoſtile oppugnent, ſuorum vero latera defendant. Nec certis ordinibus in acie diſtinguuntur, cum errabundi & volatiles ſint: nec aſſueti ad vim atque impetum hoſtilem ſuſtinendum, ſed ut haſtati turmatim & catervatim incedunt. Commodiſſime Tartaris opponuntur, quos propius, quam hi ſagittis ſuis, attingere poſſunt: maxime ſi bombardæ ſint aliquanto majores; cujuſmodi Itali & Wallones geſtant, Germanorum vero manuaria tormenta Gallica (piſtolæ nominantur) minus apta videntur.

Moſquet-

*Mosquettum* propter gravitatem minus dextre & agiliter tractari potest; longe omnium remotissime ferit. Vnde locus illis qui hoc armorum genere pugnant remotior ab impetu adversariorum conceditur; plerumque peditum cohortibus inseruntur & eorum tergo annectuntur. Hi bombardarios, qui ab hastatorum dependent lateribus, defendunt & forficem efficiunt. Quidam mosquettariorum ut & sclopetariorum ordines hinc inde oberrare, & prout commodum eis videtur vel à tergo vel à fronte hosti nocere solent. Ianizaris bombardarij non recte opponuntur: sed moscetarij perfectiores sunt, quòd remotius feriant.

*Tormenta* & machinæ in campo spacioso subitò impediuntur ab incursionibus quò minus præter primum ictum sæpius in hostem explodantur. Plus terroris quam damni atque periculi inferunt; ut in clade Ludovici animadversum fuit, nostris timore & fumo potius quam glandibus perterritis. Huc venti commoditas recte observata plurimum conducit. Non solùm autem propter machinarum defectus & imperfectiores ictus sæpius frustrantur, verùm etiam propter distantiam scopi & metæ ad quam diriguntur. Cum enim non semper æquales sint planities, nec eædem hominum staturæ, facilime, vel nimis altè ultra capita eorũ quos ferire debebant glandes ejaculantur, vel nimis remisse antequam metam attingant ad terram deprimuntur, iterumque magno interposito spacio resultant. Cum primi ictus perfecti sunt, leviter armati & velites emittuntur, ut reijciant eos qui machinas occupare tentant. Vnde harum usus plane cessat, quando amici cum hostibus permixti internosci & distingui nequeunt: nisi fortè in loco eminenti vel munito undique positæ sint, vel aquarum aut locorum interruptorum adminiculo ab hostium incursionibus defendantur. Ad Ravennam Galli hoc medio victoriâ potiti sunt. Solent etiam *Guicci. lib. 16*

aggeribus muniti, eisque peditum cohortes validæ adduntur. In mediam aciem plerumque collocantur peditatui vicinæ. A latere autem locus eminens & natura munitus pro eis deligendus est, vel is propugnaculis & peditum cohortibus muniendus, ut contra equitatum hostilem tutæ consistant. Hic ordo in nostra acie inprimis conspicitur.

*II. Vtrum primùm aggredi hostem, vel ejus impetum sustinere præstet.*

*Secret. l. 3. c. 4. c. 4. c. 63.* Duo quondam Romanorum Consules pugnam inituri periculosissimam, diversâ plane certaminis ratione in debellando & aggrediundo hoste usi sunt. Alter militibus suis edixit, ut ipsi sustinerent hostis impetum, quo primo aggressu fortiter rejecto & eluso futurum sperabat, ut paulatim ab ardore & furore vehementiori iidem remitterent, animumque sensim desponderent, faciliusque in fugam agerentur. Quod consilium ex sententia ei cessit, victoriaque potitus est. Alter vero quanta fieri posset vehementia atque audacia majori suos in objectam hostium aciem impressionem facere jussit. Sed hoste inferior hic exstitit, victusque ac cæsus fuit.

Nec mirum: siquidem celeriter & festinanter incedentes tam probe ordines servare, pedem in constituto loco firmare, gressumque sistere & mutua conferre auxilia nequeunt, quàm ij solent qui intra stationes suas permanent. Huic accedit, quod commoditates, quibus hoste existunt superiores, negligunt & deserunt, adversarios in locis oportunis & qui ipsorum commoditatibus serviunt, in quibus haud superari & vinci possint, offendunt. Denique se suosque temere machinarum ac tormentorum ictibus objiciunt, & manifesto discrimini exponunt. Nec ea festinatio alium fructum habet, quàm ut vanam fortitudinis & audaciæ ostentationem ferat; quo parùm movebuntur milites, quos duces strenui jam antea certiores reddidere, moram lon-

longiorem non ex timore proficiſci, ſed maturo conſilio hoſtem eâ ratione vincere conſtitutum eſſe. Sanè milites de hoſtium pugnandi & belligerandi modo diligenter edocendi & inſtituendi ſunt; ne ſi quid forte novi interveniat, confuſio in acie oriatur; cujuſmodi ſunt clamores, ululatus, & ſaltus, aliaque id generis vaniſſima, quæ ut Mallius dicebat ipſis hoſtibus plurimum detrimenti afferunt cum primo impetu fortiter repelluntur. Volſcos in aciem currentes Romani pede firmo excepe- Liv. l. 28. Front. l. 2. c. 1. runt anhelantes, eosque fugarunt. Hoc uti ſtratagemate in campis Pharſalicis Pompejus conſtituerat; ſed ſtudio ſuos in hoſtem Cæſar properare, & in medio curſu, ad recipiendum anhelitum, ſubſiſtere juſſit. Bell. civil. l. 3. Front. 14.

Animadvertendum igitur, ubi hoſtium robur præcipuum in primo impetu conſiſtere novimus, commodiſſime adorientem excipiamus, non ſine ſpe victoriæ, ut plura teſtantur. Quin & cum Turcis manus conſerturi haud parum momenti hic reſiſtendi modus ad victoriam habiturus eſt. Sed contrariam rationem noſtri obſervant, plus fiduciæ in potentiâ quàm in arte collocantes; unde tot inſignes in Hungaria ſtrages Chriſtianis illatæ numerantur. Ad Nicopolim contentio inter ordines de adoriundo hoſte mota cladis non minima cauſſa fuit. Ad Varnam in locis incommodis exercitus contra ducum imperium hoſtes aggreſſus eſt. Ad Mohatz, nulla neceſſitate urgente, milites impetum in hoſtem fecerunt, eundem in loca Turcis quam Chriſtianis oportuniora ſtructasque inſidias inſecuti ſunt. Num quid horum ad Agriam proxime elapſo anno commiſſum fuerit, hiſtoria ſuo loco ſuoque tempore aperiet. Certa nobis & indubitata conſtaret victoria, ſi eâdem induſtriâ in hoſtis naturam fraudes & aſtutiam, ut ille in noſtras ſolet actiones, inquireremus. Optime novit impatientiam noſtram; ideoque pugnandi occaſionem præbet, nec tamen copias promovet, ſed 1393. 1444. 1526. 1596.

ubi pugnæ desiderio nostros æstuare cognovit, in prælium descendit, certâ victoriæ spe nixus, ut exempla superius adducta declarant.

Pugnandi igitur ratio & methodus immutanda, cogendusque hostis ut in locis quæ commediora nobis videntur ipse nos adoriatur. Quod facile obtineri potest vel urbium vel propugnaculorum præcipuorum obsidionibus, vel ubi propius ad ipsum accedimus, nec unquam è conspectu ipsius discedimus, donec pressus penuriâ vel manus conferere vel copias reducere cogatur, vel arreptâ aliâ quapiam peroportunâ pugnandi occasione, quæ nonnunquam sese obferre solet. Neque velitationes majores ineundæ, in quibus laborantibus assidua mittantur præsidia: siquidem Turcæ hoc certaminis genere longe nostros superant. Quin potius junctis viribus, iisque in sua agmina recte distributis, hostem agrediemur: unde aciei formâ immutatâ, alius victoriæ & prælij successus sequetur.

### *III. Quomodo prælium sit ineundum.*

Pugnæ initium levioris armaturæ milites faciunt, qui eminus hostem petunt, ubi tormenta sunt explosa; sclopetariorum turmæ emittuntur, ut hostium machinas disturbent, ne damnum nobis inferant. Idem cum hostes facere conantur, levia certamina & velitationes oriuntur. Eodemque tempore ex alis equites arcularij seu tormentarij prorumpunt, qui latera & cornua hostium infestent: sæpius hi recedunt & à tergo impetum facere tentant, ut hostium ordines turbent. Quod si his auxilium feratur, vel objiciantur inæqualis armaturæ militres quibus resistere diffidant, paulatim recedere & priorem pugnæ locum capere convenit. Sic alliciuntur hostes, ut insistant retrocedentibus, donec undiquaque pugnæ initium fiat. Siquidem hostibus semper recentes copiæ auxiliares advolant, augeturque pugnantium numerus, quos nostra acies excipit; quæ ta-

men

men non semper integra pugnat, sed pars ejus sæpius certamen init. Multi hoc stratagemate usi sunt. Scipio novum exercitus in uno cornu collocarat, quo in pugnam educto alterum debilius quietum tenuit. Exercitus hostilis parte fugatâ ambo cornua ad reliquos devincendos conjunxit. Alia vice robur militiæ in duo cornua distribuit, infirmiorem exercitus partem in mediam aciem conjecit, eamque validissimis hostium copiis opposuit. Illis quiescentibus, cornua sua contra tergum aciei hostilis, ubi debilior erat, eduxit, eaque parte fugatâ, reliquos facile superavit. Alij duces aliis hostem vincendi modis usi sunt. *Front. l. 2. cap. 3.*

Hoc inprimis observandum, ut dum agmina & turmæ promoventur, eadem distantiâ invicem milites incedant: ne si nimium in hostem properent vel in densitatem inter equitandum contrahantur, & alter alterum præcedere contendat, confusio in ordinibus oriatur, unde non levia damna inferri solent. Priori modo terminos à ducibus præscriptos milites transeunt, nec ab officiarijs amplius regi, nec præsidia laborantibus ferri, nec errores cognosci, aut priusquam in immensum crescant corrigi queunt. Interequitando postea ordo eorum, qui ad subsidia ferenda constituti erant, turbatur, & latera nostrorum & vicinorum agminum denudantur, certisque intervallis aperiuntur, ut hostium incursioni pateant: denique occasio datur, ut eodem in loco plurima agmina aggrediundo impingant. Quod ut semper periculosissimum, ita maxime vitandum, ubi cum immenso hostium exercitu congrediundum, qui quoad fieri potest late distractis copijs oppugnari debet. Hunc errorem Aladanus in Seghedinensi clade commisit, facto impetu cum duobus equitum turmis in immensum quoddam Turcarum agmen; quo cæso fugientes Christiani insecuti sunt, tunc ad prædas conversi occisos spoliare & exuere cæperunt: sic pa- *Horton. 1552.*

lantes & nullo ordine dispersos duæ Turcarum alæ, quæ integræ permanserant, aggressi eximia strage eos affecerunt.

Hæc duces ipsi noscere debent: siquidem belli imperator non ubivis locorum subsistere & sigillatim quosvis instruere potest. Ex horum imperitia & culpa confusiones clades & fugæ militum oriuntur, quæ imperatoribus plerumque adtribui solent, cum fugarum principia ut plurimum lateant.

Præter reliquos errores in Agriensi pugnâ à ducibus admissos, hi à viris belli peritis notantur. Quod exercitus noster cum superatis paludibus hostem aggredi vellet, dextrum cornu non rectà in oppositum hostium cornu sinistrum impetum fecerit, sed versus dextrum sese converterit. Contrà vero sinistrum Christianorum cornu in Turcarum cornu sinistrum moverit, atque adeo in medio itinere obviam sibi facti invicem, crucis figuram incedendo effecerint, ordinesque interequitando turbarint. Biduo antequam hoc contigit, in altâ quadam ripâ Turcæ fluvij vadum quærebant; nec retrocedere poterant propter sociorum multitudinem, qui eos premebant à tergo; ne procederent ulterius, Hungari quidam eis impedimento erant qui transitum tuebantur. Post hos Germani quidam equites excubias agebant, qui non modò in vanum manuaria sua tormenta in hostem exploserunt, sed multos etiam ex Haiduccis vulnerarunt, atque adeo triplici culpâ lapsi, majora damna amicis quam hostibus intulerunt. Quod si alibi hostes fluvij transitum, quem sedulo investigabant, reperiissent, actum sine dubio de omnibus ijs copiis fuisset. Priori tamen casu facultate utendi oblatâ occasione, posteriori vero peritiâ & scientiâ destituti fuerunt.

*IV Hosti fugienti quomodo insistendum.*

Cricci. lib. 2. Hosti fugienti aureum pontem struendum nonnulli judicarunt. Quorum opinioni repugnare videtur vulgo in bellis recepta

recepta regula, victoria utendum esse, nec hosti tempus ad animum resumendum viresque recolligendas concedendum. Hæc duo ut concilientur invicem, fugæ distinctio facienda. Vel enim hostis integras adhuc & incorruptas copias, armis probe instructas sub signis reducere & in tutum collocare tentat, vel apertâ fugâ desertis ordinibus & signis relictis armisque abjectis tergum vertit. Qui priores intercludere viamque illis præripere vellet, necessitatem pugnandi & sese defendendi imponeret, siquidem armati id facere possint. Non igitur impediendi sed evadendi commoditas libera eis relinquenda. Quin potius tantâ vehementiâ iidem urgendi sunt, ut in fugam solutam avertantur; quo impetrato secure ipsis via præcludi potest, ut majori strage afficiantur. Hanc opinionem Vegetius & Scipio probant; iter scilicet fugientibus hostibus non obstruendum, per quod fugere destinarant. Si enim apertum illud & liberum conspiciant, fugæ desiderium omnes invadit: semel in fugam conjecti ordines rumpunt faciliusque delentur: viâ autem impeditâ cum evadere nequeant, desperatio animum addit pavidis, timorque sæpius arma ministrat ubi nulla spes salutis supereſt. lib. 3. c. 21.

Qui igitur hostem fugientem insequi cogitat, primum videat necesse est, utrum tota acies an pars ejus cæsa & fusa sit. Posteriori casu pars fugiens tamdiu propellenda, donec dispersa undique suos recolligere & in ordinem reducere nequeat: postea ab insequendo retrahendi sunt milites, ut reparatis ordinibus vel à tergo vel â latere aggrediantur eos, qui adhuc manus conferre & resistere audent. Sæpius enim contigit, ut exercitus pars victa sit, cui tamen ab alia parte victoria integra manserit. Hannibal ad Cannas Romanum equitatum fusum & fugatum non est insecutus, sed eundem impune elabi passus: rectâ vero in latus agminis hostilis invectus, tam insigni victo- Livius lib. 22.

riâ

structio & devastatio regionis, & locorum expugnatio, dum præ formidine cuncta trepidant, & faciliores quævis expeditiones, difficillimæ licet, existunt, propter autoritatem qua victor pollet. Qua in re usus victoriæ consistit.

*V. Quomodo in tutum reducantur milites, & laborantibus auxilium feratur.*

Aciei perfectio in eo conspicitur, cum primis turmis secundæ justo tempore subsidio veniunt, & hos tertiæ deinde in hunc usum reservatæ excipiunt.

In materia fugarum duo reperio notatu dignissima. *Primum* quod major plerumque conflictus graviusque certamen inter parvos vel mediocres exercitus committi solet, quam ubi immensa copiarum multitudo congreditur; cui major plerumque strages in fuga quam in prælio infertur. Cum enim manus conferendæ sunt non fugiendo sed in hostem properando, alij quidem animo confirmato incedunt, alij vero perterriti confusionem excitant, facileque sine certamine reijciuntur & in fugam convertuntur. Hujus mali caussa est, quod in tantâ multitudine plurimi reperiuntur abjectissimæ sortis homines, qui nullo imperio sub ordinibus contineri possunt. Expectatio quoque primi impetus, qui semper vehementissimus esse & omnium animos suspensos tenere solet, confusionem caussare & ordines perturbare potest. *Alterum* est, quod licet in priori militum serie nonnulli vacillent, & fugam inclinent, pedemque referre cogitent, fuga tamen plerumque in posteriori classe oritur; quibus firmiter persistentibus, priores resistere inviti etiam coguntur.

Hinc concludo, præcipuum belli ducis officium in eo positum esse, ut militum animos initio pugnæ probe confirmet, quo fortiter hosti resistant, vel saltem audaciam firmiter in hostem properando simulent, quod in ingenti exercitu,

maximum pondus ad victoriam habet, Ubi primus impetus feliciter cessit, posteriores animum recolligunt, adeoque roborant, ut prioribus cedentibus illi horum loca supplere non dubitent; maxime ubi ad fortitudinem à ducibus & officiariis fuerint adhortati, qui semper hac in parte strenue suo officio, turmas obequitando & hostium pugnandi modum declarando, fungi debent, ne milites novitate aliqua forte perturbentur. Non modò autem in primam seriem optimi & præstantissimi quivis militum & officiariorum collocandi, sed in ultimam quoque classem pars eorum reservanda; quo illi fortiter pugnando reliquis exemplo suo præcant hi vero timidioribus spem fugæ adimant. In Romana acie, ut quisque videbatur fortior eo magis in novissimum agmen reservabatur, primipilis exceptis qui erant omnium strenuissimi. Ubi duces nec minis nec exhortationibus suos in hostem animare possunt, subsidiarios advocare & eorum adventum pugnantibus certiorem facere debent, quo citra confusionem recedant & recentibus pugnandi locum concedant, ne victi fugam meditari sed ad recipiendum anhelitum cedere videantur. Hoc si duces à suis impetrare possunt, non minori laude digni censendi quàm si plenâ victoriâ potiri essent. Hæc enim in fortunæ ludibrio consistit, ad quam militum audacia & strenuitas accedit: in ducum vero virtute sola positum est, prudentiâ præcavere periculum & cladem evitare atque avertere. Cum igitur hunc in modum è certamine milites deducti sunt, vulneratos curare, & defessos recreare, tum ad repetendum prælium, & auxilium ijs qui prius succurrerant vel à fronte vel à latere ferendum superstites adhortari & confirmare debent. Hoc utilissime plurimis cessisse exemplũ Xanthippi & Sertorij demonstrat. Subsidiariorum dux diligenter inquiret, quæ in ea parte aciei cui ille substitutus est gerantur. Debet quoq; de successu prælij cum militibus, ut præsenti

*Front. l. 2. c. 3.*

sint

sint animo communicare; reluctantes rationibus veris vel verisimilibus refutare: & paulatim contra hostem eos incitare: hilari fronte tempus prælij exoptatum, ut virtutis suæ ac fortitudinis specimina edere possint, annunciare, eosque officij admonere. Tunc firmiter coarctatis ordinibus cum gravi & audaci incessu, qui magnanimitatis speciem præ se ferat, proxime ad latus eorum qui recedunt copias promovere debet, priusquam in plenam avertantur fugam, quæ utrisque terrorem maximum solet incutere, ne fugientes animum protinus despondeant, ordines deserant, nec facile ducum imperio amplius pareant. Marcellus ab Hannibale cæsus & fugatus fuit, quod lentè subsidio veniret laborantibus: quibus in fugam conjectis cum reliquo exercitu vim hostilem solus sustinere nequivit. Nec eâ tamen lege subsidiarij adstringendi, ut neutris præter sibi commissis auxilium ferant: quin ubi necessitas requirit, ex consilio imperatoris belli vel aliorum summorum ducum, pro aciei successu aliò transferri possunt subsidia. Tum infinita alia stratagemata in variandis & immutandis aciebus ipso prælio durante, nunc equitibus peditum loca capessentibus, nunc peditibus equitum vicem supplentibus, atque alia ejusmodi adhiberi possunt. Quæ etsi exigui momenti esse videantur, maximum tamen pondus sæpius ad clarissimas victorias reportandas contulerunt. *Liv. l. 17.*

*VI. Quomodo aciei tergum & latera muniendi.*

CUi à prima aciei fronte numerosissimus exercitus oppositus est, in maximo versatur periculo, ne à tergo quoque circumveniatur. Nam ubi ante oculos hostis versatur difficulter ad tergum vel latera respicimus; tum strepitus variique clamores quibusvis etiam fortissimis terrorem incutere solent; quilibet enim propriam salutem perpendit, eamque in fortitudine alterius positam existimat. Tum diversæ voces

nunc huc nunc illuc milites in diversum rapiunt, animos suspensos tenent, ordines perturbant, & fortiores etiam timidos reddunt.

Cum igitur acies non semper longius produci queat, ne nimium extenuetur & debilitetur in medio, varia huic inconvenienti remedia à ducibus excogitata fuerunt. Quidam aggeres ad latera aciei ad frontem usque erexerunt, eosque machinis impositis muniverunt. Sylla & Cæsar sæpius hoc munimenti genere usi sunt. Ad Agriam simile quippiam decretum, sed re minus executum fuit. Alij copijs divisis ád utrumque latus subsidiarios in excubias posuerunt. Quidam cornua & alas in lateribus duplicarunt, & plures copias, quam in media acie erant, illuc collocarunt; ut necessitate sic urgente extendere eas & latius explicare possent. Quidam ob paucitatem militum pugnæ locum idoneum elegerunt, cujus oportunitate (vel quod præruptus esset, vel sylvis montibus fluviis aut paludibus consitus ac munitus) unum è duobus lateribus à vi hostili defenderetur; quod in pugnâ Pharsalica & contra Antiochum aliosque plurimos feliciter cessit. Qua in re sciendum, machinis quibus hodie utimur, minùs commode hostem impediri eique noceri posse, & primariam caussam cladis ad Ravennam acceptæ inde dimanasse. Sylla prætet aggeres palos quoque terræ infigi curabat, quibus curruum falcatorum usum hosti adimebat, relictis in acie intervallis è quibus equites & levioris armaturæ pedites durante prælio prorumperent; eoque stratagemate, exiguum licet exercitum haberet, immensum Archelai equitatum vicit.

*Front. l. 2. c. 3.*

*Bell. Gall. lib. 2.*

*Guic. lib. 12.*

Artificia hæc curruum falcatorum & lignorum terræ infixorum commodè nostro tempore adhiberi, & meritò nova excogitari debent; siquidem cum ejusmodi hoste bellum nobis gerendum, cujus potentia vires nostras longe superat.

Quoties

Quoties Hungaricas pugnas cum Turcis commissas altius perpendo & mecum considero, sæpius mirari soleo artes tam parum illibi valuisse: unicum robur & vim in prælijs adhibitam fuisse, quasi brutorum instar solis viribus nec rationibus etiam certandum nobis esset. Huniadem ac Stephanum Battorium solos reperio agminum latera carris muniviss. Ludovico idem fuit consilium datum; & ad Agriam quoque ejus mentio facta sed in effectu non fuit positum. Quin plurimi in Hungariâ ludibrio harum rerum artifices & structores habituri essent, licet nihil quicquam ad eorum rationes refutandas proferre in medium possent. Utinam Germani artium militarium majori cura tangerentur, quo tempori & militibus in expugnationibus parceretur! Fateor non magni momenti rem esse palos infigere aggeresque ducere; sed cum videamus harum rerum usum, ubi justo tempore & locis idoneis adhibitus fuit, utentibus prospere cessisse, à nobis tanquam ineptæ & viles minime sperni debent. *Leon. lib. 9.*

Contra equitatum hostilem permulta sunt artificia, defensiva & offensiva, à veteribus usurpata nostro verò tempore revocata & aucta. Tum etiam quomodo in planitie pedites contra equitatum subsistere & se defendere valeant, nova excogitata sunt stratagemata: sed vilescunt, nisi ex improviso arripiantur hoste nihil tale cogitante; prævisa enim minus nocent & facilè eluduntur.

*VII. Quod sit officium ducum; & quem locum capesse-re in prælijs debeant.*

Proprium omnium belli ducum officium est, salutaria capere consilia. Armorum tractatio ad milites propriè spectat. Scipio ad duellum provocatus, non militem sed ducem se à matre genitum dicebat. Hinc ex veterum Spartanorum judicio, major gloria ducibus qui arte quam qui vi hostem superarunt deferenda: priori ratione partâ victoriâ

gallum, posteriori vero bovem sacrificabant. Constat equidem multos victorias lucratas fuisse, quod duces ipsi præsentes & participes fuerint periculorum; cum tamen vincendi modum minime probandum judico. Illi enim fortunæ debent, quod salvi & incolumes discrimen evaserint; cujus ope si destituti fuissent, maximo suo cum damno insignem ignominiam incurrissent, quemadmodum Vladislao & Ludovico contigisse novimus. Plus igitur ducem prudentia, quam manu certare: milites in ordinibus servandis, in itineribus faciendis, in armis tractandis exercere; imaginariis pugnis ad omnia belli munia fortiter & intrepide subeunda, ad impressiones, ad sustinendum hostilem impetum, ad recessiones, ad militaria imperia excipienda & exequenda assuefacere, conducit. Hinc enim promptiores & cordatiores evadunt milites; siquidem, ut Vegetius dicit, *quilibet audacius illud faciendum aggreditur, quod cum didicit se effecturum putat.* Virtuti enim cum vis conjungitur, propter vinculum mutuum, cautior illa hæc validior in militia existit. *lib. 2. c. 1.*

Primum belli imperatoris in prælio committendo officium est, ut priusquam impetus fiat in hostem, hilari & jucunda facie apud copias pleraſque compareat, brevi sed gravi ac ponderosa oratione officij eos admoneat, honorem & gloriam propriam eis in mentem revocet, patriam denique ac religionem pro qua pugnant eis recommendet: adhortetur eosdem ut ducibus & officiarijs debitam præstent obedientiam, sibique certam & indubitatam promittant victoriam, ob justam belli causam quam defendunt: quod fortitudine & armis longe superent hostium exercitum, qui ex vilissima & inermi multitudine invite & coacte in bellum protractâ constet, qui nunquam superiores nobis exstitissent, nisi confusio nostrorum victoriam eis creasset; nunc malis illis omnibus abundè prospectum & provisum esse, modò

modò obtemperent rectè monentibus: nunquam eos non victuros, dummodo victoriam tanquam unicum omnium actionum scopum sibi certò proponant, & vel vincere vel mori secum statuant. Hæc vel similia duces inferiores suis militibus continuo inculcare & repetere debent.

Tum imperator repetit locum suum peculiarem, in media acie, quo securior & undiquaque prospicere possit, ei destinatum: stipatus consiliarijs & nobilibus rerum peritis qui omnes successus probe intelligant & dijudicent, rectèque renunciare sciant cum ab imperatore ad recognoscendum emissi fuerint. Nec imperator solum suos habeat delegatos, per quos singulis momentis statum pugnæ cognoscet, sed reliqui duces inferiores, cornuum scilicet & alarum, tum vicarij & castrorum præfectus, quid gerarur ei significent vel ipsi referant, centuriones atque tribuni ad duces suos recurrant, quò confusiones vitentur. Imperator tamen ubi necessitas requirit ipse auxilio accurrere laborantibus, & præsens omnia speculari ac cognoscere potest. Conducet ei in loco paululum eminentiori subsistere, ut commodius singula oculis intueri, & rebus dubijs consilium & auxiliũ ferre possit.

Præter imperatorem nemo ducum authoritatem habet quicquam in imperio militari & castrensi decernendi. De pugnis idoneo tempore & loco committendis imperator cum suis consiliarijs deliberet. Decreta concilij omnes strictè observent, & transgressores vel inobedientes sæverissime puniantur. Quod uniuscujusvis sit officium scripto comprehensum singulis tradatur, ut discordiarum confusiones & rixarum caussæ præcidantur. Cunctis ejusmodi munera imponantur, quæ sunt cujusvis officij; ne imperia confundantur: & diligenter in concilio perpendatur, quid cujusque ducis jurisdictio requirat, ne inter officiarios æmulationes oriantur.

Ubi

Ubi igitur pugnâ cum hoste decertare decretum fuerit, castrorum præfectus & tesserarius ad concilium referant acici formam & ordinationem; quo maturè deliberetur, num præscripto modo instituenda, an quippiam in ea immutari placeat. De hac ubi constat, ducibus tribunis centurionibus ac reliquis officiarijs, quem locum capere & tueri debeant, indicandum. Quibusdam cornua regenda committuntur; viris scilicet qui authoritate pollent, principibus & provinciarum rectoribus. Alij peditatui & medio agmini præficiuntur, cujus curam tesserarius plerumque gerit. Turmæ proprios habent chiliarchas ac tribunos, qui eis imperant. Hi omnes quam diligentissime antequam ad manus venitur edocendi & instruendi sunt; quomodo in certamine, in subsidio ferendo, in clade denique ac victoriâ sese gerere debeant.

Legato imperatoris & castrorum præfecto certus locus non est designatus, sed libere hinc inde vagantur, ut periclitantibus undique succurrant, & decretorum executionem procurent. Nec armamentarij tribunus certo loco affixus est. Quæ enim ipsius curæ commissæ sunt machinæ & tormenta non uno in loco hærent, sed varie hinc inde pro situs ratione disposita sunt; quibus semel explosis, diligenter in omnes occasiones attendendum, num promotis copijs denuò hosti machinis noceri & detrimentum afferri queat. Nunquam enim commoditates probe fungendi officio deerunt, qui solerter ijs invigilet. Cornuum & agminum ductores locum intermedium tenent militibus undiquaque circumstipati; sed urgente necessitate ipsi accurrant ubi periculum eorum præsentiam requirit, vicario cuipiam jurisdictione delegata; in his auctoritas potius, ut decreta & mandata recte perficiantur, quam exacta rei bellicæ scientia requiritur.

Tribunos

Tribunos & centuriones, quibus rerum ac consiliorum executio commissa est, inprimis decet prudentia, qui nisi officio suo recte fungantur, nihil proderit imperatori cuncta suo ordine recte disposuisse & salutaria de rebus agendis consilia cepisse. Fieri enim non potest, ubivis locorum semper ille præsens adsit ad frenandam audaciorum temeritatem, confirmandos remissiores ac timidiores, instruendosq; imperitos. Ubi copiosus est exercitus difficilius sane hoc fieri possit. Unde imperatori meritò adscribuntur errata bellica posthabitis ducibus, quorum tamen culpa ut plurimum evenire solent: siquidem penes ipsius stat arbitrium ejusmodi duces ac tribunos militibus præficere qui apti & idonei sint ad munus tam grave ferendum. Secus tamen statuendum, cum imperator belli hac potestate destituitur; ut fieri solet in copijs auxiliaribus, cum penes exteros Principes, qui mittunt auxilium, officiorum distributio consistit. Eæ enim copiæ non alios quam proprios duces recipiunt. Hoc casu merito parcendum imperatori, & clades authoribus suis, ducibus scilicet copiarum, imputandæ sunt. De successu belli anno præterito gesti, Historicorum erit veritatem scribere & ad posteros transmittere. In certamine centurio vel tribunus medium inter primipilos locum obtinet; ei reliqui officiarij adstant; ipse omnes occasiones perspicit, & à tergo ac latere commode imperare potest. Ejus imperium vicarius â tergo excipit & ad reliquos transfert.

A latere & in novissima serie periti quidam & authoritate præditi duces subsistunt, militibus quibusdam strenuis comitati; eum scilicet in finem in primis illuc positi, ut quosvis trucident sinu respectu, qui propter aliam quam hostis occidendi causam ordines deserunt. Pœna quoque severissima ducibus proponenda, in quorum agmine prima confusionis causa datur. Prius tamen in exercitu publicandum, hoc

non fieri, ut de fortitudine militum strenuorum dubitemus, sed verendum, ne inter eosdem nonnulli abjecto & timido animo præditi lateant, quibus potius curæ sit fugæ & latrocinij quam pugnæ certamen inire; cavendum igitur ne horum culpâ ruina optimorum militum & totius exercitus proveniat, & eorum exemplo alij quoque seducantur. Quin (si ita videtur commodum) singuli quoque milites adhortandi & instigandi sunt, ut socios quos fugam meditari vident occidant, ejusque rei certa occisoribus præmia, ac si quempiam ex hostibus interfeciissent, proponenda sunt.

Novissimo agmini turmæ quædam equitum adjungendæ, quorum curæ sit hinc inde perpetuò vagari & excurrere, ut equites recte in ordine contineantur, transgredientes vero sine ullo respectu continuo occidantur. Quilibet enim firmiter subsistere debet, quousq; primipili centurio & reliqui officiarij, qui maximis periculis sunt expositi, perseverandum in acie statuunt. Quod si hoc supplicium homines abjectissimos & timidissimos in officio continere nequeat, cogitent illi, periculum ab instante hoste se nunquam evasuros. Quod nunquã incurrent, si cum reliquis audacter in prælio perdurent, nec eandem cum cæteris fortunam subire dubitent. Subsidiariorum dux dum vacat à certamine, & ipsius operâ pugnantes non indigent, aciei statum diligenter eminus perlustret, suos de prospero successu certiores reddat, errores & damna mitiget & extenuet, in reliquis suo officio probe fungatur.

*Hæc præcepta, aliaq; magis generalia, ubi recte in bello Hungarico observentur, non dubitandum quin eventu magis prospero pugnas cum hoste commissuri simus. Bonum enim ordinem ipsa fortuna semper comitari solet. Quo dextre observato, haud eris difficile Turcam vincere, qui hactenus cunctis invincibilis visus est.*

Anonymi

Anonymi cujuſdam

# DISSERTATIO DE STATV IMPERII TVRCICI, CVIVSMODI SVB AMVRATHE III FVIT: DEQVE EIVS EVERTENDI MODO.

*QVAM*

EX ITALICO IN LATINVM TRANSTVLIT

IAC. GEVDER AB HEROLTZBERGA.

DE STA-

# DE STATV IMPERII TVRCICI, CVIVSMODI SVB AMVRATHE FVIT, ET DE MODO EIVS EVERTENDI.

IN bello quod nuper in Persia gestum est Turcicus Imperator jacturam sexcentorum millium hominum fecit, præterquam quos pestis nuper Constantinopoli absumpsit; viros consilio graves, authoritate & rerum experientia præditos amisit. Indies fere Chiausii seu nuntij ab aula in diversas Imperij provincias ablegantur, qui militem cogant: etiam loca maximi momenti sæpius præsidijs denudantur, quod in bellis præteritis ad annum usque 1585 non fuerat tentatum. Sed cessit necessitati consuetudo & mos antiquus. Aprili proximo nuntij Constantinopoli comparuerunt, qui è Vallona & Gianina, Morea seu Peloponeso, & Dalmatia seu Illyrico & Hungaria præsidiarios avocarint. Quod manifestissimum signum est penuriæ hominum & incolarum, amplissimum licet & vastuosissimum sit Turcicum imperium. Id alio quoque argumento confirmatur. Cum proximo Septembri Ucchialy cum viginti duabus triremibus Pontum Euxinum superaturus esset, milites quibus classem instrueret fere nusquam reperit, sed eam multitudine abjectissimorum & vilissimorum hominum complevit. Plurimi Græci inviti & coacti ad remos fuerunt relegati. Octobri sequenti multi Agiamaglani in Janizarorum numerum fuerunt recepti: qui paucitate annorum à militiâ illâ liberâ, & quæ magnam experientiam quondam requirebat, arcebantur. Eodem mense edictum fuit propositum, ut quicunque officium vel munus ambiret, ab Osmanno, tunc belli imperatore,

ratore, in castris id obtineret; aliter impetratum irritum habitum iri. Quin & Janizarorum ordini fuerunt adscripti Turcæ nati; idque contra morem & consuetudinem aulæ Ottomannicæ, quæ præterquam renegatis nullis alijs nisi ex singulari favore locum in eâ militiâ dabat. Hoc anno in Martio mense cum stipendia militibus persolvebantur, Spachi rebellarunt; in bellum amplius proficisci recusantes, Imperator ipse nisi militiæ interesset. Horum furori Amurathes cedere coactus decrevit, ne aulici amplius in bellum nisi præsente Imperatore traherentur, sponte ni militare vellent. His diebus Archiducales Croatiæ locum Ochozanchi nomine ceperunt, Vscochi vigiliâ Johannis Baptistæ suburbium urbis Broazzo exusserunt, utrisque pauci restiterunt. Namque Spachi in suis confiniis non excubant, & habitatoribus atque incolis provinciæ vacuæ sunt. Nec militum solum est raritas, sed inprimis viri consilio prudentiâ & bellicâ arte præstantes desiderantur. Imperator vitam otiosam in matris sinu in delicijs gynæcei degit, usu & experientia rerum prorsus destituitur: consueta Turcis arrogantiâ præpollet; morbo caduco nonnunquam laboravit, unde cerebrum illi læsum credimus, ut præcipitanter & non præmeditate sæpius decreta sanxerit pernitiosissima, quæque in summum illi detrimentum vergebant. Id videre fuit, cum anno 1579. omnes Judæos qui Constantinopoli vivunt mortis supplicio addixit. Anno 1584 Christianos hac ratione è medio tollendos decrevit. Priores impetum ejus & indignationem declinarunt largiter & profusè numeratâ pecuniâ Sultanæ matri & Janizarorum Agæ. Et sententia illa in vanam legem transiit, ut nimirum Judæi pro Turbante, usitato Turcis capitis tegumento, eo genere pileorum uterentur, quem Medici Judæi antea soli usurpaverant. Christiani præsentissimum evaserunt periculum, quod nulla arma in ipsorum ædibus

reperta fuerint, ut ex falsa delatione Amurathes suspicatus fuerat.

Ex his quæ diximus apparet, potentiam Turcicam indies declinare & assiduis illis ac diuturnis bellis imminui. Ad eam penitus evertendam, nihil aliud quidem quam concordiam Principum Christianorum requirimus. Cogitent saltem, quæ damna indies percipiant; quæ pericula immineant; amœnissimam ac felicem urbis Constantinopolis sedem ante oculos ponant. At facilius voto & cogitatione confœderatio & societas inter Principes, similis proximæ, concipitur, quam revera in effectum ponitur. Nos ab ijs Principibus qui periculo proxime sunt expositi ligna duntaxat milites, frumentum & pecuniam requirimus: ut mediocris potentia colligi & in hostem duci possit. Successus felices propter incommoda quibus Turcæ premuntur speramus; cujusmodi alio tempore vix longe majoribus viribus contingent.

Quicunque igitur bello Turcas aggressurus est, tria inprimis ponderanda sibi proponet.

1. Ut expeditionem quampiam certam & finitam secum decernat.
2. Ut constet numerus militum & reliquus apparatus quibus eum perficere possit.
3. Ut compertum habeat, unde hos apparatus habere possit & conquirere debeat.

Hæc postrema consideratio Imperatoris belli propria est; cui incumbit de omnibus diligenter prospicere. Id illi soli discutiendum relinquimus: nos brevitatis causa de prioribus loquemur.

*Priorem* quod attinet nulla unquam expeditio magis ce-
I. lebris, plusque laudis minusve periculi habitura esset quam Constantinopolitana, Africanis Illyricis & Græcis urbi-

bus

bus omnibus posthabitis. Illius situs plus beneficij, quam facinoris gravitas terroris, ad expugnationem conferet. Hæc urbs intra duo freta posita est: alterum versus ortum ad Pontum Euxinum Bosphorus Thracius dicitur: alterum versus occidentem ad mare Ægæum Hellespontus vocatur. In vere & æstate naves Alexandrinæ oryza onustæ per Hellespontum Constantinopolim navigant; ibique exoneratæ per Pontum Euxinum in Asiam permeant, frumentum in eandem urbem reportantes. Quod si Christiana classis intra hæc duo freta consisteret, has naves facile impedire vel deprædari, denique etiam imperium maris sibi vindicare posset. Quæcunque alia classis nihil nostræ officiet. Navale enim Constantinopolitanum navibus vacuum. Nec ligna in promptu habentur. Unde naves construi possint, unde à Constantinopolitana classe nihil periculi incumbet. Quæ naves Trapezunte adduci vel ibidem fabricari possunt, tria obstacula & incommoda habent. 1. Quod naves ex recens secta materia & ligno modò cæso ædificatæ ad navigationem inutiles sint. 2. Etsi aliquem usum haberent, tamen in illo littore Asiatico nulli remiges, nulli milites, qui imponantur classi, reperiantur. Remiges enim mancipia si quæ vel Constantinopoli vel in Barbaria conquiruntur, vel rustici Europæi coacti ad remum relegantur. Ut classis hostium nova nec armis nec milite probe instructa nunquam nostram aggressura vel in fretum intrare ausura sit, si nostra ibi in statione maneat & mari dominetur. Eandem ob causam neque Afri neque Asiatici & Orientales obsessis subsidio venire poterunt. Sed danda inprimis opera, ut classis nostra mense Aprili & Majo parata & in procinctu sit: ne tempus & commoditates aliæ ad expeditionem plurimum conducentes amittantur.

In hunc modum obsessa Constantinopoli, non diu quæ

ad

ad victum necessaria incolis suppetent; commeatus enim fere omnis per Hellespontum infertur; nec ullum huic negotio impedimentum adferet Heraclea, Silicerna, Perinthus quæ Rodoslo vocatur, Palermo quæ Panormus dicitur, & Marmora. Namque Marmora & Palermo à nostra classe prohibebuntur: quod illa in insula, hæc in Asia sita sit. Tres priores in littore Europæ positæ, navigationis usu destituuntur. Quod si frumentum carris vel vehiculis in urbem deferre vellent, magna equitum multitudine ad arcendum nostrum exercitum (de quo postea dicemus) opus habebunt. Quin potius, quicquid commeatuum erit hæ urbes ipsæ reservabunt, cum pauperes sint & nullius fere momenti. Si igitur undique prematur Constantinopolis, credendum illam brevi à plerisque desertam iri. Id quoque in considerationem venit, quod ibidem ultra ducenta millia Christianorum & Judæorum reperiuntur, qui Turcis infensissimi libentius Christianorum quam hostium imperium susceperi. In ejusmodi vero confusione nihil minus verendum quam hos quieturos esse. Quin potius certo credendum, eos pro virili communem causam adjuturos, maxime si armis instruantur.

Hæc de spe prosperi successus hujus expeditionis dicta sufficiant: reliqua ad potentiam & robur bellicum spectant. Turcicum Imperatorem, rebus sic stantibus, validum exercitum educere posse minime quidem credimus. Id tamen si fieret, paratum est remedium quod omni metu nos liberat. Nam à quacunque parte Turcicus exercitus ad fretum accedet in ea subsistere cogetur, quia ad alterum latus, terrâ firmâ concedere nequeat. Equitatus trajici non potest, nisi multis defixis palis pons struatur. Id genus ædificij longo tempore & apparatu indiget, & facillime à nostris navibus disturbari potest. Contra exercitus noster libere poterit

vagari

vagari in eo littore ubi nullus erit exercitus hostilis. Liberum enim nostris mare relinquitur ab omni parte. Impedita igitur navigatione commeatus nullus Constantinopolim inferri poterit. Neque annonæ comportandæ facultas commodior erit, si terrestres copias habeat; quod nulla ratione fieri possit, ut hoc tempore alium domi, alium in Persia, denique & Theodosia (quæ Caffa hodie) alium exercitum alat.

De modo ingrediendi Hellespontum quæritur, quod illa duo castella quos Dardanellos vocant ad defensionem ejus freti & prohibendum aditum extructa, tormentis bellicis munita & in ipso fere mari posita sint. At sciendum eadem facilitate & temporis spatio utrumvis horum occupari posse, quo copiæ in terram exponuntur. Quod si alterutrum eorum equitatus hostilis defendat, alterum eo præsidio carebit, quod mare interluat equitibus insuperabile. Ea quoque potentia Turcæ nunc plane destituuntur, ut præter priores alium insuper in Asiam alium in Europa exercitum, qui nunquam conjungantur, sustineat. Et uno quidem castello capto classis tuto transmitti potest, ne ex altero tormentis infestetur. Alia insuper stratagemata nocte dieque deducendi exercitus excogitari queunt. Sed de Dardanellis susius dicendum. Hæ duæ arces antiquo more & forma ædificatæ, uno saltem & quidem simplici muro, nullis aggeribus nullis propugnaculis munitæ, nec magnæ sunt nec recte custodiuntur. Asiæ Dardanellus quadrangularis est, in planitie littoris situs, ubi facillime cuniculi agi possunt. Europæus ovali figura constat, positus ad rădices montis qui illi totus imminet & dominatur. Nec in summo culmine propugnaculum ullum est. Muri plane similes prioribus. Mons non è saxo sed terra & arena constat ut plurimum. Pauci præsidiarij sub præfecto & tormentorum magistro ibi excubant. In eo summa negotij

totius vertitur, ne in easdem insidias incidamus quas hosti struimus; commeatu scilicet & rebus ad victum necessarijs ut classis destituatur. Ante omnia frumenti insignis copia concervanda, panis biscoctus parandus, isque iisdem navibus quibus milites vehuntur imponendus. Quod si bellum longius protrahatur, in Candia vel Tinâ Venetorum insulis granaria instituantur, & rerum omnium provisione instruantur. Quod si hæ nimis remotæ à belli sede videantur, earum vicem supplebit Marmora: quæ in ipso freto sita, facillime capi & muniri potest. Expedier quoque ut præter arma quibus milites nostri utuntur alia circumferantur, quæ inter Christianos dividentur; si qui pertæsi tyrannidis nobis se conjungere & ab hoste secedere velint. Constat in bello nuper gesto Græcos Peloponesiacos rebellasse, eosque Archiepiscopum in Italiam ad arma comparanda misisse. Celanda quoque expeditio est & diversus rumor spargendus, vel de Africa infestanda vel alio loco oppugnando, & conformia quædam negotia instituenda, quæ rumorem illum comprobent.

II. Nunc de bellicâ potentiâ, quâ hæc expeditio tentari & perfici possit, videndum. Hoc tempore, quo exhaustæ sunt Turcarum vires, longe minor requiritur, quàm si integræ starent; ubi potius erit defensioni inniti, quàm hostem lacessere & irritare. Primum quadraginta millia peditum & duo millia equitum ad hanc expeditionem sufficere putamus. Hic exercitus semper in acie longa & protensâ procedat, & à mari nunquam longius abeat. Vbi situs locorum collibus distinctus, ei propugnaculi & munimenti instar contra hostilem equitatum erit. Secundò classem centum triremium (quas Galeras vocant) requirimus; easque naves ita comparatas volumus, ut quovis tempore quocunque locorum appelli & deduci possint. His aderunt quoque naves, quæ militem transpor-

ſportabunt; pro quarum parte decem navigia ejus generis, quæ vulgo Galeazze vocant, inſtruenda cenſerem, quorum uſus commodiſſimus eſt ad hoſtis impetum excipiendum, ad fugiendum vero & inſequendum parum conducuut. Belli ſumptus quod attinet, quatuor auri milliones toti huic expeditioni ni fallor ſufficient, ſi modò bonâ fide pecunia conferatur & expendatur. Pedes ſingulis menſibus quinque coronatos accipiet; quod uno anno ſummam duorum millionum & quadragintorum millium coronatorum facit. Ad equitatum alendum ſedecem millia coronatorum unoquoque menſe requiruntur. Vnde ſumma unius anni pro equitatu nonaginta duo millia coronatorum facit. Triremis quælibet decem millibus coronatorum uno anno conſtabit; unde totæ claſſis millione & ducenties millibus coronatorum opus habebit. Reliquæ naves & decem Galeazzæ trecentis & quinquaginta millibus coronatorum conſtabunt. Summa igitur omnium ſumptuum hujus expeditionis pro anno uno facit 41420000 coronatorum.

Quod ſi ad optatum finem expeditio produci nequeat, id ſaltem, quod fieri poteſt intentatum relinqui non debet. Hoſtis inprimis exagitandus & moleſtandus eſt, cogendusque ut duos exercitus in tres dividat. Quod fiet ſi Archiduci Carolo pars pecuniæ conferatur, qui ſuos ſubditos ab una parte ab altera Vſcocchos in hoſtem immittet, & paulatim aliquid territorij ſub prætextu privatarum contentionum & incurſionum ei eripiet. Vſcocchorum hodie ultra duo millia numerantur, eorum dux Georgius Meſuh vocatur; nullus eſt qui in prælio contra Turcas quatuor virorum vicem ſupplere nequeat. Pax enim inter Auſtriacos & Turcas rupta nullo modo intelligitur, niſi machinæ & tormenta bellica proferantur. Proximis an-

nis impune ipsemet Budensis Bassa cum multis aliis in velitationis certamine perijt, nec quisquam eam cladem vindicavit. Regiones per quas iter exercitui foret Turcis subjectæ passim Christianis hominibus incoluntur, qui natura robustissimi & Turcis infensissimi sunt. Odii causa non tam dicenda misera illa servitus, qua fere opprimuntur, dum quotidie à Timariotis bonis omnibus spoliantur multisque insuper plagis afficiuntur; quam quod singulis annis liberos sibi charissimos vi rapi & vanissimæ superstitioni Mahumetanæ mancipari proprijs oculis intueri coguntur. Eodem momento pars triremium, siquidem otiosæ quædam sint, in plagam orientalem emittenda foret, ad deprædanda loca maritima & disquirendas naves, quæ Constantinopolim petent. Quin & Romanorum Imperator & Poloniæ Rex aliique Principes & dynastæ, si fieri possit, ad id bellum pertrahendi essent.

AVGE-

# AVGERII GISLENII BVSBEQVII LEGATI CÆSAREI AD SVLEIMANNVM TVRCARVM TYRANNVM

## *EXCLAMATIO SIVE*

# DE RE MILITARI CONTRA TVRCAM INSTITVENDA CONSILIVM.



Captis à Cyro Persarum Rege Sardibus, cùm ea urbs diriperetur maltaque passim cædes fieret, memoriæ proditum est, unum de Cyri militibus in ipsius Lydorum regis Crœsi cubiculum penetrasse, ignarumque quis esset, stricto gladio mortem ei asserre voluisse: qua re commotum puerum Crœsi filium, qui aderat, ad id tempus mutum & elinguem, soluto derepente linguæ impedimento clamorem sustulisse, eaque primum verba protulisse, quibus militem ab occidendo rege deterreret: ita pietatem in patrem & periculi magnitudinẽ sermonis potentem fecisse eum, cui usum ejus ad id tempus natura negavisset. Atque haud scio an mihi, quanquam in re dissimili, simile quiddam usu veniat: ut quem pietas dicendi rudem & imperitum, & qui publice verbum nullum umquam fecerim, diutius mutum esse non patiatur, sed in gravissimo patriæ discrimine vociferari & exclamare cogat: non ut hostem ejus jugulo ferrum intentantem deterream (neque enim id ejus immanitas patitur) sed ut eam moneam ut sibi caveat, & simul cives meos commonefaciam, ut dum tempus est ei opem ferant & saluti ejus consulant.

Nam (Dij vestram fidem!) quid hoc, malum, infelicitatis? quæ hæc miseria est? Sævissimus hostis Turca, innumeris penè gentibus devictis, per tot regum regnorumque stragem atque cadavera ad nos iter sibi patefecit, patriæ nostræ jugulo mucronem admovet: neque tamen commovemur, aut saluti ejus consulimus. In urbe si quod ortum est incendium, nemo est qui non relictis rebus ad restinguendum concurrat, qui non pro viribus opem ferre conetur. At nos qui patriæ cives amantes haberi volumus, in tanto ejus periculo ociosos duntaxat & inertes spectatores nos præbemus; nec ejus aspectus turpissimè deformandus, non sacra, non religio mox abjuranda, non conjugum & libero-

berorum tacitæ voces, ne se in fœdissimam servitutem abripi patiamur deprecantium, commovent. Ignavissimum quodque animal ubi prolem periclitari sentit nulla vi retinetur; per ferrum & flammam opitulatum ruit. Contra nos viri fortes, posteritatem nostram nefariis hostibus ad omnem injuriam & turpitudinem, ope nostra destitutam, prodemus? Nam quæ reliqua nobis spes, quod columen, quod præsidium? Num in ejus hostis bonitate atque clementia spei aliquid reponemus: qui postquam ex suis latebris erupit humani sanguinis rivus fluere nunquam destitit? An in ejus æquitate & moderatione? qui pacem qui fœdera nunquam pili fecit; apud quem nullæ valent communes reliquarum gentium leges; quem nullus pudor nulla honesti ratio continet; qui fidem qui jusjurandum homini Christiano datum violare, ubi rationibus suis conducit, non modò nullum nefas verùm etiam pium & sanctum putat; quem in nos profana stimulat religio, armat majorum æmulatio, regnique propagandi cupiditas; rapit denique sacra & inexplebilis bonorum nostrorum sitis. Nam totâ quidem nos erramus viâ, si aut patientiam nostram, aut injuriarum oblivionem, vel tantillùm ad securitatem nostram profuturam speramus. Quò nos modestiores, quò pacis atque pactorum, quoque æqui & boni observantiores ostenderimus, eò magis in nos ejus hostis insolentiam provocabimus: qui hæc omnia non virtuti non bonitati nostræ refert acceptà, sed timiditati sed ignaviæ sed desperationi rerum nostrarum imputat. In hoste non est quod spem ullam collocemus, in nobis si nulla est. Neque sanè restat aliud, quàm uti solent homines judicum sententia morti addicti, ut placidè ad supremum casum nos componamus, & tanquam clausis oculis ferrum in præcordia recipiamus: nisi fortè vires aut fortunam ei defuturam putemus, quem ex ignotissimo, tot victoriæ tàm terra quàm mari brevissimo temporis spatio partæ, tantoperè nobilitarunt quo

velut

velut igne à parvis initijs orto omnes jam ferè totius orbis terrarum partes conflagrarunt: quem bellis fracti reformidant Orientis populi, Assyrij Persæ atque Armenij: cujus vim atque arma ipsi quoque Scythæ sæpè jam senserunt, & qui suis ex altera parte caloribus tuti esse poterant Æthiopes. Nam de nostra Europa quid dicam? Captum vidimus Belgradum, obsessam Viennam, & prædas Linzio usque hostiliter abactas. Tantos progressus ad nostram perniciem, præter alias victorias, unus Sulcimannus facere potuit. Nostrorum regum est pro terræ cespite ab stirpe ultima ad seros usque nepotes inter se bella continuare: Othomannorum singuli (utinam ne tam verè quam dolenter dicam!) suis victoriis regna regnis semper accumularũt: ita ut quicquid olim florentissimæ nationes imperiis suis complexæ sunt, Assyrii Persæ Macedones Romani, soli jam suâ ditione continuasse videantur. Et nescimus adhuc quo versemur in periculo? Quod mare, qui montes, quæ solitudines, aut qui populi in medio relicti, quorum præsidio nos ab horum injuria tutos fore speremus? Amissa, prostrata omnia. Hærent in cervicibus nostris, quos procul perhorrescere debemus. Patriæ sanguine atque ultimo spiritu litandum est hosti cruentissimo. Nam ne id quidem solatium relinquitur, quod ferè solet in gravissimis mortalium cladibus, ut cùm bona spe simus hæc mala non fore diuturna. Sæpè quidem Barbaræ nationes, multis provinciis, tanquam subita aliqua procella, gravem calamitatem intulerunt. Sic Gothi, Wandali, Alani, Hunni, Tartari multas regiones inundarunt, magnisque cladibus affecerunt: quæ tamen eò tolerabiliores videri potuerunt, quod certa spes perpetuas non fore relinqueretur. Itaque postquam illa veluti tempestas præterierat, quæ afflicta imò penè deleta videbantur mox recreata revirescebant. Sed hic hostis ea est vigilantia, eam servat disciplinam, ea utitur in conservandis iis quæ sibi adjunxit ratione,

ta regnat ac dominatur; ut ubi semel vestigium fixerit inde se moveri nunquam patiatur, nunquam se attollat seges quam semel illa calamitas depresserit. Adeoque difficile dictu videtur, sit ne in acquirendo acrior, an in tuendo quæ acquisierit firmior atque validior. Tanto igitur in periculo positi, cur non consulimus in medium? cur non molimur? cur non omnia tentamus? cur stupet in nobis ingeniosa illa necessitas admirabilium effectrix operum? Feras equidem videmus extremo casu deprehensas quàm multa pro sua libertate fortiter conentur, nihil non audeant, omnia periclitentur, si quam fortè evadendi viam invenire possint, neque antè cessent quàm vitam unà cum sanguine profundant.

Sed hîc fortasse dicet aliquis: Quid est ergò tui consilii? Nam præsentem rerum statum deplorare, de periculo atque imminentibus malis declamare, cuivis facile est: remedio est opus: id exquiritur: de eo dic si quid habes. Dicam, & quidem paucis. Armis opus est: opus est armis: contra vim atque arma sine armis fieri nihil rectè potest. Horum præsidio salus patriæ munienda, aut nobis omnibus ad unum pereundum: nullum hoc verius oraculum. Sed Dii meliora! Arma capessamus potius. Quæ quidem non intimis terræ visceribus abdita latent (&, si laterent, magnâ quavis molitione eruenda essent:) neque aliunde procul ex ultimis terris arcessenda, sed sunt parata, sunt in promptu, sunt si velimus in manibus. Nascuntur etiamnum apud nos viri: est copiosa juventus, bello apta, pro patria pro aris & focis sanguinem fundere parata. Non equi, non ferrum, non aurum, non opes, non machinæ tormentaque, non reliqui ad bellum apparatus desunt. Omnia quæcunque ad res magnas & suscipiendas & conficiendas requiruntur nobis largâ manu suppeditavit divina benignitas: modò ne sumere recusemus. Voluntas, inquam, nostra & manus tantum desiderantur. Quas maturè

turè admoveamus, dum justæ adhuc vires supersunt; antequam debilitata ruant omnia. Alioqui serò & nequicquam consilia prætermissa respectabimus; nobisque idem eveniet, quod ægrotis: qui dum tempus est & vires sunt integræ ad medicinæ mentionem nauseant, neque possunt ulla ratione adduci ut salutaribus in tempore potionibus utantur, sed ubi oportunitas præterijt morbusque adeo invaluit, ut debilitatis viribus medicamento non sit locus, frustra medie fidem neglectaque remedia requirunt. Quorum exemplo nobis cavere debemus, & antequam pluribus illatis vulneribus hostis planè nos conficiat, dum plaga nulla lethalis est, dum nondum omnis profluxit sanguis, remediū in tempore adhibere, hoc est arma expedire, totosque nos ad defensionem comparare. Quæ meditantes atque agentes Deo rite supplicabimus; eumque preces nostras haud aversaturum meritò sperare poterimus. Quòd si per simulationem pietatis inertiæ nostræ velificari volemus, & malè quæsito compendio à Deo sine opera sine studio sine labore nostro impendentibus malis opem solis precibus impetrare, ne ille injustæ petitioni nostræ se haud facilè æquum præbebit. Ipsi inprimis nostro fungamur officio, & partes diligentiæ constantiæ virtutis & fortitudinis in hunc potissimum usum ab eo nobis datas impleamus: Nisi aret serat ac metat agricola, frustra à Deo copiosam messem postulet. Certum in istis rebus inferioribus ordinem statuit Deus, quem haud temerè neglectum vult; labori diligentiæ assiduitati solertiæ virtuti multa præmia proposuit, quæ negavit inertiæ. Vis scire litteras, Musicam, Astronomiam, Mathemata? disce, labora, nervos contende: hæc ocioso tibi nullum inspirabit numen: per eam viam eosque gradus quos Deas posuit tibi persequenda sunt: instrumenta ad ea consequenda, modò tibi ne desis, largitus est; ea adhibe, iis utere: dabit ille benedictionem & incrementum. Vis rueri patriam, hostem profligare, potiri victoriâ?

ctoria? non hoc consequêris sedens, non iners, non otiosus: insurgendum est, arma capienda, tractanda, adhibenda exercitatio. Assuescendum est labori soli pulveri siti atque inediæ. His armatus atque instructus divinam opem implora: atque ita bonæ spei plenus procede in aciem. Munere tuo functus es: iis instrumentis quæ tibi Deus dedit ritè usus es: servasti ejus ordinem; neque positas ab eo leges contempsisti, rei exitum piis precibus vitæque integritate ejus clementiæ & bonitati commenda. Non est nostri arbitrij neque facultatis victoria; sed Dei solius beneficio contingit: cujus tamen non legitime neque ordine petentem haud sæpè compotem fieri videmus: & si secus quandoque fiat (quod sanè fit rarissimè) id tribuendum est miraculo. At nos Deum tentare non debemus, neque temerè quicquam conari. Nec malè, meo quidem judicio, Cato apud Salustium, Senatum adhortatus ut contrà Catilinam arma capiat, his verbis utitur: *Scilicet res aspera est: sed vos non timetis eam, imò vero maximè; sed inertiâ & mollitiâ animi, alius alium expectantes cunctamini: videlicet diis immortalibus confisi, qui hanc rempubl. sæpè in maximis periculis servavêre. Non votis neque supplicijs muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo, prosperè omnia cedunt. Vbi socordiæ te atque ignaviæ tradideris, nequicquam deos implores; irati infestique sunt.* Nos ergo, quod est partium nostrarum exsequamur; eodemque tempore non injustis precibus divinam opem atque misericordiam imploremus, armati in castris in opere atque negotio.

Sed occurritur mihi à bonis atque prudentibus viris; istam publicæ calamitati medendi rationem aliquoties tentatam minùs feliciter evenisse; nosque, quoties ad arma & manus cum Turcis ventum sit, inferiores discessisse. Audio: neque nihil est quod dicitur: atque eò ut veniremus, hæc ferè mihi erat instituta oratio. Armis (inquis) contra Turcam hactenus parum profecimus.

cimus. Esto. Sed quibus tandem armis? Hoc expendere & in eo aliquantum morari est operæ precium. Cùm Turca fines nostros infestaret, aut cum numeroso exercitu ad nos ascendere nuntiaretur, dedimus operam ut nos quoque copias cogeremus. Sed quas copias? quem militem coëgimus? num veteranum? num eum, cujus virtutem multis jam antè documentis cognitam habebamus? quo vincere consueveramus? Non opinior, sed potius huic dissimilimum. Pulsata longè lateque tympana: ad eorum strepitum convenêre lucelli spe quibus visum est: Tertius fortasse quisque quilorică aut thoracem numquam induerat, nec hostem vel à belli limine salutarat. Reliqui quales? homines luxu perditi, decoctores, ganeones, aleatores, obærati, exsules, atque his similes (paucis exceptis) ferè reliqui: quos eò perduxit non patriæ caritas, non æquitas causæ, non religionis studium, non amor exercendæ virtutis, sed ebrietatis, aleæ, rapinarum, sacrilegiorum, stuprorum, & (ut uno verbo dicam) scelerum & flagitiorum omnium impunitas atque licentia. Cum hujusmodi turbâ nullo delectu collectâ, vel potius cum fece perditorum hominum, Deo pariter atque hominibus invisorum, contra tantum hostem, sactum videlicet auspicamur bellum. Itaque non tam militum conventus, quàm Bacchanalia, nostra castra videri possunt: ubi luxuria, corruptelis, libidine, impietate, crapula, tumultu, rixis, atque cædibus strepunt & permiscentur omnia. Hic tamen tàm bellus miles, magnis impendiis procul est è suis sedibus excitandus: magnâque cum jactura temporis, ubi etiam res summam celeritatem exigit, perducendus. Fortem & assuetum laboribus Hannibalis militem Campaniæ luxus & deliciæ fregerunt: nobis nullâ opus est Campania; imbelles enervati perditi in castra venimus. Itaque si hostis desit, mora paucorum mensium, aut caniculæ fervor, aut primorum frigorum morsus, quantumvis magnas copias nostras

ſtras mactant & jugulant. Et nos miramur, cum hoc tali milite nihil nobis contra exercitatiſſimum hoſtem procedere? Si quas privatim paulò periculoſiores ſimultates gerimus, aut per loca latrociniis infeſta nobis fatiendum ſit iter, non temerè niſi ſpectatiſſimis comitibus corporis noſtri cuſtodiam committimus: ſed nec ſi gravioris quicquam negotij incidit id niſi hominibus experientibus & peritis mandare ſolemus. Hîc ubi tanta res communisque omnium ſalus agitur, tam ſumus negligentes, ut copias non modò non idoneas, ſed jam penè profligatas antequam in aciem producantur, hoſti tot victorijs claro obiicere non vereamur. Revertor itaque eò quod initio dixi: aut idoneorum armorum præſidio publicam incolumitatem tuendam, aut nullam rem relinqui, quæ nos ab univerſo exitio vindicare poſſit.

Quem igitur militem requiro? Noſtrum inprimis; in noſtris ſedibus natum; de noſtris popularibus delectum. Nam cùm in rebus bellicis plurimùm valeat celeritas, eaque vel maximè contra Turcam hoſtem expeditiſſimum neceſſaria ſit; milite opus eſt eo qui non procul arceſſendus diuque exſpectandus ſit, ſed ſit in promptu & tanquam ad manum ſemperque noſtræ poteſtatis. Atque hunc non temerè, neque caſu oblatum, ſed percenſitis omnibus qui arma ferre poſſunt, magno judicio delectum. In quo maximè cavendum, ne is eligatur qui molliori cultui atque victui aſſueverit; aut quem prava educatio vitiis infecerit, aut fregerit otium; ne vecors ne inſanus ne contumax ne turbulentus ne ſeditioſus: ſed ſit adhuc à delicijs integer, aptus tolerando labori: & cum bono corporis habitu, tùm verò qui ſimplicitatem animique magnitudinem quandam toto vultu atque omnibus oris lineamentis præ ſe ferat ac ſpiret. Qua de cauſſa, arti alicui laborioſæ quàm ſedentariæ aſſuetum, ruſticum quàm urbanum, in monte quàm in pla-

planitie, in re tenui quàm in mediis divitiis, natum malim. Hunc ita ef[illegible]tum militaribus præceptis armorumque scienti à erudiri velim. Armatus hastam vibrare & versare, gladio item & minore bombarda scienter uti, servare ordinem, & sub armis ad multum spacium decurrere consuescat: veram laudem appetere flagitium pejus letho odisse, pietatem colere, & ab omni in Deum verborum contumelia sibi temperare, discat. Idem dicto audiens sit suo duci, ejusque animadversionem patienter admittat: in hostem ferox, in commilitonem lenis & tractabilis: victus parsimoniâ neque crapula neque ebrietatis suspicioni locum relinquat: postremò suo stipendio sit contentus, atque ab omni præda præterquam concessa se abstineat. Hujusmodi disciplina informari militem oportere dico, qui contra tantum hostem possit consistere. Neque tamen eum statim in aciem produci, aut de summa rerum tyronem cum veterano velim decernere: sed in stativis præsidijsve eum collocari, & excursionibus levioribusque prælijs paullatim in belli consuetudinem venire. Qua ratione vulnus pati, hostis conspectum ferre, & timorem, quem omnis novitas afferre solet, sensim deponere, consuescat. Hoc ita instituto & confirmato, non contemnendum gradum ad spem melioris fortunæ factum affirmare audebo. Quare in eo vel potissima laboris & curæ pars ponenda: ut homines armorum & rei militaris peritissimi coniquirantur, à quibus ij quos dico tyrones veris & germanis disciplinæ militaris præceptis formentur. Hos summa virtute continentia & sobrietate præditos, nullis avaritiæ sordibus contaminatos requiro; ut non modò hanc sobolem, in communis salutis spem succrescentem, arte militari imbuant, verùm etiam vitæ & integritatis exemplo ad omnem virtutem erudiant, utque eorum fidei hic noster exercitus, cùm eum in hostem tempus evocabit, rectè committi possit. Quibus sanè ducibus

peri,

periculum non erit, ne falsum militum numerum referentibus publicum fraudetur æratium: ex quo communium præfectorum scelere hodie fieri videmus, ut quantumvis amplæ regum opes alendo paullo diutius exercitui non sufficiant, & sæpenumero ubi acie confligendum sit magnum adeatur periculum, dum imperatores ea ducum relatione decepti se copias numerosiores habere quàm res sit credunt.

Sed antequam longius progrediar, hic locus postulare videtur, ut quorundam bonorum virorum sententiæ respondeam; quorum cùm omnis intelligentia ejus seculi atque regionis in qua nati sunt finibus circumscribatur, neque longius sit evagata, hæc dici vehementer admirantur, eaque ut nova & inusitata quæque in effectum perduci nequeant reijciunt. Nostri, inquiunt, majores eo milite eaque qua nos utimur rei militaris ratione contenti præclarè multa gesserunt. Fateor, sed gesserunt adversus eos, qui in eadem pravitate ijsdemque vitijs versabantur. Fuit ex hac parte exercitus inexercitatus, collecticius, externus, imbecillus, disciplinæ expers: fuit & ex altera. Itaque inter pares neque vitia valdè eminebant, & parvo sæpè cum discrimine discedebatur. Vt si duo mutili, duo cœci, duo claudi concurrant; haud magnoperè in altero membrorum integritatem requiras. At si cum manco integrum, cum cœco videntem, cum claudo rectum committas; mox conditionis inæqualitas apparebit. Nobis inter nos cum vicinis & penè popularibus nostris errare licuit ut libuit; paria enim, ut dixi, vitia non magnum inter utrosque discrimen constituebant. Sed nunc alia res est. Etenim negocium est nobis cum Turca, hoste vigilanti, industrio, sobrio, exercitato, labori assueto, rei militaris scientissimo, disciplinæ observantissimo. Quæris, quid ista valeant? A finibus Persiæ ad Viennæ usque mœnia omnia devicit. Quid nostra arma cum hoc collata possint, utinam igno-

ignorare nobis liceat; neque quotidianæ clades tanto nobis documento sint. Et dubitamus adhuc, utrum vitia nostra emendemus potiùs quàm defendamus?

At sunt nova, sunt inusitata, quæ proponimus. Nimirum quia novus & peregrinus hostis; cujus vis & usus armorum nihil vulgare, nihil commune, nihil remissum patitur. Fuerunt quondam sudor Anglicus & lues Gallica, morbi peregrini & incogniti: quos cùm medici longè lateque vagantes usitatis & communibus medicamentis reprimere conati essent neque quicquã proficerent, tandem multorum pernicie edocti, novis remedijs adversus novas ægritudines sibi pugnandum intellexerunt. Quod quidem adeò feliciter cadebat, ut uterque morbus, qui antea invictum se præstiterat, mox cederet, & in ordinem redigeretur. Quod medicorum institutum proponere nobis ad imitandum debemus: & cùm ad reprimendum Turcarum impetum frustra his temporibus usitata adhibuerimus arma, ad aliam armorum rationem transire, & novis malis nova remedia applicare. Quanquam minimè sunt ista nova sed antiquissima potius; quibus Populus Romanus tanta cum laude totum terrarum orbem ditionis suæ fecerit: tantumque abest, ut hac nostra ætate inusitata sint, ut hostis, de quo nunc maximè est sermo, nullâ aliâ ratione cùm nostram salutem in dubium quotidie vocet, tum ditionis suæ terminos cum Imperio Romano penè jam nunc adæquarit.

Quibus de rebus paulò copiosius dicam infrà; ubi istis iisdem ad eam quam sibi animis fingunt difficultatem respondero. Etenim ita ferè hujus mollissimi seculi moribus receptum est; ut res quæcunque quantumvis præclara, quantumvis utilis, modò in exequendo aliquid difficultatis præ se ferat, pro eo habeatur ac si perfici nullo modo possit. Qua animi imbecillitate illi quos dico adducti, cùm in usitatis armis nihil esse præsidij satis sint ex-

perti, ab ea verò quam probamus belli gerendi ratione difficultate absterreantur, eò subinde relabuntur, ut imminentem capitibus nostris pestem non aliter depelli posse credant, quàm pace aut inducijs quacunque ratione cum hoste pactis. A qua sententia tanquam à Iovis ara aut statua Imperatoris avelli se nullo pacto patiuntur: itaque facienda putant omnia, quo in aliquâ parte pacis cum Turcis, seu prece seu precio seu quacunque indignitate hæreamus. Neque animadvertunt, in rebus difficilibus hanc unam esse vel difficilimàm, quæque omnium minime sperari possit. Quid enim? Tam capitalis hostis, tantum terrarum emensus, tot exhaustis laboribus, ut ad nos pervaderet: ubi se jam voti compotem factum videat: in tanta materia laudis, tanta prædæ opportunitate, tanta imperij, tanta religionis propagandæ occasione; subito velut attonitus consistat, neque longius progredi curet? Quòd si qua pacis spes relinquatur; quis adeò demens sit, ut bello cum hoste tam potenti contendere malit? aut adeò cœcus, ut certæ paci dubios incerti Martis eventus postponendos non videat? Sed non ea res agitur: neque enim alterum nobis liberum relinquitur. Ad bellum omni spe pacis sublata cogimur. Nullæ hic consilij, nullæ arbitrij nostri partes: vis necessitatis omne occupavit. Ad bellum violenter rapimur: bellum nobis vel invitissimis subeundum, gerendum, exantlandum. Quid frustra obnitimur? quid circumspectamus? quid vanis pacificationibus somniandis nos decipimus? In mediâ nimirum flammâ otium nobis falsâ cogitatione fingimus; malumque, cujus (si advigilaremus) remedia aliqua esse poterant, differendo nutrimus, & parum providendo reddimus insanabile. At præclarum est belli mala distulisse. Præclarum, nisi id eò valeat ut paullò post gravius erumpant, nosque certius pereamus: ut si medicus dum blanditur ægroto necessaria remedia differat, atque ex eo morbus ita ingravescat, ut brevi mors consequatur.

Nam

Nam noſtras quidem res haud exiguis momentis quotidie deteriores fieri videmus: hoſtis verò econtrà indies magis invaleſcit; & præterquam quòd de noſtro ſemper aliquid decerpit quod adjungat ſuo, non deſinit interea viam ad nos munire & complanare, omniaque comparare quæ ad exitium noſtrum maturandum pertineant; ut, cùm, amotis omnibus quæ moram aut impedimentum adferebant, viſum ei fuerit alieniſſimo noſtro tempore claſſicum canere, nos alta quiete ſepultos ac proinde à rebus omnibus imparatos, ipſe paratiſſimus, intoleranda belli mole derepente obruat. Huc ejus omnia ſpectant conſilia, hoc unum aſſiduè molitur & agit. Quo demum tempore, & tamen ſerò, nos in eum locum deductos intelligemus, ut nulla ſpe auxilij reliquâ, inevitabili exitio nobis pereundum ſit. Et hic erit morarum noſtrarum & intempeſtivæ ceſſationis fructus.

Quare etiam atque etiam, dum tempus eſt & res patitur, providendum moneo, ne falſæ ſpei præſtigijs obcæcati nos inertiæ & deſidiæ tradamus, qua ex re quantas jam clades ſubierimus cùm meminiſſe poſſumus, tum ultimam reipublicæ ruinam appropinquantem proſpicere. Ergo & judicio utendum eſt nobis acri; ne in re tanta allucinantes falſa pro veris remedia periculoſiſſimis malis admoveamus, & cum rationibus omnibus ſubductis quæ ſpei ſumma reſidua ſit deprehenderimus, hanc unam omiſſis reliquis complecti ad eamque omni ſtudio incumbere debemus. In quo non labor, non difficultas, non novitas, nec quicquam eorum, quæ ſegnes & infirmos animos morari ſolent, nos meritò retardaverit. Ingentibus animis pro rei magnitudine eſt opus. Nihil humile, nihil abjectum res tanta requirit. Supra ſeculi noſtri captum hîc nos efferamus neceſſe eſt, & eorum heroum virtutem pauliſper referamus, qui fortitudinis & conſtantiæ magnitudine quoſvis labores ſuperarunt, qui nihil turpius nihil ſe indignius duxerunt quàm ullius difficulta-

tis aut impedimenti magnitudine deterreri, quo minus id quod cum reipublicæ dignitate & commodo conjunctum esse statuissent ad exitum perducerent. Quorum è numero unum silentio præterire Lycurgum Lacedæmoniorum legislatorem non possum. Qui cùm inter reliqua instituta (quibus optimè constitutam & fundatam Spartanorum rempublicam relinquere in animo habebat) bonorum æqualitatem in eam civitatem introducere, eaque de causa rem possessionesque omnium ex æquo partiri vellet, ut quantum divitibus detraheretur tantum accederet tenuioribus, nullumque, nisi quod virtus faceret, inter cives discrimen esset: in eo multos habuit adversarios, præsertim illos qui facultatibus pecunia & divitijs præstabant. Etenim indigne ferebant rem à majoribus traditam, aut suo labore quæsitam sibi eripi, & ad alienos possessores transferri. Cumque ea res & injusta & absurda haberetur, fiebat ut ejus legis perferendæ magna difficultas Lycurgo objiceretur. Sed illo nihilominus in sententia perseverante, & quod rectum & reipublicæ esse salutare in animũ induxisset perficere contendente, variæ quotidie rixæ periculosæq; concertationes miscebantur; in quibus denique Lycurgo alter oculus effoditur. Poterat ea res bonum virum satis admonere, quantam rem quamque arduam suscepisset; ac proinde deterrere, ne persisteret in incepto, sed potius rei infeliciter tentatæ tanto accepto malo consilium deponeret. Quod sanè longè secus accidit: tantùm enim abfuit ut ille heros ob eam calamitatem desisteret, ut ei potius animum addidisse videretur, multoque ardentius in causam incumberet. Itaque non conquievit ante, quàm legem quam rogarat de bonorum æqualitate omnium consensu perferret. Quo veluti fundamento reliquorum præclarissimorum ejus institutorum, talem rempublicam constituit, ut Græcia nullam habuerit parem, nomenque ejus etiamnum hodiè summa cum admiratione virtutis celebretur.

tur. Fecit hoc ille nullo imminente Turca, nullo vastitatem interitumque rerum omnium intentante: & nos hoc rerum statu gravius aliquid aut difficilius, quàm ut subire velimus, videri nobis patimur, in quo salutis nostræ summa posita sit? Pellenda est nobis ex animo ista segnities, prorsus nobis, nomine nostro prorsus, indigna; & reliquis cogitationibus vanis & fallacibus omissis sub unius secundum Deum rei militaris præsidium confugiendum.

Romani cùm gravior casus inciderat, unde mali aliquid timeretur, ibant ad saga, servabant justitium, Consulibus denunciabat Senatus, viderent ne quid respublica detrimenti caperet. Nobis multò magis magis idem faciendum: quibus non tantùm à communi reipublicæ detrimento, verum ab universa ejus ruina periculum impendet. Eundum est, inquam, nobis ad saga; arma capienda, tractanda, meditanda: disciplina militaris depravatissima corrigenda; revocanda vetus & integranda. Hoc unum justitio veluti indicto, hoc est clausis penè tabernis & reliquis rebus posthabitis, ardentissimo studio nobis agendum perficiendumque: si modò rem publicam, si nos, si liberos, si conjuges, si denique aras atque focos salvos & incolumes velimus. Quid enim, si Turcarum arma prævaluerint, nobis reliqui futurum est? Certè non pudor, non honestas, non dignitas, non libertas, non religio, nulla unquam gens non vilius periclitata est. Extremum, crede mihi, malorum est, vinci à Turca. Nihil erit quod illo victore (quod utinam ne tam sit in propinquo!) rapi, agi, ferri, dissipari, incendi, conculcari, & profanari non videamus. Quod ut ne videamus ac ferre cogamur; ad saga potius & ad arma eamus, & (ut Probus inquit) *militemus*. Qui cùm esset renunciatus Imperator, multaque damna, quæ ijs temporibus Romana Respublica acceperat, rei disciplinæque militaris corruptelæ referret accepta,

cui emendandæ inprimis ſtudendum duceret, in hujus rei argumentum hanc primam teſſeram militibus ſuis dedit. Nec verò minus ille re præſtitit quàm verbo oſtenderat. Siquidem exiguo tempore adeò profecit, remque militarem penè totā prolapſam ita reſtituit, ut nomen Romanum, quod pleriſq; gentibus contemptui eſſe cœperat, amplitudini & majeſtati ſuæ denuò redderetur. Cujus exemplo militemus & nos; armaque, quæ vetuſtate & vitio temporum obtruſa & ærugine corrupta habemus, multo ſtudio ad priſtinum nitorem bonitatemque revocemus.

A quo (ut dixi) cùm labor & difficultas nos avertere non debent: tum verò minimè omnium ſumptus reique familiaris diminutio. Vbi enim ſumptum ponemus rectius, quàm ubi vitam ipſam impendere grave nobis videri non debet? Aut quâ in re bonorum noſtrorum partem melius conſumemus, quàm ut caput & ſumma collocentur in tuto? Boni certè patresfamilias nulli ſumptui neque impenſæ parcunt; nullum claudendi ſepiendi muniendive finem faciunt, dum res & poſſeſſiones ſuas in tuto conſtituant: quas ſe inſtabiles & caducas habere arbitrantur, quandiu eas fortuitis caſibus, incurſionibus latronum, aut furum inſidijs expoſitas habent. Nautæ quoque ſæviente tempeſtate potius quàm navem frangant & de vita in dubium veniant, quamvis pretioſarum mercium jacturam facere malunt. Sed nec medici aliquot humani corporis partium jactura reliquorum membrorum & totius corporis incolumitatem redimere dubitant. Enimverò quid eſt quod quiſquam tali hoſte vicino ullam cujuſquam rei poſſeſſionem ſtabilem aut diuturnam promittere ſibi poſſit? Cum ſingulis momentis exſpectanda ſit dies, quâ vicini improbitas cuncta eripiat, contraque omnium edicta Prætorum ad ſe transferat. Quid ſeris? quid metis? quid colligis ac recondis? cùm non minus tua omnia hoſtis ſua numeret, quàm quæ Aſiaticis, quæ

Græcis

Græcis, quæ Thracibus, quæ Bulgaris, quæ Illyricis, quæ Hungaris (ut alios populos taceam) jam diu erepta possidet? Neque enim opes facultatesque nostræ, sine justo militum (quos dico) præsidio illius avaritiæ minus patent, quàm pateat furibus nullo custode nullis clavibus in publico projecta vis auri aut preciosa supellex.

Quòd si inopiam dementiæ prætexere & pauperratem mentiri juvat, videamus, ne nostro interitu nostrisque spoliis dives factus hostis, magna cum nostrâ infamiâ mendacij nos redarguat. Sed tamen eos sumptus non requiro, quos magnopere pertimescamus. Quos quidem extra belli tempus minimos esse velim, belli verò tempore mediocres, certè longè tolerabiliores, quàm quibus vulgaris & tumultuarius miles conducitur. Qua ex re duo etiam consequuntur commoda: unum, ne pecunia extra ditionis nostræ fines eliminetur; alterum, ne tribunorum & præfectorum nefario quæstui locus sit, quibus hodie per fœdissimum peculatum cum summo reipublicæ damno locupletari præclarum stratagema habetur. Sed hæc alterius sunt loci; neque enim in præsens particulatim de singulis, sed summatim tantùm quid hac de re universa sentirem, significandum mihi esse statui.

Ergo imitemur in reipublicæ communique salute munienda, Populi Romani prudentiam; qui semper præsidio militum ex suis hominibus delectorum, imperium suum remquepublicam & privatam tutatus est. Neque enim ille aut irrumpentium Gallorum ferocitati par, aut bella subinde renovantium Italicorum pertinaciâ superior, esse potuisset, aut tam fortiter adversus vim Annibalis integrum imperium conservasset, aut de Philippo deque Antiocho triumphasset, nisi suum & proprium militem habuisset, eamque quam dico in eo instituendo rationem secutus fuisset. Qua de re tota tempus est,

ut

ut copiosius exponam : quò magis perspicuum sit, nihil me novi introducere; utque nobis exemplum propositum sit quod sequamur.

In quo quidem omnes, qui de rebus Romanis scripserunt consentiunt : passimque apud eos videre est, quantum curæ Romani posuerint in tyrone deligendo instituendo & exercendo. Sed ego, ne sim prolixus multis auctoritatibus colligendis, utar compendio; uniusque antiqui moris & disciplinæ militaris gravissimi auctoris Vegetij testimonio ero contentus; qui ea quæ sequuntur diversis in locis, in libris De militiæ Romanæ institutis ad Cæsarem Valentinianum scripta reliquit. *lib. 1. c. 1.* IN OMNI PROELIO NON TAM MVLTITVDO ET VIRTVS INDOCTA, QVAM ARS ET EXERCITIVM SOLENT PRÆSTARE VICTORIAM. *Nulla enim alia re videmus Populum Romanum sibi orbem subiecisse terrarum, nisi armorum exercitio, disciplina castrorum, usuque militiæ. Quid enim adversus Gallorum multitudinem paucitas Romana valuisset? Quid adversus Germanorum proceritatem brevitas potuisset audere? Hispanos quidem non tantùm numero, sed etiam viribus corporum, nostris præstitisse manifestum est. Asrorum dolis atque divitiis semper impares fuimus. Græcorum artibus prudentiâque nos vinci, nemo unquam dubitavit. Sed adversus omnia profuit, tyronem solertem eligere : jus (ut ita dixerim) armorum docere; disciplinam quotidiano exercitio roborare : quæcunque evenire in acie atque in prœliis solent, omnia in campestri meditatione pernoscere : severè in desides vindicare.* SCIENTIA ENIM REI BELLICÆ DIMICANDI NVTRIT AVDACIAM: NEMO FACERE METVIT QVOD SE BENE DIDICISSE CONFIDIT. ETENIM IN CERTAMINE BELLORVM EXERCITATA PAVCITAS AD VICTORIAM PROMTIOR EST : RVDIS ET INDOCTA MVLTITVDO EXPOSITA SEMPER

AD

AD CÆDEM. *Si quis igitur pugnâ publicâ superare Barbaros cupit, ut divinitatis nutu, dispositione Imperatoris invicti, reparentur ex tyronibus legiones, votis omnibus petat. Intra breve autem temporis spatium, juniores diligenter electi & exercitati, quotidie non solum mane sed etiam post meridiem, omni armorum disciplina vel arte bellandi, veteres illos milites, qui orbem terrarum integrum subegerunt, facile coæquabunt. Nec moveatur, Cæsar, tua Majestas, quod olim consuetudo est mutata quæ viguit. Sed hujus provisionis ac felicitatis est perennitas tua, ut pro salute reipublicæ & nova excogitet & antiqua restituat. Omne opus difficile videtur antequam tentes. Cæterum si exercitati & prudentes viri delectui præponantur; celeriter manus bellis apta poterit aggregari, & diligenter institui. Quid* l. 2. c. 18. *vis enim efficit solertia: neque longitudo ætatis aut armorum numerus artem bellicam tradit, sed continua exercitationis meditatio.* POST QVANTA VOLVERIS STIPENDIA INEXERCITATVS MILES SEMPER EST TYRO. *Nunquam credo potuisse dubitari aptiorem armis rusticam plebem, quæ sub dio & calore nutritur, solis patiens, umbræ negligens, balnearum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, cui gestare ferrum fossam ducere onus ferre consuetudo de rure est.* ET NESCIO ETIAM QVOMODO Ibid. MINVS TIMET MORTEM, QVI MINVS DELICIARVM NOVIT IN VITA. *Nunc qua ætate milites legi conveniat, exploremus. Equidem si antiqua consuetudo servanda est: incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat.* NON ENIM TANTVM CELERIVS SED ETIAM PERFECTIVS IMBIBVNTVR QVÆ DISCVNTVR PVERIS. *Deinde militaris alacritatis saltus & cursus ante tentandus est, quàm corpus ætate pigrescat. Velocitas enim est, quæ percepto exercitio strenuum efficit bellatorem. Adolescentes legendi sunt; sicut ait Salluvius. Nam primum juventus, simul ac belli patiens erat in castris*

*per laboris usum militiam discebat. Melius enim est, ut exercitatus juvenis caussetur, ætatem nondum advenisse pugnandi, quàm doleat præteriisse. Habeat etiam spacium universa discendi.* NEQVE ENIM PARVA AVT LEVIS ARS VIDETVR ARMORVM. *Sive equitem, sive peditem sagittarium velis imbuere, sive scutatum armaturæ numeros omnesque gestus docere, ne locum deserat, ne ordines turbet, ut missile & destinato ictu & magnis viribus jaciat, ut fossam ducere, sudes scienter figere norit, tractare scutum, & obliquus ictibus venientia tela deflectere, plagam prudenter vitare, audacter inferre. Huic taliter instituto tyroni pugnare adversum quos-*
l.1.cap.6. *libet hostes in acie formido non erit sed voluptas. Sed qui delectum acturus est, vehementer intendat; ut ex vultu ex oculis ex omni conformatione membrorum eos eligat, qui implere valeant officium bellatoris. Namque non tantum in hominibus, sed etiam in equis & canibus virtus multis declaratur indiciis. Sit ergo adolescens Martio operi deputandus, vigilantibus oculis, erectâ cervice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modicus, exilior cruribus, suris & pedibus non superflua carne distentis, sed nervorum duritia collectis. Cùm hæc signa in tyrone deprehenderis, proceritatem non magnopere desideres. Vtilius est enim for-*
l.1.cap.7. *tes milites esse quàm grandes. Sequitur ut cujus artis tyrones vel eligendi vel penitus respuendi sint, indagemus. Piscatores, aucupes, dulciarios, linteones, omnesque qui aliquid tractasse videntur ad gynæcea pertinens, longe arbitror pellendos à castris: fabros ferrarios, carpentarios macellarios, & cervorum aprorumque venatores, convenit assumere in societatem militiæ. Et hoc est in quo totius reipublicæ salus vertitur; ut tyrones non tantùm corporibus sed etiam animis præstantissimi deligantur. Vires regni & Romani nominis fundamentum in prima delectorum examinatione consistunt. Nec leve putetur hoc officium, aut passim quibuscunque mandandum: quod apud veteres inter tam varia genera virtutum in Sertorio præcipuè constat esse laudatum. Iu-*

*ventus*

*ventus enim, cui defensio provinciarum, cui committenda bellorum fortuna, & genere si copia suppetat & moribus debet excellere. Honestas enim idoneum militem reddit. Verecundia dum prohibet fugere, facit esse victorem. Quid enim prodest, si exerceatur ignavus? si pluribus stipendiis moretur in castris? Nunquam exercitus profecit tempore belli, cujus in probandis tyronibus claudicarit electio. Et quantum usu experimentisque cognovimus: hinc tot ubique ab hostibus illatæ sunt clades, dum longa pax militem negligentius incuriosiusque legit, dum honestiores quique civilia sectantur officia, dum possessoribus addicti tyrones per gratiam aut dissimulationem probantur, talesque sociantur armis quales domini habere fastidiunt. A magnis ergò viris magna diligentia idoneos eligi convenit junioret. Sed hujus rei usum dissi-* l.1.cap.8.
*mulatio longæ securitatis abolevit. Quem invenias, qui docere possit, quod ipse non didicit? Primi Lacedæmonij experimenta pugnarum de* Prolog.l.3.
*eventibus colligentes rem militarem, quæ virtute sola vel certè felicitate creditur contineri, ad disciplinæ peritiæque studia revocarunt, ac magistros armorum juventutem suam usum varietatemque pugnandi præceperunt edocere. O viros semma admiratione laudandos! qui eam præcipuè artem discere voluerunt, sine quâ aliæ artes esse non possunt. Horum sequentes instituta Romani, Martij operis præcepta & usu retinuerunt & literis prodiderunt. Quantum in prælijs Lacedæmoniorum* Ibid.
*disciplina profuerit (ut omittam cæteros) Xanthippi declaratur exemplo: qui Attilium Regulum Romanumque exercitum sæpè victorem, cum Carthaginiensibus non virtute sed artis ferè solo auxilio prostratis exercitibus, cepit ac domuit: unoque congressu triumphans bellum omne confecit. Nec minùs Hannibal petiturus Italiam Lacedæmonium doctorem quæsivit armorum, cujus monitis tot Consules tantasque legiones inferior numero ac viribus interemit.* ERGO QVI DESIDERAT PACEM PRÆPARET BELLVM: QVI VICTORIAM CVPIT MILITEM IMBVAT DILIGENTER: QVI SECVNDOS OPTAT EVENTVS DIMICET ARTE

TE NON CASV. NEMO PROVOCARE NEMO AVDET OFFENDERE QVEM INTELLIGIT SVPERIOREM FORE SI PVGNET. *Tempore hyemis de tegulis & scandulis, quæ si decessent certè de cannis ulva & culmo, & porticus tegebantur ad equites & quadam veluti basilicæ ad pedites; in quibus tempestate vel ventis aëre turbato, sub tecto armis erudiebatur exercitus. Cæteris autem hibernis diebus, si nives pluviæque cessarent, exerceri cogebantur in campo: ne intermissa consuetudine animi militum debilitarentur & corpora. Sylvam cædere, portare onera, transilire fossas, natare in mari sive flumine, gradu pleno ambulare vel currere etiam armatos cum sarcinis suis, frequentissimè convenit; ut quotidiani laboris usus in pace difficilis non videatur in bello. Sive ergo legio fuerit sive auxilia, exerceantur assiduè.* NAM QVEMADMODVM BENE EXERCITATVS MILES PROELIVM CVPIT, ITA FORMIDAT INDOCTVS. POSTREMO SCIENDVM EST, IN PVGNA VSVM AMPLIVS PRODESSE QVAM VIRES. NAM SI DOCTRINA CESSET ARMORVM NIHIL PAGANVS DISTAT A MILITE.

l. 2. cap. 23.

Omitto hic brevitatis caussa multa, quæ varijs in locis ad eãdem rem pertinentia ab eodem Vegetio præclarè dicuntur: & quemadmodum tyrones ad gradum militarem & cursum, & ad palum, & usum natandi exerceri velit: præterea ut potius punctim quàm cæsim ferire; ut missilia destinato ictu, lapidem item jacere, arcu scienter uti, pondus grave portare, decurrere, servare in acie ordinem, castra solerter munire discant. Quæ qui velit apud eum videat: mihi hoc unum quod sequitur caput epilogi cujusdam instar adjecisse sat erit. *In delectu atque exercitatione tyronum si quis diligens velit existere, ad antiquam virtutis imitationem facile corroborare poterit exercitum. Neque enim degeneravit in hominibus Martius calor: nec effœtæ sunt terræ, quæ Lacedæmonios, quæ Athenienses, quæ Marsos, progenuêre. Sed longæ se-*

l. 1. c. 28.

curitas

*curitas pacis, homines partim ad delectationem otij, partim ad civilia traduxit officia. Ita cura exercitij militaris primò negligentius agi; postea dissimulari, ad postremum olim in oblivionem perducta cognoscitur. Nec aliquis hoc superiore ætate accidisse miretur, cùm post primum Punicum bellum, viginti quatuor circulis & quod excurrit annorum, pax ita Romanos illos ubique victores otio & armorum desuetudine enervaverit, ut secundo bello Punico Hannibali pares esse non possent. Tot itaque Consulibus, tot ducibus, tot exercitibus amissis, tunc demum ad victoriam pervenerunt; cùm usum exercitiumque militare condiscere potuerint.* SEMPER ERGO LEGENDI ET EXERCENDI SVNT JVNIORES. VILIVS ENIM CONSTAT ERVDIRE ARMIS SVOS, QVAM ALIENOS MERCEDE CONDVCERE.

Ex his unius Vegetij scriptis, quibus omnium historicorum consensus accedit, satis constare arbitror: quæ fuerit olim apud Romanos rei militaris disciplina atque institutio. Neque ea solum Romanis fuit, sed & Persarum antè fuerat, & nonnulla etiam ex parte Macedonum, & omnium deniqúe populorum qui claram nominis sui memoriam ad posteros transmiserunt. Qua de re videat qui velit Xenophontem, hominem rei bellicæ peritissimum, quæ scribat de Cyri majoris in militibus legendis exercendisque ratione, ab ea quam modò dixi Romanorum consuetudine haud longè diversa. Quo quidem ille ita parato exercitu brevi tempore penè totius Orientis imperium sibi adjunxit. Arrianus etiam haud ignobilis scriptor concionantem in Macedones Alexandrum, eosque ut beneficiorum immemores accusantem, his verbis inducit: *Philippus pater vos errantes ac vagos, rerum omnium inopes, pleresque etiam pellibus amictos pastores, pro quibus cum Illyricis Triballis Thracibusque finitimis continuè pugnabatis, in tutelam ac fidem suam recepit: ex montibus asperis in plana & culta deduxit: pro pellibus*

*chlamydes ornatas ferre dedit: armis instruxit: rem militarem docuit: ut non magis locorum munimentis ac situ contra finitimos quàm armis & virtute vestra tuti essetis.* Quibus ex verbis satis apparet quibus primordijs jacta sint illius celebris rei militaris Macedonicæ fundamenta: nimirum ex hominibus agrestibus montanis & pastoribus. Sunt etiam ijs quæ supra dicta sunt consentanea, quæ memoriæ prodidit Diodorus Siculus: *Philippus*, inquit, *conversus ad emendandum militarem disciplinam, curavit, ut decentibus armis milites sui instructi essent, ut meditationibus bellicis exercerentur.* Excogitavit præterea ordinem illum Phalangis, quæ Macedonum peculiaris fuit, sumto exemplo heroum qui clypeos clypeis conjungebant in bello Trojano. De his jam factis veteranis, deque eorum fortitudine, ubi Alexandrum urbem Halicarnassum oppugnantem describit, idem Diodorus ita meminit: VETERANI *Macedones, qui per totum ætatis spacium semper in rebus arduis & periculosis versati erant, & sub Philippo merentes frequenter victoriam consecuti ad summam fortitudinem ita provecti fuerant: prudentia & rei militaris cognitione longè omnibus præstantes: tyronibus pugnam detrectantibus amarissimis verbis ignavia exprobata, ipsi in unum coacti consertis simul clypeis, hostes, qui jam se vicisse arbitrabantur, exceperunt, Ephialteque & multis alijs interfectis reliquos in urbem fugere compulerunt.* &c. Horum militum virtuti devicti orientis & tanti imperij gloriam Alexander acceptam retulit.

Sed jam eosdem (quos supra dixi) obclamantes audire mihi videor, aliam fuisse illorum aliam nostri temporis esse rationem: illa jamdiu obsoleviſſe: puerile ac nugatorium esse, vetustate sepulta in lucem & usum velle revocare: debere nos nostri seculi sapientiâ contentos esse. Ego verò etsi possum ostendere, quod illis temporibus utile & fructuosum fuerat non minus utile & accommodatum fore rebus nostris, tamen

men non agam multis rationibus cum iis, qui rationi non facilè videntur velle dare locum, sed ratiocinatione omissa ducam eos in rem præsentem & veluti digito fontem commonstrabo. Rogabo itaque ex istis, qui cùm ipsi nihil quòd opus sit facto in medium adferant, tamen ne nihil sapere videantur alienis consiliis impensè detrectant: Num militem Turcicum in militibus numerari patiantur? Ac credo equidem, qua sunt pervicacia, non facilè assensuros. Sed tamen si dubitent, ego pro eis respondere non dubitabo: eum qui tantum terroris toti terrarum orbi intulerit, quacunque ingressus sit tantam stragem fecerit tantum trophæorum erexerit, jure militem censeri. Rogabo deinceps, hic miles quomodo in militiam legatur, quomodo instituatur.

Quod si se scire negabunt, dicam quæ ipse præsens vidi, quæ meo periculo didici: Militem Turcicum nihil aliud esse; quàm hominẽ ita natum, ita lectum, ita informatũ & exercitatũ, ut paulo antè de Romanis dixi, & à nobis contendo fieri oportere: nisi quod hic aliquanto deteriore conditione est. Nam quod ad militem attinet, qui ituro in expeditionem Turcarum Principi ultrò se offert ac nomen dat, quem Alcangiam vocant, ei apud Turcas exiguus honor est. Is miles habetur in pretio, qui perpetuo ejus Principis stipendio meret, quique certo judicio ac ratione in ejus Principis legiones prætorianas relatus est. Cujus deligendi hæc ferè ratio est. Mittit quotannis Turcarum Princeps certos homines in diversas provincias, qui de pueris è Christianis hominibus natis tertium aut quartum quemque poscant. Horum puerorum gregibus Constantinopolim perductis, qui liberaliore sunt aspectu, aut ingenij majorem indolem præ se ferunt, ipsius Principis, aut Bassarum, aut aliorum Satraparum domesticis usibus applicantur. Reliqui perducuntur in locum, in quem magna omnis generis hominum

minum multitudo præsertim rusticanorum confluxit. Hi de istis pueris ab eo qui ei negocio præest quos visum est deposcunt. Ille, accepto nummo aureo, puerum petenti tradit: priùs nomine ejus patria & conditione pueri, item annis signisque quibus per omnem ætatem dignosci possit, in publicas tabulas relatis. Sic illi liberum est, seu rusticus sit sive urbanus, puerum trans mare in Asiam, seu quocunque terrarum velit, ubi domicilium habeat, abducere: ubi assiduè labore atque opere cum ut mancipium exerceat. Puero cibaria præbentur panis & aqua, & interdum, loco obsonij, pultis aliquid aut fructuum aut herbarum: vestitus suppeditatur, quo se adversus cœli injuriam tueri utcunque possit. Ad hæc disciplina & religione Mahumedana instituitur. Ita deliciarum nescius, procul à propinquorum blanditijs, in virum robustum & cuivis labori ferendo parem adolescit. Hic cum est opus ab illo fiduciario hero reposcitur, & ad rem militarem traducitur: atque ex hoc veluti seminario, diminutis Gianizarorum legionibus, supplementum subrogatur. Ad Gianizaros rescriptus primò meret menstruo stipendio, paulo plus minus unius ducati cum dimidio. Id enim militi novitio & rudi satis esse censent. Sed tamen ne quid victus necessitati desit, cum ea decuria in cujus contubernium ascitus est, gratis cibum capit; ea conditione, ut in culina reliquoque ministerio toti ei decuriæ serviat. Sed eum rursus, qui est ejus decuriæ armorum peritissimus, præceptis militaribus erudit, quotidianaque exercitatione arma scienter tractare docet. Ita robur laboris patientiam & usum armorum adeptus tyro, nec dum tamen suis contubernalibus honore neque stipendio par, unam in sola virtute se illis æquandi spem habet; utpote, si militiæ, quæ prima se obtulerit, tale specimen sui dederit, ut dignus judicetur qui tyrocinio exemtus honoris gradu & stipendij magnitudine

tudine reliquis Gianizaris par habeatur. Qua quidem spe plerique tyrones impulsi multa præclarè audent, & fortitudine cum veteranis certant. Itàque ampliore honestantur stipendio; quod octo ducatorum in Gianizaro summum est. Quem tamen si virtus ac merita ad altiorem locum vocent, aut ordinibus inter suos ducendis præficitur, aut equitibus prætorianis, quos Spahias vocant, adscribitur. Qui supersunt ex ijs pueris quos supra dixi, Constantinopoli varijs operibus exercentur. Itaque sæpe videas cc aut ccc purgare aream, amoliri rudera, ferre lapides aut tigna, aut alia onera. Otium nulli permissum, nec cui victus gratis constat. Hi similiter postquam adoleverunt, aut in terrestres aut maritimas copias transferuntur. Et qui in Principis aùlam servitiumque lecti sunt, ferè evadunt in viros primarios, maximisque muneribus, ut cujusq; aut sors aut mores tulerunt, præponuntur. Ex his supremi Gianizarorum duces, classium præfecti, Bellerbeghi, atque ipsi denique Bassæ Visirij deliguntur; his etiam in matrimonium ipsius Principis filiæ collocantur. Quibus me satis planum fecisse arbitror, qui sit ortus, delectus, disciplina, atque educatio, istius toto terrarum orbe tantopere formidati militis Turcici. Neque tamen negavero, patere item alios ad ordinem militarem aditus: sed hæc ratio atque via inter illos usitatissima est. Nam quandoque etiam militem legunt ex ijs pueris aut adolescentibus, quos excursionibus aut bello nobis indicto captos, intra claustra domosque, quas Serraglia vocant, multos annos inclusos habuerunt. In quibus, posteaquam omnem memoriam sensumque patriæ & rerum nostrarum ac præsertim religionis deposuisse, atque in ludis cum Arabicarum literarum tum armorum Turcicorum sub præceptoribus eunuchis satis magnos progressus fecisse videntur, eos demum septis illis emissos cœlo restituunt, & ad ea rei militaris munera traducunt, ad quæ maximè videntur idonei. Bassarum

quoque atque aliorum purpuratorum servi, bello vel alia ratione quæsiti, in numerum militum sæpe reponuntur. Nec tamen ex his, quos dixi, quisquam sine certo discrimine judicioque recipitur, sed explorata prius uniuscujusque corporis atque animi firmitate, ut tueri eum locum possit cui sit ascriptus. In quo sanè sæpenumero sum admiratus vim disciplinæ atque institutionis Turcicæ, cùm viderem homines apud nos contemptos & abjectos, paucis annis tantum profeciſſe apud istos, non modò ut gregarij militis nomen egregiè sustinerent, verum etiam omnium Turcarum judicio digni haberentur, quorum disciplinâ alij militiæ rudimentis imbuerentur. Fiebat enim nonnunquam, ut cùm animi causa de fenestra in publicum prospicerem, assidentes Turcæ quosdam mihi commonstrarent, quos propter egregium armorum usum tyronibus instituendis præfectos dicerent. Rogabam qua gente aut qua natione essent oriundi. Nam qui inter eos armorum opinione tantopere excellent, nescio quos Parthos Bactrianos aut Massagetas cogitatione mihi fingebam. Sed audiebam, hunc esse Hungarum, illum Croatam, tertium Germanum. Mirabar equidem; verumtamen hanc tantam præstantiam ex usu armorum quæ apud nos tractassent, quòd nobili loco nati, quòd liberaliter instituti, quòd militassent, proficisci suspicabar. Pergebam quærere, num scirent, quem illi apud nos locum tenuissent, quodúe genus vitæ secuti fuissent. Illi cùm aliquantisper cogitassent, in memoriam venire sibi aiebant: hunc solitum dicere, se nescio cujus coqui fuisse puerum: alterum se vitæ monasticæ initiatum: illum verò cauponi promendo vino locasse operas: eosque belli vel induciarum tempore interceptos, atque in reliqua præda Constantinopolim perductos, in istius velillius Bassæ familiam pervenisse. Hîc ego etiam magis admirans: & quinam, inquam, fieri potuit, ut isti evaderent in tantos bellatores?

tores? Commemorabant, dominos quibus illi obtigissent domi habuisse viros insignes magistros armorum, magno judicio scientiaque rei bellicæ præditos, quibus (cùm eos tum ex corporis tum ex animi signis dignos judicassent, quibus operam impenderent) in disciplinam traditi essent: sub quibus brevi tempore tantum profeciisse, ut omnes æquales longè superarent, & non obscuram futuræ virtutis spem de se darent: secuta deinde fuisse bella, in quibus navatâ strenuè operâ eximiæ fortitudinis ab omnibus laudem ac testimonium reportasse: hinc ad tantam auctoritatem perveniisse. Cum hæc audirem afficiebar non mediocri dolore; nostros mores ab hac Turcarum consvetudine tantum differre; hanc illis rationem invidebam. Habent enim hoc omnino Turcæ, ut hominem nacti egregium, tanquam adeptirem precioſam, vehementer gaudeant; neque in eo excolendo quicquam laboris aut studij prætermittant, præsertim si ad rem militarem idoneum esse cognoverint. Nostra longè diversa est ratio. Nam nos quidem si quem bonum canem, accipitrem, aut equum sumus nacti, valdè lætamur: neque ulli rei parcimus dum illum ad summam in suo genere perfectionem perducamus: in homine verò si quem præclara indole nanciscì contigerit, non perinde elaboramus; neque ejus institutionem ad nos magnopere pertinere existimamus. Ac nos quidem ex equo cane atque accipitre bellè assuefactis varias oblectationes multiplicemque usum capimus: sed Turcæ ex homine bonis moribus informato tanto majorem, quanto reliquis animantibus natura hominis præstantior est atque excellentior.

Iam verò ex ijs, quæ hactenus dicta sunt, satis constare arbitror: non novum neque inauditum esse, quod de milite certo cum judicio deligendo instituendoque contendo: sed cum ab ipsis Romanis, tum à cæteris gentibus quæ imperia tenuerunt

aut armorum laude floruerunt, usurpatum; neque rursus adeo obsoletum aut à nostræ ætatis moribus tam remotum, ut ad usum nostrum revocari non possit, quandoquidem experiamur quotidiè, quid exculta tali disciplina Turcorum arma valeant: modò ne nos pigeat rei adeò necessariæ ab illis partem mutuari, quando illos tam multa quæ ex usu suo essent de nobis sumere non puduerit. Quod si fecerimus, faxim profectò, ut brevi cognoscamus, non minus ad salutem nobis bonam disciplinam valere, quàm hactenus ad nostram perniciem valuisse senserimus. Quæ quidem una restat, in hac periculosissimâ tempestate veluti anchora sacra: qua afflictæ reipublicæ nostræ penè naufragam navem retinere, jugum à cervicibus, cædem à capitibus nostris depellere queamus. Vnaquæque res qua ratione paratur eadem stabilitur & conservatur. Vt regna atque imperia virtute militari beneque instituti exercitus viribus quæruntur, eadem etiam ratione conservantur. Si tollas arma, removeas militem, disciplinam negligas: mox aut per se regnum concidet, aut in prædam cedet finitimus. Ad regni majestatem conservandam non tam diadema aut sceptrum prodest, quàm ferrum. Frustra illo caput ornes, hoc dexteram, nisi gladio accinctum sit latus. Nisi ferro muniatur, debile ac mancum fuerit omne imperium. Neque ulla unquam diuturna potestas erit, quàm arma non tutentur. Sed arma dico; non falso nitore specieque fallentia, sed vera, sed solida, sed omni vitio expurgata. Quicquid corruptum est atque à sua perfectione degeneravit, aut minimum adfert utilitatis, aut non modò nihil prodest verùm etiam nocet. Quam diu arma Romana militari disciplinâ viguerunt, extremæ tum quæque orbis terrarum oræ eorum legionibus paruerunt: sed postquam disciplina corrumpi, virtusque militum neglectis veteribus institutis remolliri cœpit, non modò maxima Imperij pars amissa,

sa, sed ne ipsius quidem urbis Romæ mœnia suo præsidio Quirites à cæde direptioneque incolumes præstiterunt. Itaque tunc illa gentium omnium caput ac princeps civitas cunctis nationibus prædæ aut ludibrio fuit: non secus sua spolia atque exuvias repetentibus, quàm ab illo graculo Æsopico cæteræ aves suas plumas. Nobis verò eò minus tergiversandi occasio datur, quò mortiferum vulnus nobis propinquius imminet, quò magis viscera nostra hostium telis nuda patent, nec ulla nobis præter hanc unam ad spem salutis via proponitur. Quam superatis & perruptis quibuscunque impedimentis, si quicquam nobis rerum nostrarum carum est, sine dubitatione persequi debemus. Est ubi reipublicæ moderatori, propter rei novitatem, propter præsentis seculi mores, propter civium captum & ingenium, aliasque item manifestas difficultates, ab eo quod erat rectissimum nonnihil interdum deflectere liceat. At in hujusmodi angustijs deprehensis, ubi certum communis salutis excidium ante oculos positum sit, constanti animo per eam semitam, quæ sola ad arcem & præsidium patet, eniten-dum. Iis populis, quibus adhuc longæ sunt spes quòd ab hoc hoste procul disjuncti sunt, licet quibusvis vel linteis si velint armis corpus tegere, adversus tela quæ nondum ad eos pertingere possunt. Nobis, qui intra hostilis teli jactum versamur, vel qui cum hoste potius jam ad manus & gladios venimus, non nisi probatissimis & firmissimis armis salutis nostræ tutela committenda.

Sed non deerunt, quibus hic nostrarum virium apparatus tenuior, neque satis idoneus videbitur qui tantis Turcarum opibus atque potentiæ opponatur. Quibus respondeo; à me id agi, ut solida perennis exercitus fundamenta jaciantur, ijsque semel constitutis in reliquo ædificio construendo

non multum fore negotij polliceri. His enim initiis positis, quicquid accesserit auxiliorum mox justi exercitus corpus efficiet. Accessuta autem impensiùs auxilia, ubi jam nos nobis de non contemnendo præsidio prospexisse, paratisque in hostem copiis excubare, longè lateque fama dissipaverit, clarius est quàm ut multis demonstrare sit opus. Etenim natura penè ipsa nos ijs conciliat, quos armis atque animis ad quemcunque fortunæ motum conatumque paratos videmus. Contrà verò ab eorum benevolentia nos revocat, quos inermes imbellesque cuicunque obnoxios injuriæ animadvertimus. Itaque præclarè Xenophon ut reliqua omnia, eos qui semper in promptu & expedita habent arma hoc consequi dixit, ut amicos habeant multos, inimicos nullos: siquidem ad eorum amicitiam qui possint prodesse omnes libenter accedere, tanquam ad arcem ubi rebus suis dubijs temporibus perfugium paratum sit: quemadmodum ex altera parte inimicum habere nemo velit, quem ita semper instructum & paratum norit, ut cùm velit nocere possit. Qua ratione fit, ut dum cessamus ipsi neque quicquam conamur, dum hastas abijcere ac de nostra salute desperare videmus, atque ex alienâ tantùm ope pendemus, omnes propemodum non modo vicinitatis sed etiam sanguinis necessitudine nobiscum juncti nos contemnant & deserant: ad armatum vero & sibi præfidentem hostem etiam illi sese aggregent, quos si nihil aliud certè diversissima religionis ratio retraxisse debeat. Tanta vis est expeditorum armorum. Quod itaque felix & faustum sit, in DEI omnipotentis nomine eamus ad saga, capessamus arma; eo quidem animo quo decet contra tantum hostem. Ipsi primi armipotentis Minervæ sacris initiemur; ejusque studijs nos totos devoveamus: primi manum adhibeamus stivæ: & nostro pro viribus fungimur officio. Deus mox conantibus aderit. Neque

deerunt

deerunt cùm vicinorum tum neceſſariorum auxilia; ubi nos nobis non deeſſe cognorint. Non conquieſcamus; donec ut minimum (quod exempli cauſa dictum velim) præter ordinaria præſidia ad XII millia peditum (nam de equitatu dicemus aliàs) ex noſtris popularibus delecta, probè armata exercitataque habeamus. Hic animus & hoc inſtitutum noſtrum non modo vicinorum & neceſſariorum noſtrorum, verùm etiam alienorum inſperata auxilia cum res poſcet conciliabit & adjunget. Quòd ſi quandoque nos omnia deſtituant, his tamen copijs, & æſtatis tempore munitionibus incluſi hoſtium impetum reprimere, & hyeme ita in eorum fines incurrere poterimus, ut laceſſiviſſe illos pœnitcat; atque inducias, quas vix nunc à ſe redimi patiuntur, cùm petant ultrò, tum multò quàm fert eorum conſuetudo ſervent diligentius. Nunc quicquid in repuerit trepidare cogimur: & ſi præſidia noſtra laborent, aut nec opinata aliqua vis ſubitam opem requirat, nihil habemus, quo vel noſtris ſubſidio ire, vel hoſtium impreſſionem morari ſaltem & retardare queamus.

Sed hæc (dicendum eſt enim tanta de re ſæpius) ſtudium quoddam eximium & ſingulare deſiderant. Neque verò alibi non modò cogitationum ſed nec delectationum noſtrarum majorem partem rectius collocaverimus. Neque ulla ex re laudem juſtius quæſiverimus: quàm ſi noſtras copias indies virtute & diſciplinâ magis magiſque proficere & coaleſcere videamus. Placeant ſibi alij auratis tectis: alij exquiſitis hortorum amœnitatibus delectentur: ornamenta domus alij ſigna tabulas & plurimum lautæ ſupellectilis oſtentent. Nobis hæc pacis decora, hæc belli præſidia faciant animos, his nos amicis qui ad nos diverterint venditemus, his gloriemur. Quid enim præclari hoſpitis oculis poſſit eſſe gratius, quàm videre

tan-

tantum selectæ juventutis numerum, armis fulgentem, robore & velocitate præstantem, sclopeto hasta gladio & quocunque teli genere pulcerrimè decertantem, ad omnes præfectorum nutus quacunquè se circumagentem versantemque, denique summa vultus atque animi alacritate hostem & prælium deposcentem? Hujusmodi juventutem, imperii spem ac fundamentum, videlicet Gianizaros, non immerito Turcarum Princeps filios suos vocat. Memorant Philopœmenem, quem Græcorum imperatorum ultimum dixerunt, cùm videret antiquam Græcorum rei bellicæ laudem per ignaviam & disciplinæ militaris neglectum senescentem brevi intermoriturum, atque ei rei ut patriæ amans civis inprimis subventum cuperet, haud parvum nobilissimæ juventutis comitatum sibi asciviſſe, quem belli artibus instituerer: cumque aliquando cum hoc juvenum globo, militari vestitu decenter ornato, in quoddam Græciæ thearrum multitudine hominum refertum introiisset, magnum illi ab universo illo populo plausum datum, summisque exceptum laudibus. Cujus quidem plausus is sensus fuit; quòd ille populus intelligebat quid ei civi deberetur, qui patriæ gloriam quantum in se esset ab interitu revocaret, & juventutem ad militare decus virtutemque capessendam excitaret. Nos quoque quis dubitet, quin Diis hominibusque approbantibus, summo totius populi Christiani applausu, communis salutis causſam simus suscepturi, labentemque rei militaris laudem in pristinam dignitatem vindicaturi.

Sed non ero longior; & finem faciam si prius eò paucis me retulero unde hæc defluxit oratio: si monuero & inclamavero, si obtestatus fuero, ut in tanto periculo, inquanto post orbem terrarum conditum nulla unquam gens versata est, ab eo cui

eo cui indormiviſſe videmur veterno aliquando excitemur, reiquc publicæ ad exitium ruenti ſuccurramus: has ſedes, hoc nomen, hæc decora, tantâ cum laude à majoribus noſtris parta & nobis tradita, conſervata velimus. Conſervandi autẽ unicam eſſe rationem: ſi adverſus vim ad vim & arma nos convertamus; arma verò non fortuita neque tumultnaria nec procul quæſita, ſed expedita, ſed magno judicio magnâque ratione delecta exculta & inſtituta. Nihil poſtremò nobis debere videri tanti ſciamus, quod ut huc perveniatur non cupidè ſubeamus. Exemplo eorum qui loco parùm munito formidolosâ premuntnr obſidione: qui cum jam jamque in hoſtis poteſtatem venturos ſe videant, omniaque extremæ crudelitatis exempla ab inſolenti victore timeant, ad eum repellendum nihil non perpetiuntur & faciunt, neque quicquam grave ſibi ducunt, neque ulli rei parcunt, modò ſummæ rerum & publicæ ſaluti conſulant. Quòd ſi ſecus ſtatuerimus, nobisque & reipublicæ per ignaviam aut mentis errorem defuerimus, relictum iri aliud nihil, quàm ut aut migremus in alias terras, (quod multæ ſæpe fecerunt gentes vicinorum injuria coactæ) avitisque poſſeſſionibus hoſti pro victoriæ cumulo relictis ejus immanitatem fuga declinemus, aut certè ad unum pereamus omnes. Sed migremus citius: (ſi adeò in nobis omnis obſolevit virtus) bonaque noſtra agros tecta lares hoſtis ante poſſideat, quàm corpora: quàm ſanguinem noſtrum hauriat, quàm liberorum & conjugum pudori fœdiſſimè illudat, & (ut uno verbo dicam) potius quàm eam rerum omnium indignitatem videamus, quam tot Aſiæ Africæ atque Europæ populi ab Orientis regionibus ad noſtros uſque fines majore terrarum quam temporum intervallo ſubierunt. Nam cùm iisdem nos quibus illi veſtigiis ad exitium præcipitemus, ſitque

idem prorsus rerum nostrarum qui fuit illorum antequam perirent status, idem in caussa pari nos exitus manet. Sed cur migremus? Militemus potiùs: & quæ nobis salutis subsidia largissimâ manu Deus benignè suppeditat, alacres & grati suscipiamus. Nos ad arma, in quibus post Deum spes una salutis supereſt, ingentibus animis atque ità convertamus, ut virtute nostrâ, & magnitudine periculi, & exitio quod nobis impendet, dignum est.

JOAN-

# JOANNIS COMITIS TARNOVII, IN POLONIÆ REGNO STRATEGI NOMINATISSIMI

# DE BELLO

## CUM JURATISSIMIS CHRISTIANÆ FIDEI HOSTIBVS TVRCIS GERENDO

*DISPVTATIO SAPIENTISSIMA.*

CUM PRÆFATIONE JOANNIS STRASII AD CAROLVM V. ROM. IMP. SEMPER AVGVSTVM.

*Etsi nullum tempus prætermittì, Carole Imperator, à tua Majest. certum est, assiduè cogitandi de communi Christianæ reip salute, atque immanissima barbarie Turcica propulsanda: non ob id tamen arbitror ejus officium reprehensum iri, qui tam anxio & perturbato planeque confuso communium temporum statu, humiliter atque fideliter consulere aliquid in medium piâ quadam & Christiana propensione conetur. Siquidem hujusmodi rerum facies oculis obiecta est, ut meritò cuivis consulenti pro communi salute, tanquam gregarij militis voci inclinatis rebus in acie apud Imperatorem, locus esse debeat. Immò sæpe profuisse in publica trepidatione infimorum consilia, haud obscuris documentis est cognitum. Neque enim, Imperator Invictissime, hoc quisquam suscipit aut tentat, ut curas aut solicitudines divini animi tui, orbis terræ procurationem complexas, se acuere, augere, aut limare posse existimet. Quod in tantâ sapientia tua, ac tanto maximarum rerum usu, & summa copia prudentißimorum hominum, cogitare esset extremæ dementiæ atque intolerabilis arrogantiæ. Sed cum ipsum periculum in præsentiâ vel longißimè dissitos attingat; jamque hoc flagrans incendium longè lateque devastationem ac ruinam minetur: æquum est omnes paratos promtosque ad ejus exstinctione accurrere: ac tua M. Principi & auctori pulcerrimi operis præferenti signa, officium quisque suum pro virili exhibere. Sic ego, etsi forte sapientiæ tuæ in tanto Imperij fastigio probare meam sedulitatem & conatum minimè possum, tamen deferendum putavi: ne in tanta concursatione proferentium undecunque debitum suum officium, solus relictus ignaviæ ac jocordiæ maculam sustineam.*

*Quod interim ita à me exhibetur, ut nihil hîc sit meum, atque proprium, exque meo penu depromtum. Totum est illius viri, qui propter summam autoritatem, & incredibilem rerum omnium experientiam, in subsellijs omnis prudentiæ consultißimorum meritißimò principem locum obtinebit. Non sum nescius, Sapientissime Im-*

PERATOR, *Comitem Tarnovium ſupremum ducem Regni Poloniæ, Majeſt. Tuæ notum eſſe & acceptum: qui propter peritiam rei bellicæ, & inſignes victorias à barbaris hoſtibus reportatas, toto terrarum orbe illuſtrium meritorum fama celebratiſſimum nomen eſt conſecutus. Hic tantus vir, optimus dux & graviſſimus Senator, non modò ſuſtinet perſonam hujus conſilij ſed ejus indubitatus autor eſt & architectus. Apud quem è caſtris Hungaricis reverſus, & Auſtriacam peſtilentiam vitans, complures dies commoratus: pro veteri mihi conſtituta cum illo obſervantia & familiaritate, operam dedi, ut, quæ ille pro ſingulari ſuâ erga rempubl Chriſtianam pietate, & incredibili erga M. Tuam ejuſque fratrem Ferdinandum ſtudio, tam neceſſario tempore maximè neceſſaria eſt locutus, in ſcripta referrem. Quæ nunc in cœtu palàm ſe adeuntium decumbens ex dolore pedum dixit: nunc remotis arbitris ſeorſum mecum tractavit. Quæ quidem ex illius ore excepta, ſine ullis orationis cincinnis & calamiſtru purè ſimpliciterque recenſebo. Et quamvis ejus vim & gravitatem in dicendo exprimere non poſſum: tamen enitar, ut fines & terminos illius ſermonis non excedam. Qui ſanè ſermo, quamvis non uno tempore ab eo decurſus eſt continenti oratione; ſed interpolatis diebus & ſucceſſivis horis habitus: tamen ita dilucidè graviter articulatè de toto negotio Latinè diſſeruit; ut facilè animadverti potuerit, in quot partes ſermo ille per eos dies habitus eſſet diviſus.* Primùm *enim ratiocinatus eſt de concordia Chriſtianorum Principum:* Deinde *de officio Imperatoris ad tantum bellum, & quibus rebus nobis Turci præſtarent:* Poſtremo *quibus copijs & viribus, DEI ope, cum hoſte barbaro poſſit confligi, ac quibus Chriſtiani illos antecellant.*

*Vtinam Majeſt. Tuæ,* INVICTISSIME IMPERATOR, *conatus hic meus tam gratus exiſtat, atque magnâ animi alacritate ſuſcipitur: ut ſi forte vir ille, ex raro hominum genere Dux, inſtitutum tuum nullo invento juverit: tamen non inglorium putandum eſt, Principes viros, longiſſimis locorum ſpatijs diſjunctos, cum Majeſt. Tua multò ſapientiſſima, idem ſentire. Sed jam ipſum loquentem audiamus:*

*mus. Quis sit ejus sensus de universa re exponam. Ipse autem introducitur perpetuo contextu singulas partes tractans, ne molestissimæ illæ voces, inquam & inquit, sæpius repetantur. De concordia autem sic exorsus est.*

Equidem mihi conscius sum in omni rerum usu mediocritatis atque adeo potius tenuitatis meæ: tamen cùm post hanc funestam cladem, tantam ubique trepidationem, pavorem, ac consternationem secutam audio; ut Christiani fracti ac debilitati barbari hostis adventu animos despondere videantur; putavi me sine scelere & communis religionis offensione prætermittere non posse, quin sensum meum de hoc statu rerum aperirem, & si fortè nihil novæ medelæ præter cæteros afferrem, benè tamen & rectè sentire voluisse cum alijs bonis viris cognosceret. Sed cum de modo & ratione arcendi hujus hostis cogito, nihil tam adversarium est, nihil tam obstat spei & fiduciæ conficiendi hujus belli, quàm dissidium Principum Christianorum, ac mutuò se delendi, nunc clam, nunc palàm, mirifica studia. Quæ sanè nisi restincta fuerint, remissa, aut sedata; frustrà recipitur omnis cogitatio de Turco profligando. Quare non possum non apertè & liberè, quid de hac parte sentiam, referre; antequam rationem ipsam gerendi belli attingam. Longum esset Christianos Principes admonere sui officij: cujus rationem referendam esse aliquando Summo Deo, non possunt ignorare. Taceo illa, quæ etiam in privatorum reconciliatione interponuntur: hoc vel illud resarciendum: si quid delictum sit compensationem inducendam, atque id genus passim nota. Hoc autem animadvertant, ultionem ex privato odio, quam arbitrantur in inimicum tendere, omninò in detrimentum ac perniciem totius Christianitatis vergere. Deberet profectò maledictio, & dira hominum imprecatio, atque perpetua illa infamia, quæ ipsis ob hujusmodi facta inuritur, aliqua ex parte eos

te eos movere. Deberent Reges nominum dignitatem & vim tueri quam sustinent, nisi se notatos omni macula & turpitudine apud posteritatem velint. Deberent in idem incumbere & facto qui Evangelium sequi se purè profitentur. Nam vel ipso sole clarius est, religionem nostram, nobis dissidentibus intestinis odijs & bellis, opprimi & extingui, Mahometi sectam crescere & propagari. Discant Christiani Principes, exemplo verborum hostis nostri fidem suam propagare. Is in confœderatione olim cum Ioanne Rege requisitus, ut aliqua castra restitueret; respondit, id se libenter facturum, nisi obstarent templa Mahometicæ religioni dicata: quæ non licere sibi tradere in manus GAVRORVM (ita enim Christianos vocant) proferebat. Si commiseratione & pietate non moventur, cogitent commune periculum, & futuram calamitatem aliquando in ipsos redundaturam. Nam constat, non defuisse potentes Monarchas, florentes magnis opibus, quos publicus Christiani nominis hostis ejusque majores subjugarunt. Decimus jam Turcorum Cæsar dominatur: qui sanè quantum sibi ditionum subjecerit, nemo est qui non videt. Fallitur, qui putat eorum ambitionem facturam modum. Grassabitur hoc malum, quousque pervadat eorum dominia, qui nunc sunt non parva causa hujus dissidij. Nemo arbitretur ab eo occupatam Hungariam, ut conquiescat, ejusque finibus contenta aut expleta sit infinita & insatiabilis Barbari cupiditas. Non est existimandum aliter, quàm eos multò acrius gloriæ & famæ stimulis agitari, quã Christianos. Vbicunque trophæa fixerunt, ibi non modò finis cupiditati, sed initium aliud ex alio novæ cupiditatis novo successori locatur. Certè ob privatas simultates non deberet Christiana respublica negligi; cùm videamus omnibus seculis apud Ethnicos privatas offensiones crebrò salutis reipublicæ causa sapienter condonatas. Quanto æquius est nos facere; quibus

ne pri-

ne privatis quidem mutuo inter se flagrare odio, nostra persuasione concessum est ? Turcus non propulsat, sed infert bella Christianis: Principes autem Christiani potius in mutua viscera hastas vibrant, quàm in illum hostem capitalissimum eas contorqueant. Cum verò id agunt ut videantur velle resistere, nunquam talem ordinem & delectum faciunt, ut justis viribus eum propulsare queant. Plus hoc modo hostem irritant, quàm arceant, aut populos fidemque Christianam defendant. Vereor ne quis me concionatoris munus obire loquatur, si dixero: Principes à Deo in terris constitutos, ut justitiam ex æquo administrent omnibus, subditos defendant, fidem propugnent. Adhæc infimum quemque de plebe coram Deo & hominibus reum agi, si non satisfaciat debito suo officio ac vocationi suæ: Quanrò magis ipsos Principes, quorum fidei & tutelæ commissi sunt, id facere par est? Sed hæc & id genus complura non dubito ab alijs dicta esse multò disertius. Vtinam à Principibus in actionem deducantur, quæ optima mente, quamvis odiosè, à viris bonis proferuntur ! Non est ambigendum, si quis producto catalogo bonorum & malorum Principum interrogetur: cujus se similem esse optaret; quin respondeat mox nisi amens sit, se malle potius Principis boni nomen & vitam referre, quam mali, ut Neronis utpote tyranni, famamque sibi peroptare superesse bonam quàm malam. Nihil enim magis tyrannicum, quàm negligere suam famam, nec curare quid quisque de se existimet. Hanc si viam affectant; ita se gerant in administranda republica, ut laudabilem & sempiternam famam bonis operibus post se relinquant. Habet Cæsar & Rex Galliæ cæterique Principes Christiani latissimum campum benè merendi de fide nostra, sibique & posteris suis æternum decus & nomen immortale comparandi. Summi Pontificis partes viderentur vel præcipuè, posthabitis privatis negotijs, Imperatorem & Regem Galliæ ad concordi

am reducere: & si non possint firmam stabilire pacem, saltem in aliquod tempus; ut si Rex tam sanctum institutum adjuvare nolit nec tamen impediat. Eorum enim dissidio Turcus nanciscitur opportunitatem Christianos vexandi & affligendi bellis. Quod ad Imperatorem attinet, non est obscurum, & olim cum magnis sumptibus in exercitus atque apparatum classium factis, multis fœderibus initis, dissimulatis & condonatis injuriis, strenuam operam reipubl. Christianæ navasse: (Sic Viennæ, & in Africa, aliisque in locis factum: sed semper nescio quo fato, impeditum) & nuper Ratisbonæ, quantum fieri potuit, Principes inter se conciliasse: idque sedulo eum facere & facturum perpetuò minimè dubito. Vtinam complures ad hoc sanctum opus sua pietate provocet, incendat, atque inflammet! Vtinam tandem eatur obviam hosti; ne ultra grassetur in Christianos, lanietque ac dissipet & in nihilum redigat ovile CHRISTI! Forsan DEVS servat IMPERATORI hanc laudem, ac omnibus qui ad tantum tam pium opus exsequendum suas vires conferent; nimirum ad propulsandum Turcum à cervicibus Christianorum. Si Rex Franciæ negat opem, aut ad hanc rem multò sanctissimam perficiendam subsidium, saltem non sit impedimento: & vel hac modestia præmium à DEO ab hominibus laudem promerebitur. Perspecta est optima voluntas Regis FERDINANDI, tot jam annos maximos labores sumptus & pericula pro republ. Christiana sustinentis. Credibile est etiam, domesticas discordias Germaniæ non futuras impedimento: Si Cæsarea Majestas suspensis controversijs ad aliquam legitimam cognitionem, concedat partibus pacem, vel ad tempus aliquod. Nam & proprium periculum quod impendet à Turcis, & alia multa impedimenta retinent eos, ne moveant alli intestina bella. Quod si IMPERATOR conspirantem bonorum Principum voluntatem offendet, & hanc tam necessariam tam piam expeditionem parabit,

rabit, providendum erit, utid sit certum ac cum constantia quadam ac fide bona agatur: ne posthàc relinquantur in periculo qui eos adjuverint, quique viciniores fuerint. Vt Venetis contigit bis: nec non Vladislao Vngariæ & Poloniæ Regi, ad persuasionem Pontificis Eugenij suscipientis bellum. Nunquam patuit Christianis facilior aditus ad eum invadendum, quàm hoc tempore, quo penetralia Christianarum ditionum est ingressus. Non erit per asperos difficilesque montes quærendus: non per longè dissita peculosaque maria insectandus: sed jam est in visceribus Christianitatis. Nunquam hominum memoriâ potuit facilius & cum minore periculo quàm nunc debellari. Quando autem tam sanctum opus, justum, pium, & necessarium est aggrediendum? Neque enim sine extremo malo omitti potest. Est hic hostis invadendus, antequam in Hungaria possessionem corroboret pedemque figat. Difficilè enim posthac eijci posset. Hungaria enim est provincia fortissima, validissimis oppidis & arcibus ac pluribus castris mirabiliter munita, Danubij fluvij infinita commoditate provisa. Est profectò Hungaria propugnaculum Christiani orbis. Inde nisi in tempore occurratur, hujus barbari hostis furore amissis copijs, reliquæ florentissimæ nationes longè lateq; direptione & incendijs deformari ac devastari possunt, multo etiam quàm olim ab Attila crudelius & immanius. Videmus enim & olim Romanis Imperatoribus maximæ curæ fuisse Pannonias, tanquam medium locum Europæ & cor Imperij. Inde patet aditus in Italiam, Germaniam, Poloniam: & ab altera parte in Illyricum & Turciam & totum orientem, nec ad Europam occupandam ulla sedes oportunior est. Magnitudo rei quam cautionem & provisionem requirat, ipsa me tacente per se loquitur. Si in ista provincia (quod Deus prohibeat) dominium suum firmaverit, difficulter exstirpabitur. Quod si barbarus ad inducias aliquas se demittat, non est exitii

mandum, eàs diuturniores fore, quàm quoad ille voluerit. Nec diutius sanè volet, donec in solo Hungariæ firmum pedem fixerit. Nemo débet ambigere, nisi prorsus alienus à Christiana fide, quin collocatâ fiduciâ in DEVM, Turcam possimus propulsare, ac etiam delere. DEVS non solet pro fide sua pugnantes deserere, si id bona fide egerint. Nec timenda est eorum multitudo: quæ magnâ ex parte imbellis est & inermis. Qui velint animum ad hoc institutum intendere, possunt animadvertere; non multitudine eos vincere, sed præcipuo adjumento eos uti ad victoriam dissensione Christianorum. Multa sanè exempla adduci possunt, quod Turcus ferè nihil obtinuerit, quin semper innixus hac vel illa inter Principes Christianos discordia: quibus inter se digladiantibus pro hoc aut illo loco (ut nunc in Hungaria factum est) cum magnâ prærogativâ suæ fortunæ nos adortus est.

*Hæc sunt, quæ* DVX TARNOVIVS, *non minori doctrina quàm eximia prudentia insignis, de Principum discordia disseruit: ad quæ me aliquid affingere vel adsuere de meo, & ipsius dignitas vetat, & mea me existimatio prohibet, ac ipse pudor non sinit. De his, quibus Turci Christianis superiores sunt, deque officio Imperatoris belli provinciam suscepturi, in hunc modum verba fecit.*

Etsi multa sunt, ad quæ advertere animum ducem hujus expeditionis deceat: quorum singula persequi non est necessarium: hoc in postremis ponendum non est, diligenter expendere, quibus Turci Christianis præstent. Videmus autem illos uti inprimis præcopioso equitatu, Christianos peditatu. Quod non arbitror magno commodo nobis cedere. Nam certum & exploratum habetur, Turcos à peditibus nostris, qui paucos aut nullos habent equites, detrimento affici non posse. Præterea hoc incommodi accedit; quòd equites nequeant Turcos profligare separatim istis levioribus prælijs. Ita illis relin-

relinquitur facultas, quaqua versus, sine ullo obstaculo, libere depopulandi ac devastandi. Deinde multùm contra nos facit, quod Turcus habet gentem unius subjectionis atque obedientiæ: apud nostros longè est diversum. In Christiano quippe exercitu diversæ militant nationes, diversorum inter se animorum. Vna natio aliam odit. Vt nonnunquam acciderit, rantam in uno exercitu discordiam atque dissidium ortum, ut vix (quod valde detestandum est) à mutua cæde sibi temperarint. Quid dicam de ducibus & præfectis ordinum, ex varijs nationibus conflatis? quàm crebræ inter illos non modò rixæ & altercationes, sed noxiæ dissensiones? dum unus alteri non concordat, ac non modò non favet, sed apertè invidet. Hinc efficitur, ut si justus aliquis exercitus cogatur, discordiâ tamen hujusmodi facile dilabatur ac dissipetur. Nunc quanta vis atque facultas Turcorum Cæsari in thesauro posita est? quem in sua manu ac potestate obtinet, eumque erogat pro arbitrio & necessitate, uti illi melius & consultius videtur. Contrà verò habent necesse Christiani, si velint resistere, ex diversis loculis depromere: atque omninò contribuere necesse est: quod ipsum tamen perexiguum est, neque eo numerosus exercitus ali aut certè diu sustentari potest. Inde insignis ille error sequitur; sæpe conduci militem cùm minimè res rempusque postulat, maximè autem necessario tempore desiderari. Videmus Turcas in oppugnandis civitatibus & castris abundare numero operariorum, ad fossas ducendas & vineas agendas aliaque onera subeunda: Christianis verò magna ex parte deesse, aut pauciores omninò esse quàm necessitas deposcat. Illud haud scio an primas teneat in rebus feliciter gerendis: occulta hostis habet sua consilia, apud Christianos nostra passim vulgari ac dispergi pingendo & scribendo, antequàm ad rem veniatur, non levis error est. Vnde hostis non modò edoceri commodè no-

ſtra conſilia, ſed jure ſumtibus in exploratores parcere poteſt. Quanquàm interim ille abundat peſſimis hominibus, qui ſe à religione noſtra abdicarunt; etiam Iudæis, quorum impigrâ in noſtris rebus ſpeculandis utitur operâ, eaque non ignavâ. Principes verò Chriſtiani vix ullam impenſam in exploratores faciunt; rem adeò neceſſariam, ut talium beneficio res maximas perfici poſſe, nemo paulo peritior neget. In præſenti verò ſumma commoditas iſtarum rerum ad manum eſt: parvo ſumtu, tum nullo penè negotio in vicinis locis, & quaſi domi noſtræ, ne procul ſint, in certa ſpe reditus, ablegandi. Quid jam de victu Turcorum dicemus? Illi non alio cibo neque potu utuntur in caſtris quàm domi: atque eam ob rem non incidunt in ægritudines iſtas, quibus Chriſtiani plerumque ſunt obnoxij. In exercitu enim Chriſtiano, quamprimum milites aquam continuò potant, pecudum recens excoriatarum carnes adhuc tepidas aut fructus avidiùs vorant: quò ſæpe impellit lautitiarum inopia: mox febribus, dyſenteria, atque alijs morbis corripiuntur: Turcis verò hic victus familiaris eſt & quotidianus. Quibus rebus omnibus ſuperiùs à me commemoratis ut obviam eatur & proſpiciatur, hæc quæ ſequuntur ab Imperatore aut ejus vicario vel ſubſtituto aut primario belli duce curari & provideri convenit. Principio ut belli nervus talis congregetur, qui ſtipendio militibus dando (de quorum numero mox agemus) ad biennium ſufficiat: deductis interim ſingulis annis trimeſtri ſtipendio: ut paulò infra oſtendemus: ne defectus ſtipendij, hac ratione parandi nervi poſthabitâ, memorabiles occaſiones remoretur impediat aut perimat. Nam cùm his rebus in tempore minùs proſpectum eſt, emendicanda laboriosè venit pecunia, & à multis ægrè præſtatur ac vix unquã opportunè apportatus. Et hoc pacto exercitus aut ſeriùs conflatur, aut citiùs dimittitur quàm expediat: ac tùm opera (quod

ajunt,)

ajunt,)& impensa perdita est, hosti animus crescit. Summopere præstandum est duci belli, ut persuadeat ac annitatur, ut quæcunque in exercitu fuerint nationes, earundem sint voluntatum & similium studiorum: procul exterminatis odijs, tumultu, factionibus, verissimis pestibus clarissimorum exercituum, atque adeò rerum in omni administratione maximarum. Præterea cavendum, ne indies in socios prædas atque rapinas exerceant: quod pessimo exemplo nonnunquam contigit. Quâ insolentiâ non modò hominum odia in se concitant: sed & Dei Opt. Max. majestas gravissimè offenditur. Meminisse consentaneum est eos qui bello interfuturi sunt, se non ad diversa opera, sed omnes in unum maximè idque maximè pium & Christianum opus convenisse: nimirum ut sempiternum hostem omniũ nationum & Christiani maximè nominis propulsent, fidemque sanctam defendant. Ita danda est opera, ne una natio alteri sit infesta atque infensa: & quamdiu stipendia simul faciunt se mutuò fraternâ benevolentiâ atque amore complectantur: nec aliud quærant ex hoc, quàm gloriam Dei & honorẽ, & gloriam quæ ultrò & sponte præclara gesta comitatur. Ducum belli, tribunorum militarium, & centurionum munus est: ne alius in alium hostili aut inimico sit animo. Quod quisque intelligit ac providet, liberè in medium proferat atque consulat: benignè quisque alium audiat: nemo alterius dicta aut facta impediat, quæ ad utilitatem aliquã rei benè gerendæ faciunt. Quilibet enim persuasum habeat; ubi res prosperè gesta fuerit, omnes participes & socios ex æquo præclari facti & partæ gloriæ futuros. Quò autem à me adducta concordia & consensio animorum, inter tot dispersas nationes, lingua & moribus discrepantes, coëat: necesse est, ut aut Imperator Carolvs, aut Rex aliquis, vel loco sui vicarius, summã belli administret (nec aliter res succedent) quem externæ nationes ament, revereantur, observent, atque exactissimâ obedientiâ colant.

lant. Ipse etiam præstandum curet, severitate disciplinæ militaris,& delictorum pœnis sine exceptione aut respectu infligendis. Hæc una vel adeò sola mihi videtur ratio, tollendi hujusmodi dissensiones: si omnes subsint uni capiti, ac unius imperio obtemperent. Nec par est, ad tantam belli molem gestandam aliam rationem iri. Nam si quis inferiore conditione homo imperio præficeretur, non aut Rex aut Dux sive Princeps, (cùm raræ Regum personæ sint,& jure omnibus tanquam numina venerandæ) non deessent, qui verecundiâ impedirentur, aut honorem aut se submittere: quem, tantum abest ut timerent, aut honorem aut triumphum illi faverent, ut ne obsecundare quidem illi aut morem gerere ulla in re vellent. Quo statu rerum nihil perduci ad laudatum exitum potest, nec natio nationi ullo modo studebit aut ex animo cupiet. Multa mihi dicenda essent de correctione disciplinæ militaris: sed quia ea res à multis est animadversa, brevior sum. Hoc quidem inprimis gravi pœna sanciri vellem: ne quis sacrosanctum Dei nomen flagitiosè proscinderet,& præter incommodum luxum, tantam quoque colluviem scortorum secum pertrahendi illaudatum morem posthaberent: unde non modò commeatui pernicies, sed dedecus quoddam ac infamis dissolutio nascitur. Commoveat eos indignissima vox cujusdam Bassæ; qui in superioribus prælijs, in expugnatis castris Germanorum intuitus copiam meretricum, dicebat iratus: se adductũ non ad oppugnanda castra militum sed luparum. Quisquis itaque Regum hoc onus ac provinciam administrandæ atque moderandæ hujus gubernationis suscipiet: is, cùm se mortalem genitum esse sciat, si fortè in tam memorabili ac Christiana occupatione mortem oppetet, nullum desiderium de se clarius, nullam famam celebriorem, nullam gloriam denique magis perennem relinquere optimo jure potest.

*Hæc iisdem fere verbis pertractavit vir peritissimus; gravitate qui-*

*quidem alia, sed mihi inimitabili; nusquam tamen ab ejus sententia discessi. Nullam ego hîc laudem eloquentiæ, aut gloriolam industriæ aucupor: modò candoris mei & fidei ratio Majest. Tuæ constare possit. Sed nunc illum ipsum, de numero militum ad hoc bellum necessario, audiamus, & de ratione superandi hostes.*

Reliquum est, ut dicam (est enim hoc summoperè necessarium) quanto numero militum animosè cum hoste confligi & conferi manus possint. Interim illud observari præcipiendum, ut supplementa semper in tempore mittantur. Accidit enim, nunc morbis, nunc parvulis prælijs, sæpè etiam fuga, milites absumi, aut desiderari. Exercitus erit, Equitum levis armaturæ XXXII millium; gravis armaturæ VI millium: Peditum XXXII millium: Fossorum duo millia. Adhæc bombardarum, quanta parari potest cópia. De qua re nihil præscribo, nam duces rei bellicæ periti facilè judicare possunt, quali apparatu & quanto numero ad talem exercitum sit opus. Sed cùm ad talem exercitum multâ impensâ sumtuque sit opus (non quod aut fieri aut perfici nequeat: imò spes certa & fiducia mihi est in Deo, his copijs impigrè & gnaviter illi resisti posse: ad vires Imperatoris & Germaniæ accedent Bohemi Moravi Slesitæ ac pars Hungariæ; quorum adjunctione hunc numerum compleri facilè posse existimo) qui cum potestate in expeditione futurus est, si qua fieri poterit ut stipendium minuatur, curet. Haud æquum est, quemquam terreri multitudine hostium: sed etiam alia consideranda sunt, num hostis in omnibus superior sit? Omnia verò fortunæ potestati concedere, esset nõ modò male mulctandæ stultitiæ, sed extremæ cujusdam ac exitiosæ dementiæ. Hoc porrò diligenter & accuratè considerandum, quo hostis antecellat, quove rursus nobis sit inferior. Quanquam Turci sint copijs numerosiores: gratia tamẽ & ope Dei bellicosiores sunt Christiani, & armis melius instructi, & equos habent in congressu robustio-

res & valentiores, sunt que equites omnes hastati. Turci non omnes hastis utuntur, sunt que plerique inermes. In Turcorum exercitu multi sunt servi (quos Sclavos vulgò vocamus) multi illiberi homines diversarum nationum: qui in bello non solent esse constantes. Quòd autem in hostili exercitu constanter manent, id minimè mirandum est ab illis fieri. Vident Christianos negligenti ordine, ac pravo regimine, & corrupta disciplina res suas constituere: fortunam Turcarum optatis uti successibus. Non dubium est: si Christianorum fortunam viderent mutari, animum & ipsi mutarent. Quis enim illiber potest constanter in prælio manere? cùm peroptaret potiùs suum Dominum extingui, ut libertatem recuperaret. Ad institutum nostrum non parum facit; quòd cum parvus sit exercitus noster, commeatus erit facilior procuratio. Ad hæc in certam spem venio, Christianos in congressu fortiores fore. Si in angusto loco erit cõgrediendum, adjuvabit loci commoditas. Si in plano & spatioso; profuerit majorem in modum carris in orbem connexis pro vallo uti, illis, quando res postulat, progredi, & castra metari. Postremò hoc nobis non parvos animos addit fiduciamque confirmat: Turcorum Cæsarem non posse habere supra sexaginta millia delectæ gentis: idque ita esse experientiâ sumus edocti. Sed jam præter ipsas vires & robur, quæ res externæ sunt, nonnè fide in DEVM nos erigi decet, qui justos & sperantes in se nunquam non juvare solet? Stat pro nobis justitia. Illi enim inferunt bellum: Christiani propulsant. Si viri sumus, confortatos nos esse decet. Ipsi enim agunt pro dominatu, pro ambitione, pro opinione illa insculpta illorum mentibus, sectam armis propagandam. Nos religiosius multò, pro vera fide, pro ipsa vita & sanguine, pro liberis uxore parentibus atque omnibus denique fortunis nostris: ne vel hostili gladio ut oves sine protectione pereamus: vel in fœdam & crudelem servitutem rapiamur. His supra commemo-

raũs

ratis adjungenda & illa ratio est: omnes qui in bello cum imperio aliquo futuri sunt, ipse autem supremus imperator inprimis, genus belli dignoscere debent: ut cum quo hoste pugnandum sit, & quomodo se in conflictu gerant, suos sciant edocere, & quo pacto se habere debeant. Turci enim pugnant fugiendo: & quamvis videantur fugere in primo congressu, (simulant enim & pulchrè mentiuntur fugam) duces deberent cavere, ne temerè eos insequantur; sed providè & cum ordine: ne nostros palantes & dispersos nacti circumdatos opprimant. In hoc quoq; non minimũ momenti erit, immutanda esse multa in exercitu Christiano; utpote ordinationẽ & dispositionem acierum. Nam Christiani non alio ordine incedunt contra Turcum, quàm inter se congredi consueverunt. Quare summa cura providendum erit, ut perpendatur modus Turcorum in congressu: ad quem accommodanda erit ratio instruendi Christianorum aciem. Quæ sanè consideratio mihi non videtur in postremis collocanda. Totus autẽ fortunæ eventus pendet ab una victoria. Nam Turcus non externis sed suis copiis utitur, & quocunq; ille proficiscatur eò robur suum omne educit: quo semel profligato & prostrato nunquam amplius cervices eriget. Et sanè vanus est ille terror; existimare, cum perpetuam habere fortunam, cum homo sit non Deus, poteritq; profligari deleri vinci & quidvis aliud. Quòd si etiam justa acie profligatus aut superatus non fuerit: satis tamen victoriæ & non parum gloriæ partum erit, si Hungaria ab illius tyrannide vindicata fuerit, & Christianorum virtute compellatur ad remotiores sedes retrocedere, atque intra sui regni fines se continere. Non est in ejus manu, ut annis continuis bella gerat: necesse est, eũ gentibus à se longissimè dissitis dare otium, quietem, tempus. Ad hyemem possunt de stipendio majoris exercitus partis deduci tres menses; & servari duntaxat aliquot millia equitum leviter armatorum: ne Turci vastent illa loca, per quæ Christianorum exercitui faciendum est iter: quos equites qui servabuntur levibus præliis arcere poterunt.

*Hæc* TARNOVIVS *magna ex parte his verbis, commemorauit: suam curam & solicitudinem, quam animo circumfert de repub. Christiana, sæpe magno cum gemitu significans: repetens omnes veteres & nostri temporis expeditiones, susceptas aduersus tyrannidem Turcicam, præcipuè ab Hungaris & Polonis; quorum voluntatem & virtutem prædicabat. Horum armis diu reliquam Europam defensam esse dicebat: nunc verò cæteras nationes intellecturas, quanto sint in periculo, quasi nudatas vallo & muro, amissa Hungaria. Sed hac se consolatione sustentari ostendebat, quod certum esset,* DEVM *non concessurum esse, ut penitus deleatur Christi nomen: deinde, quod, cùm Imperatoris* CAROLI *excellens sit virtus auctoritas pietas felicitas, spes esset* DEVM *ejus consilijs adfuturum esse. Magnum etiam in Regis* FERDINANDI *diligentia & virtute, & in Diuorum fratrum concordia & mutua pietate præsidium esse dicebat. Videtur & hos singulari* DEI *clementia in hoc extremo periculo orbis terrarum prouisum esse; ut Imperij sustigium teneret* CAROLUS IMPERATOR, *non solum potentia sed etiam autoritate & charitate multarum gentium antecellens prioribus Imperatoribus. Multum enim momenti allatura est ad rem tantam conjunctio Italiæ, Hispaniæ, Germaniæ. Denique sæpè testabatur* TARNOVIVS: *se nihil magis optare, quàm ut reipub. Christianæ opera sua, consilio, studio, & amore, ac omninò qualicunque ratione prodesse posset.*

*Habes inuictissime* IMPERATOR, *Domine Clementissime,* TARNOVII *Ducis fortissimi sententiam de bello gerendo: quam duxi significandam esse Majest. Tuæ: ac oro, ut studium meum pro tuâ heroicâ clementia boni consulat. Non ambitione, non curiositate, ad hæc significanda incitatus sum; sed quadam pia consolatione, in hac tantâ trepidatione publica, ac obseruantiâ debitâ Majest. Tuæ. Quam, precor, ut* DEVS *Pater cœlestis, verus exercituum dux & dominus, ad propugnandam Filij sui gloriam, ad tuendam & propagandam Christianam salutem, cum sempiternâ nominis sui gloriâ, quàm diutissimè, pro ejus merito, seruet incolumem. Datum Cracoviæ XIV. Cal. Octob. M. D. XLII.*

# LAZARI SVENDII

L. BARONIS CONSILIARII ET ARCHI. STRATEGI CÆSARII

# QVOMODO TVRCIS SIT RESISTENDVM CONSILIVM.

CVm Imperium Turcicum sit haud dubiè percussio & flagellum Dei ad vindicanda peccata Christianorum, ideoque inauditos habuerit hactenus successus & incrementa, cum admirandâ serie & successione domus Othomannicæ: cumque nullus hactenus populus, nulli Imperatores, Reges, & Principes, illius potentiæ resistere potuerint, & vel tempestive pacis vel fœderis conditiones cum aliqua subjectione & tributi exsolutione acceptare, vel durum jugum servitutis & tyrannidis cum publici status exitio ferre coacti sint: & nos in Imperio Germanico in eodem periculo ac præcipitio indies magis ac magis versemur: hostis autem potentia, & regni sui firmitas, & distractio nostra talis sit, ut neutiquam ad illum debellandum pares & satis instructi esse queamus: imò cùm nobis difficillimum sit, nos & nostra ab imminente illius tyrannide & certo quasi exitio sustinere & defendere: maximè cùm onus belli nobis solis quasi intolerabile sit, & à reliquis Christianis in ista perversitate temporum nulla nobis aut perexigua auxilia speranda sint: facilè hinc appareat, qualia de nostra conservatione & salute nobis consilia instituenda, & quorsum nostri conatus bellici dirigendi & expediendi sint: ut possibilem & salutarem finem & effectum, Deo dante, consequantur. Itaque de bello Turcis ultrò inferendo, cùm viribus, cùm nervis belli, cùm auxiliis, cùm occasione, cùm ducibus, cùm ordine & disciplina militari, cùm denique belli continuatione longè impares simus: cumque non tantùm cum hostium potentiâ, sed cum irâ & vindictâ numinis res nobis gerenda sit: item cùm tam calamitosa tot seculorum exempla, tot Imperatorum, Regum, Principum, populorum, civitatum, qui bello devicti, etiamsi viribus & multis alijs commoditatibus essent instructissimi, præ oculis habeamus: non puto in hac temporum necessitate ullam consultationem frustra suscipiendam esse. Nam sicut res omnes creatæ & naturales

rales certo ordine & providentiâ divinâ reguntur, & suis vicissitudinibus sunt obnoxiæ: ita non est dubium res hominum & imperiorum maximè gubernationes divino consilio & per suas vicissitudines corrumpi, debilitari, labascere, mutari, interire. Hactenus res Turcicæ spacio aliquot seculorum proximorum in perpetuo & fatali quodam successu & incremento fuerunt: itaque frustra conati sunt vicini Imperatores, Reges & Principes eas viribus & conatibus suis opprimere, vel cursum felicitatis suæ impedire. Iam nostro tempore cùm plus, quàm alias unquam, illorum potentia ordo & virtus militiæ & gubernationis vigeat; cùm nihil appareat quod nutet aut labascat, cùm totum ferè Orientem & Europæ majorem partem duro servitutis jugo oppresserint, vel sibi confœderatam & tributariam habeant, cùm reliqui Christiani inter se minùs quàm antea unquam stabili unanimitate & concordia sint colligati: quæ insania esset, Germanos solos tali rerum statu bellum Turcis velle ultrò inferre? Certè ratio & nostra necessitas potiùs suadet & postulat, ut omnibus modis pacem amplectamur: canem dormientem in certum nostrum exitium minimè excitemus. Immò ut omnes potius causas & occasiones evitemus, quibus tantus hostis ad bellum excitari vel irritari possit. Et quanquam fateri oporteat, pacis & fœderum nullam certam apud tyrannum & religionis nostræ hostem esse assecurationem: interim tamen videmus multa regna & populos Christianos longâ cum illis pace, tributione fœderum vel tributi & subjectionis alicujus, frui: ut Polonos, Persas, Moldavos, Walachos, Armenios, Georgianos, Muscovitas. Deinde si paci cum Turcis constanter insistimus: nihil inde nostris viribus, nihil defensioni & conservationi nostræ decedit: modò homines esse & viri, & rerum nostrarum sat agere velimus. Imò quò magis pax est dubia, & belli periculum ac discrimen nobis certò impendens: eò magis eam pacem

appe-

appetere & amplecti debemus: ut interim, dum illa frui licet, cùm rebus nostris tam male sit provisum, nostram defensionem melius instituamus, & provideamus, ut, vis belli Turcici si ingruat, nos non simul opprimere, sed quasi claustris & repagulis per meliorem confiniorum fortificationem & defensionis nostræ præparationem impediri atque infringi queat.

Experientia hactenus nos docuit, apertis præliorum conflictibus Turcas vinci & debilitari non potuisse: & si aliquando cladem à Christianis acceperint, eos irritatos ad vindictam paulo pòst bellum majoribus viribus restaurasse: imò pleraque regna & populos propterea, quod salutem suam præliorum discrimini temerè exposuerunt, miserè interiisse & sub jugum Turcicum venisse. Facile quoque est considerare & cernere, quod ex nostra parte sola natio Germanica non possit esse instructa & sufficiens ad cum potentem & solertem hostem publico prælio debellandum: aut, si hoc fieri posset, sicuti victoria apud solum Deum stat, tamen non nisi summâ necessitate vel ex nobis divinitus oblatâ meliori aliquâ occasione id tentandum esse. Nam etsi robore equitatus & armorum genere multum valeamus: tamen numero, disciplina, agilitate, patientia, ordine aciei, & solertia confligendi longè inferiores & impares sumus Turcis. Et si contingeret, nostrum equitatum in prælio Turcarum equitatum primo impetu profligare (sicuti non puto esse, divina voluntate non repugnante, dubium) tamen adhuc longè à victoria absumus; cùm illorum equitatus sit quadruplo aut quintuplo numerosior, quàm noster esse possit: & cùm per turmas sibi invicem succedentes, non unâ fronte & acie pugnare soleant: & illorum acies, etiamsi semel profligetur, non propterea in plenam fugam effundatur: sed ordines statim reparet, & iterum in prælium redeat, vel ad munitiones pedestris aciei, tanquam ad munitam civitatem sese recipiat, ut ibi conjunctis viribus, si hostis

eò usque victoriam prosequatur, iterum ac longè validius pugnet. Est autem pedestris acies ita apud Turcas instructa: & tormentis, curribus, camelis, & si opus sit, vallo & fossa munita: & Ianizerorum virtute & præstantissimorum equitum robore subnixa, ut impossibile quasi sit equitibus illam interrumpere ac profligare. Sicuti etiam hactenus in multis præliorum conflictibus invicta semper permansit. Et exempla testantur, tam apud Christianos quàm Persas & alios populos: etiamsi primò victores extiterint, tamen ad ultimum, cùm denuò ad munitiones & vallum pedestris aciei esset pugnandum, iterum fuisse profligatos. Ita olim Rex Vladislaus & Hunniades: ita Sigismundus Imperator: ita Sophus Rex Persarum: ita Sulthani Ægyptiaci: ita Rex Ludovicus Hungariæ fuerunt devicti. Nostra autem moderna ratio confligendi eò est deterior: quòd levioribus equitibus, quibus antiqui abundabant, ferè omnino destituamur, & quòd Germani equites in prosequendo hoste prorsus sint impares atque inutiles. Deinde quod restauratio præli, & reparatio ordinum, si semel in conflictu vel insecutione dissolvatur, apud nostros sit etiam valde difficilis: maximè cùm contra tam versatilem hostem vel nulla vel parva experientia bellandi & confligendi ex nostrâ parte accedat. Tandem est hoc periculosissimum: quod in nostra bellandi ratione nunquam pedestres copiæ in eam disciplinam & ordinem fuerint redactæ: ut simul cum equitatus robore progredi ac pugnare, & cedentibus hostium turmis usque ad pedestris aciei munitiones penetrare possint: quod omnino necesse est fieri, si de Turcis victoriam consequi voluerimus. Accedit & aliud, quod nostram bellandi conditionem etiam nobis periculosam & difficilem reddit. Turcæ mirabili celeritate & levitate belligerant, progrediuntur, retrò cedunt: quomodo & quando volunt, locant facilè & mutant castra: excurrunt dies & noctes, commeatu ferè nunquam destituuntur.

untur. Noſter exercitus contrà difficulter ſe movere, progredi, caſtra locare & mutare, & hoſte propinquo ad frumentationem excurrere poteſt: & ſi commeatu, aquatione, frumentatione intercluduntur, ſi per plures dies equis inſidere, æſtum & ſitim famem & laborem ferre oportet, illicò viri & equi langueſcunt: quod hoſtibus noſtris de nobis optimè notum eſt. Itaque hoc ſolum urgent; ut in planiciem nos provocent: prælium, ad quod ipſos invitos vix cogere poſſumus, quotidie oſtentent: & continuis aſſultibus & velitationibus nos infeſtent: & delaſſatos, & à commeatu ac frumentatione excluſos & debilitatos tandem eò melius vincere poſſint.

Inde factum eſt etiam, quod proximis annis, poſt devictum prælio Regem Ludovicum, quotieſcunque Turcarum Imperator perſonaliter eſt egreſſus, noſter exercitus nunquam auſus fuit illi obviam progredi, & aperto campo occaſionem pugnandi quærere: ſed ſemper ſe munito loco, & commeatu accommodò continere: atque inde hoſtis ulteriorem & liberiorem progreſſum impedire & detinere coactus fuerit: ratione ſcilicet & experientia extorquente, ac nobis imprimente; quod ſalus & conſervatio noſtra pro ſtatu rerum noſtrarum potius ex bello defenſivo, quàm offenſivo dependeret. Vidimus quoque noſtris oculis, poſtquam Germani defenſionem Vngariæ reliquæ ſuſceperunt, & ratione defenſivâ maximè bellarunt: Turcas, etiamſi ſæpius potentiſſimo exercitu egreſſi ſunt, tamen per tot jam annos Vngariam planè devincere non potuiſſe: ſed coactos fuiſſe fruſtulatim jam hæc, jam illa confiniorum loca, non ſine magna temporis & exercitus jacturâ expugnare & ad ſua reverti.

Ex cauſſis ſuprà dictis & multis alijs rationibus, quæ brevitatis cauſſa omittuntur, plus ſatis apparet: de bello offenſivo & ſpontaneo contra Turcas, rebus ſic ſtantibus, non poſſe ulla conſilia & conatus ſalutariter ac commodè inſtitui: ſed potiùs paci,

quoad fieri potest, insistendum esse; ac providendum, ut hostis per subitam pacis fractionem nos minùs subito opprimere queat. Minùs enim tale aliquid audeat, cùm nos probè ad nostram defensionem instructos & paratos videat. Et cùm facile quoque sit animadvertere, exteras nationes hoc jam callidè agere, ut bellum Turcicum à se avertant & in cervices nostras convertant: tantò magis certè nobis elaborandum est, ut pacem conservare cum Turcis possimus: ut ita vires suas in continuationem belli maritimi convertant, & in illo magis ac magis implicentur. Nam ita ex nostra parte tutiores permanebimus: & interim eò melius, quæ ad defensionem nostram pertinent præparare ac instituere poterimus.

Pacis conservatio in quibus consistat.

PACIS autem conservandæ ratio potissima hæc erit. *Primo* tributi sive honorarij ordinaria & tempestiva solutio. *Deinde* pacifica confiniorum custodia per bonam disciplinam & sufficientia præsidia: ita tamen ut hostiles hostium excursiones, hostiliter & fortiter etiam repellantur atque reprimantur. *Tum* reliquarum pacis conditionum sincera observatio. *Præterea* omnium rerum evitatio, quæ Turcas irritare possent. *Postremò* abstinentia à regno Poloniæ; cum tali tractatione & accordatione, quæ perpetuam amicitiam & confœderationem cum domo Austriaca & Rom. Imperio conservare possit, & nihil indignitatis habeat. Hanc haud dubiè Battorius offeret ac spondebit ultrò, cùm nihil magis appetere possit, quàm quietam regni obtentionem: & non sit tam væcors, quin benè intelligat, sibi ab auxilijs Turcicis multò magis quàm ab hostilibus nostris conatibus extimescendum esse.

Belli defensivi ratio duplex.

EST autem belli defensivi ratio duplex contra Turcas. *Primùm* necesse est confiniorum loca sufficienter munire, & necessarijs præsidijs custodire, item artilleria ac commeatu providere. *Alterum* est, majori vi belli ingruente, majoribus subsidijs & auxilijs

xiliis succurrere confinijs, & justo bello si opus sit resistere. Quod duplici ratione fiet: videlicet per militiam ordinariam, sive ordinem defensivum inter ipsos provinciales institutum & intertenendum: deinde copijs auxiliaribus à Statibus Imperij submissis.

Quod ad confinia attinet, primò hoc considerandum est & maximè ponderandum, summopere interesse Germaniæ: ut Vngariæ restantia confinia pertinacissimè defendantur: ne hostis ad ipsam Germaniam penetrare possit: ubi longè difficilior & periculosior bellandi necessitas nobis incumberet, quàm præsens in Vngaria est. Nam ibi confinia jam ex magna parte sunt munita: populus ad bellum assuefactus: & ad omnes calamitates & necessitates quasi induratus. Taceo mille alia incommoda, damna, clades, calamitates, miseria; quæ inde consequuntur & cuilibet sunt præ oculis. Deinde hoc quoque certum & evidens est, Cæsaream Majestatem cum suis provincijs ad retentionem necessariam & ordinariam confiniorum non posse solam amplius sufficere: & multa damna & jacturas & amissiones in confiniis ex eo solo defectu contigisse, quòd confinia necessarijs præsidijs & provisionibus fuerint destituta: videlicet milites pauci & illi non soluti, & vix ex media parte instructi ac præsentes, loca non sufficienter munita sive fortificata & à commeatu & artillerijs provisa: item in periculo & necessitate nullus succursus, nulla auxilia, nulla majora præsidia in promptu. Ergo omnino & inevitabiliter modus & ratio invenienda est, confinia securiùs & meliùs conservandi & intertenendi. Prima ratio belli defensivi.

Primo ut eò magis custodiæ & conservationi confiniorum invigiletur, & tempestive ac bono ordine omnia provideantur & gerantur, & animi subditorum eò magis excitentur ad solicitudinem & exercitum bellicum: necessarium omnino erit, militiam ordinariam, sive ordinem defensivum inter provinciales Quomodo confinia cõstituenda & intertenenda. I.

nuper institutum, strictissimè & severissimè observari. Deinde erit consultissimum, confinia inter ipsas provincias distribuere, & cuilibet certa loca assignare, quorum curam gerere debeat: videlicet exsolvendo militibus ordinaria & menstrua stipendia: providendo illis de commeatu & alijs rebus necessarijs: lustrando milites, ut semper justo numero adsint: promovendo fortificationes necessarias, & his à Cæsarea Majestate præscriptos ac definitos sumptus suppeditando: & invigilando, ut omnia debito modo fiant, & expensis inutilibus parcatur; è contrà concedatur cuilibet provinciæ, ut sumptus ad sua confinia impendendos, ex præscripto Cæsareæ Majestatis deputatos ex suis contributionibus, quæ alioquin in Cameram deportantur, desumere ac

II. retinere possit. SECVNDO cùm antiquitus Ordo Teutonicus in hunc finem & usum sit constitutus, & tantis divitijs dotatus, ut contra infideles perpetuis suis præsidijs militet: jam autem longo tempore otiosus domi desideat, & rei familiari tantùm intentus sit: reformetur ille in ista necessitate & discrimine publico, & in Vngariæ confinia transferatur: & illîc custodiam certorum aliquorum fortalitiorum in se recipere teneatur. Eodem modo ac ordine, quo Melitenses Equites in Italia militant, & Melitam insulam defendunt. Augeantur illorum reditus: & constituantur novæ & plures Commendariæ ex monasterijs & bonis Ecclesiasticis collabentibus, & alioquin in Secularium ma-

III. nus devenientibus. TERTIO cùm nec istis prædictis medijs, provincialiũ scilicet ordinis militia, & Ordinis Teutonici reformatione ac translatione, sufficienter confinia præsidijs firmari & interteneri possint: omnino & inevitabiliter faciendum est, ut Status Imperij sua quoque auxilia ordinaria addant, & provinciales Ordinemque Teutonicum certâ summâ pecuniæ annuatim juvent. Deliberetur ergo de modo perpetuæ contributionis, prout Statibus Imperij commodissimum videbitur. Habeat

beat Imperium ſuos ac proprios quæſtores & commiſſarios, qui pecuniam diſtribuant, & enumerent in tales uſus, in quos fuerit deſtinata. Supputentur rationes ſumptuum ſingulorum confiniorum: & ratione ſubductâ ſuſtineat Cæſarea Majeſtas cum ſuis provincialibus & ſubditis mediam partem: alteram Status Imperij præſtent. Fiat deniq́ue Confiniorum certa diſtributio, & deſignatio cum bono modo & ordine. Confiniorum diſtributio. Avstria curam habeat præſidiorum Iaurinenſium, Toccavienſium, Gomorrenſium, Veſprinenſium. Bohemia cum Sileſiâ & Moraviâ ſuperioris Vngariæ & montanorum. Archidux Carolus cum ſuis provincijs curam gerat Croatiæ & Dalmatiæ: & juvetur quoque certâ ſummâ pecuniæ ab Imperio. Ordo Teutonicus ſuſcipiat in ſe defenſionem Caniſæ & vicinæ regionis.

Præterea ordinetur in quolibet loco numerus ſufficiens. Præſidiorum ordo. Videlicet ſi præſidium, quod in præſens eſt collatum, ſufficiat, relinquatur ita: ſin minùs, augeatur. Imponantur in omnia potiora loca præſidia Germanica: & illis ſit potiſſima cura, cuſtodia defenſionis demandata: addantur aliquot pedites Vngari: item equites Vngari: item certus etiam numerus equitum Germanorum in potioribus locis. Item Vngari equites magno numero cùm non reperiantur: interteneatur certus numerus Archibuſianorum equeſtrium, ex omnibus nationibus collectus. Deputentur Capitanei in quælibet loca ex illis ipſis provincijs, qui illorum locorum curam gerant; ſi idonei reperiantur. Milites quoque Germanici, pedites & equites ex provincialibus ad præſidia deligantur, vel paulatim ſuppleantur; ita ut in demortuorum vel diſcedentium locum ſemper aliqui ad militiam apti ex qualibet provincia ſuccedant: & eò deputentur ea conditione: ut per biennium vel triennium ibi permanere & militare teneantur: & anteà non dimittantur aut mutentur. Vt ita paulatim uſus & exercitium militiæ inter provinciales inducatur. Ita tamen

men ut milites ex Imperio nobiles & ignobiles, qui in Vngaria militare volent, liberum etiam accessum ad stipendia habeant. Præsidia Ordinis Teutonici eodem ferè modo & ordine instituantur: quo Equites Iohannitæ in insula Melitensi utuntur.

Militum numerus.

COHORTES aliquot militum supernumerariæ interteneantur: & collocentur in certis quibusdam & diversis confiniorum locis: quò ad omnem subitam hostium incursionem parata esse, & conjungi, & à provincialibus, secundùm ordinem defensionũ, majoribus subsidijs, si opus sit, juvari & augeri celeritate possint. Aut si melius videbitur, supernumerarij milites isti, secundùm allegatum defensionis ordinem, ex numero peditum tricesimorum electorum capiantur: & ex ijs equitibus, quos Nobilitas pro quantitate facultatum & census centum librarum alere, & ad prima quæque pericula & necessitates paratos & instructos habere tenetur. ita ut per vices sufficiente numero ad confinia eligantur & mittantur, & per trimestre ibi permanere cogantur: donec scilicet alij succedserint: ut ita omnes provinciales successivè militiam discant & experiantur.

Militia ordinaria sive ordo defensivus in omnibus provincijs

PLANE natura & ratio, temporumq; necessitas, & omnium seculorũ & populorũ exempla nos docent; pro patria, pro liberis, pro aris & focis pugnandum & viriliter pugnandũ esse. Armentur igitur, lustrentur, exerceantur omnes Cæsareæ Majestatis subditi ad militiam apti, in omnibus suis hæreditarijs provincijs. Nobilitas imprimis teneatur, pro cujuslibet facultatibus & viribus, militiæ equestri esse addicta & instructa. Cæsarea & Regia Majestas, & filij Principes in suis aulis, & inter suos nobiles & aulicos primarium exemplum præbeant. Sint in honore & æstimatione militares viri: & promoveantur ad dignitates & officia. Statuantur severæ leges militares & sumptuariæ Strictissimè & severissimè observetur ordinatio & prompta evocatio ad confinia tricesimorum peditum & equitum, secundùm censum centesimum.

simum. In majori necessitate insurrectio nobilitatis, & decimi vel quinti cujusque ex subditis sequatur: prout in ordine militiæ defensivo latiùs ista explicantur.

Fortificatio certorum locorum.

Jam cùm magis ac magis constet, quæ vis, quæ industria Turcarum sit in expugnandis locis munitis: & cùm præcipua ratio salutis & conservationis nostræ, ut supra dictum est, ex defensione confiniorum dependeat: omnino Cæsareæ Majestati & Statibus Imperij faciendum est, ut munitiones magis necessariæ accelerentur & perficiantur, ac rebus necessarijs provideantur. Videlicet Canisæ fortificatio: cùm ibi hostis liberum habeat ingressum ad Austriam & Stiriam, & non sit aliud obstaculum. Gomorri quoque fortificatio emendanda & extendenda est: prout multoties fuit consultatum: cùm castrum modernum vim hostilem minimè sustinere diu queat. Vienna perficienda item: cùm non parum sit periculi, ne illius obsidionem hostis tentare velit, si personaliter egrediatur. Omnino autem sunt in tempore suburbia demolienda, aut, quantum fieri potest, transferenda, ut ibi nova civitas constituatur, & etiam fortificetur. Nam hoc modo Vienna fuerit difficilis occupationis: & semper poterunt subsidia immitti. Silesia & Moravia & provinciæ Boëmiæ rectissimè facerent, si fortificationem Turnaviæ in se vellent recipere: cùm illîc summoperè etiam ingressus hostis sit timendus, & non sit aliud propugnaculum. Ad pleniorem fortificationem Jaurini propugnacula aliqua ex altera parte Danubij addenda. Agria omnino perficienda & acceleranda. Cassoviæ quoque fortificatio non negligenda, cùm sit principalis urbs totius Sepusii, & sustentaculum reliquorum locorum & fortalitiorum: item receptaculum commeatus, artilleriæ, militum supernumerariorum. Ad labores fortificationum colonorum opera per vices continuè adhibenda: & nullo modo illis parcendum est.

Sumptus fortificationum.

Sumptus in fortificationes faciendi, similiter ut aliæ impensæ bellicæ, ex media parte à Cæs. Majestate & suis subditis ac

provincijs, & altera media parte à Statibus Imperij præſtentur. Fiat reviſio & æſtimatio ſtructurarum, & operum neceſſariorum in ſingulis confinijs: &, quoad fieri poteſt, certa ſumptuum computatio: & conveniatur inter Cæſaream Majeſtatem & Status Imperij vel Commiſſarios ejus: quantum quolibet anno impendendum ſit, & quæ loca maximè acceleranda.

Commeatus ratio,

COMMEATVS verò providendi & ſufficienter & utiliter ſubminiſtrandi in ſingulis confinijs non eſt melior ratio: quàm ut potioribus locis ſui coloni, qui agriculturam exercent, deſignentur: ut proxima dominia, quantum emptionibus & juſtis rationibus fieri poteſt, applicentur: ut ita ſuos certos reditus & proventus & ſervitia habeant. Deinde ut decimæ omnes ad propinqua loca advehantur: & militibus ad rationem ſtipendiorum diſtribuantur: ſicuti jam in Ungaria in aliquibus præſidijs fieri ſolet. Deſtinentur etiam certa & commoda loca: in quæ copia commeatûs reponatur ad alendum exercitum: ſi neceſſe ſit bellum gerere & exercitum educere. Sumptus in commeatûs proviſionem faciendos ſuſtineat Cæſarea Majeſtas cum ſuis provincijs: & commodo etiam fruatur, quod ex tempeſtiva proviſione & diſtributione vectigalium inter milites, ſive venditione, ſequi & acquiri poteſt.

Artilleriæ modus in confinijs,

TORMENTA, arma, pulverem & reliqua ad defenſionem locorum pertinentia, & in armamenta neceſſaria Cæſarea Majeſtas ipſa de ſuo ad ſingula præſidia provideat: & juvetur certâ ſummâ pecuniæ ab Imperij Statibus.

Altera ratio belli defenſivi.

SEQUITUR nunc altera pars belli defenſivi, nimirum de confinijs in periculo ſuccurrendis, & aperto bello reſiſtendo.

Modus triplex ſuccurrendi confiniis in periculo.

TRIPLICITER confinia periclitari poterunt: etiamſi præſidia ſufficienter eo modo, quo dictum eſt, ſint conſtituta. *Primò*, ſi Turcæ in confinijs ſe conjungant, & noſtra confinia ex improviſo invadant; ſicut anno ſuperiore factum eſt. *Secundò*, ſi novæ copiæ & auxilia illis ex Turcia mittantur: veluti ſi Baſſa aliquis vel Beglerbegus Græciæ exeat. *Tertiò*, ſi Turcarum Imperator

perator personaliter exierit. Itaque ex nostra parte triplici etiam modo resistendum, & confinijs succurrendum est. *Primo*, I.
ut secundùm suprà allegatum militiæ defensivæ ordinem in proximis confiniorum regionibus, utpote Austria, Stiria, Silesia, Bohemia, & provincijs Archiducis Caroli, itemque Ungariâ ipsâ delectæ sint & in promptu habeantur copiæ equestres & pedestres: ut subitò ad confinia evocari & accelerari possint; & sufficientes sint ad Turcarum præsidiarios sustinendos ac repellendos, & ad vicissim aliquid conandum & tentandum, si occasio se obtulerit. *Secundò*, si novæ copiæ ex Turcia exeant, II.
ut tempestivè confinia, ubi majus periculum imminere videtur, sufficientibus præsidijs & alijs rebus necessarijs firmentur. Deinde ut prædicti populi & regiones vicinæ ex præscripto & ordine institutæ militiæ iterum majori equitatus & peditatus numero, pro hostilis periculi qualitate, insurgant, & ad confinia properent. Item ut in tali casu certa subsidia ab Imperio in promptu sint: videlicet ut publicis sumptibus aliquot millia equitum & peditum conducantur, & in auxilium Cæs. Maj. mittantur. In quem finem reponatur certa summa pecuniæ certis locis in Imperio. Conducantur etiam, & certis annuis stipendijs interteneantur certi Capitanei & præfecti, tam equitum, quàm peditum, virtute militari & amore patriæ præstantes: qui in necessitate milites promptè colligere, & ad confinia ducere possint. Totius exercitus officia & præfecturæ distribuantur, æqua ratione & proportione inter viros idoneos ex Imperio & provincijs ac subditis Cæs. Majestatis. Præsit bello gerendo sua Majestas consilio, mandato, auctoritate: prout necessitas & occasio id postulabunt: sive sit præveniendus hostis: sive succurrendum loco obsesso: sive denique cum hoste confligendum. Habeant Status Imperij suos Commissarios & Consiliarios deputatos, qui suæ Majestati assent, sive belli Duci assistant. *Tertio*, si Turca personaliter exeat: ut tunc non tan- III.
tùm prædictæ vicinæ provinciæ totis viribus pro defensione

patriæ insurgant: sed ut totum Imperium omnes suas vires eò conferat: & â reliquis Christianis, quæ possit, etiam impetret auxilia: & ut tunc maxime bellum bono modo & ordine geratur: & hostis à confinibus repellatur vel sustineatur: ut tandem re infecta, cùm diu manere non possit, reverti cogatur: & aliquid præclari, Deo juvante & occasionem demonstrante, peragatur.

Modus & ordo belli gerendi contra Turcis.

MODVS autem & ordo tanti belli sustinendi ac repellendi is esse poterit. Primo, cùm apparatus & exitus Turcarum Imperatoris adeò clàm & subitò fieri nequeat, quin aliquot mensibus antea certò sciri per exploratores possit: omninò curandum est, ut in exploratoribus non sit defectus. Deinde deliberandum & conandum; ut vel hyeme præcedente, quod longè esset consultissimum, vel primo saltem vere, pars exercitus nostri ex confinijs & provincijs hæreditarijs: item ex Imperio sufficientibus copijs educatur: & hostis, qui ante mediam æstatem adventare non potest, bello præveniatur. Videlicet, tentetur oppugnatio unius vel alterius loci seu fortalitij Turcici: quod erit eò facilius; cùm munitiones eorum magni momenti non sint, & violentiæ artilleriæ, si rectè instructa & adhibita fuerit, resistere diu non queant. Expugnentur & demoliantur omnia ipsorum minora castella & fortalitia per Ungariam, ubicunque ea noster exercitus attingere poterit. Exuratur & devastetur tota provincia Ungariæ citra & ultra Budam: ut hostes advenientes eò magis commeatu & alijs commoditatibus destituantur. Muniantur & firmentur ea loca maximis præsidijs: quæ illi adventanti primò erunt obviam: & quorum oppugnationem maximè tentare velle & posse videbitur. Ponantur nostra castra in loco aliquo vicino & securo: irem opportuno ad succurrendum, si occasio fuerit, loco obsesso: & ad impediendum hostem: ne pro libitu ulteriùs progredi possit: & unde, cùm hostis accesserit, liberè cum illo confligere; vel tuto ibi nos sustinere vel recedere possimus. Observetur ubique certus modus

castra

castra metandi & muniendi; ut commeatu & pabulatione non destituamur: & ut à celeritate & assultibus hostium opprimi ex inopinato non possimus. Instituatur ab initio severa disciplina militaris, & ordo militiæ. Prohibeantur serio nimiæ illæ & perpetuæ commessationes, epulæ & crapulæ: quibus morbi in castris causantur, & nulla copia sufficere potest. Velitationes, excursiones, frumentationes bono ordine & securè permittantur: ita ut nostri milites non temere hostibus objiciantur, & non necessarijs periculis exponantur. Instituatur certus modus & ordo confligendi cum hoste; si necessitas vel occasio ita tulerit, & edoceantur milites illum observare. Videlicet *Primò*, ut integris ordinibus pugnetur cum hoste: & turmæ equitum & péditum nunquam, etiam fugiente hoste, dissolvantur. *Deinde*, ut primum agmen tantùm insequatur hostem, nec aliter quàm turmatim. *Tertiò*, ut in media acie pedites & equites semper progrediantur, & maneant conjunctim. *Quartò*, ut peditatus sit circumvallatus levioribus tormentis concatenatis: item curribus, sclopetis & bombardarijs instructis, prout specialiter explicabitur. *Quintò*, si equitatus Turcicus à primo agmine fuerit repulsus, ut nostri non nimis procul insequantur: neque mediam aciem nimis procul deserant: cùm hostium maximus sit numerus, & facile ad pugnam redeant: sed potius se ante mediam aciem recipiant, ut junctim cum illa ad equestrem & pedestrem hostium aciem, & totum illorum robur oppugnandum progrediantur. *Sextò*, sequatur illicò posterior acies: atque ad latera, &, ubi opus fuerit, prioribus succurrat, & à tergo hostes sustineat. *Septimò*, pugnandi occasio Christianis præbebitur, si hostis in oppugnatione alicujus loci diu vel frustra defatigatus fuerit: si tabes vel pestis vel fames exercitum invaserit: si lassus & debilitatus retrò cedere ac reverti cogatur. *Octavò*, quòd si contigerit, illum Deo dante etiam non profligatum reverti: consultissimum esset, bellum per totam hyemem sufficientibus &

integris copijs continuare, & confiniorum integram expugnationem tentare, & loca recuperata summâ celeritate munire: ut ita hostes quàm procul à confinijs arceantur: & majore belli difficultate in posterum detineantur. Reliqua quæ sunt, & quæ huc etiam possent adduci, tempus & occasio, necessitas, experientia, & ducum militarium virtus edocebunt. Numerus copiarum pedestrium & equestrium, item diversitas nationum, & militum exterorum, quorum opera etiam necessaria est ad tantum bellum, poterit singulari scripto explicari, & Statibus proponi: si eò usque in tractatione fuerit processum.

Qui belli Duces.

PORRO frustra fortificantur confinia, & præsidia aliæque res necessariæ imponuntur, & damnosus est universus belli apparatus: nisi à bonis ducibus cum bono modo & ordine regatur. Est autem proprium munus Regum & Principum, bellum recte administrare & subditos defendere. Sit ergo Imperator ipse summus belli dux: substituat aliquem ex filijs, cui cura & administratio rerum bellicarum sit demandata: ad quem omnes reliqui duces & præfecti post suam Majestatem respiciant: & ad quem omnia negocia bellica expedienda & tractanda deferantur. Adjungatur illi Bellicum Consilium, ut mox dicetur: referat hoc negocia magis importantia & urgentia ad resolutionem suæ Majestatis. Sub eo habeat suprema Ungaria suum supremum belli ducem: habeant loca antemontana: habeat Jaurinum & loca vicina: Canisæ sit Magister ordinis, vel suum locum tenens: in Carinthia, Stiria, Croatia sit Archidux Carolus. Quilibet præsit militiæ in suis confinijs; & pendeat à mandatis Cæsareæ Majestatis & generalis Capitanei. Si exeundum sit ad bellum apertum, vel contra Beglerbegum, vel ipsum Turcarum Imperatorem: exeat ipse Capitaneus generalis: vel subcapitaneus & Locum tenens: prout tempus, occasio & necessitas id postulaverit.

Consilij Bellici officium.

CONSILIVM Bellicum, quod Viennæ residet, ea negocia, quæ in confinijs se quotidie offerunt, & adeò magni momenti

menti non sunt, tractare & expedire debet: ne Cæs. Majestas vel Capitaneus generalis ijs nimium molestetur & obruatur: ita tamen ut de singulis ad Capitaneum Generalem referatur: & ipse in tractatione arduorum negociorum præsens sit. Summa cura & solicitudo Consilio Bellico esse debet: ut ordo confiniorum interteneatur & observetur: ut singuli Capitanei & Præfecti & Officiales suum officium ex præscripto suarum conductionum & instructionum bene administrent: ut ubique confiniorum necessitatibus tempestivè provideatur & succurratur: ut milites, qui à Præfectis ad aulam mittuntur, vel propter privata negotia veniunt, promptè & humaniter tractentur & expediantur: & oretenus potiùs cum illis agatur, quàm per scripta: ut exploratoribus hostilibus diligenter intendatur: ut contentiones & querelæ militum ex æquo & bono concordentur: ut nostrorum militum temerariæ & non necessariæ excursiones & periclitationes in tantâ Ungarorum paucitate non ferantur; nec per illas hostibus causa justarum querelarum præbeatur: sed pacta pacis strictè observentur: ita tamen ut excursiones Turcarum hostiles fortiter inhibeantur atque reprimantur: &, si contigerit Turcas à nostris cladem pati, ut illicò ad vicinos Bassas scribatur, & factum nostrorum excusetur & justificetur ne falsæ querelæ Constantinopolim delatæ Imperatorem Turcarum irritare facile possint. Lustrationes & solutiones militum singulari fide & solicitudine fieri curent: videlicet, ut bonos & fidos viros & industrios pro Commissarijs & lustratoribus deligant, & stricto juramento obligent: ut diligenter revisiones & secretæ inquisitiones fiant super lustrationes, & Commissariorum acta & regesta: ne nervi belli fraudulenter & malè consumantur. Ut experti & fidi architecti & ingeniarij sint liberalibus stipendijs conducti, quorum consilio & operâ fortificationes rectè designentur, promoveantur, & perficiantur, & nihil frustra vel inutiliter impendatur. Ut sæpius aliqui ex Consiliarijs bellicis structu-

ras revideant; ne error vel culpa admittatur: & ut ea quæ necessaria sunt tempestivè subministrentur. Utsimul etiam revideant confiniorum statum, & inquirant de sufficientia & defectu Capitaneorum, Præfectorum, militum, item commeatus, artilleriæ &c. Utque provideant illicò de remedio, vel super illo ad Cæsaream Majestatem vel Capitaneum Generalem scribant. Ut modus & ordo statuatur utrique Consilio, tàm Bellico quàm Cameræ: ut quodlibet cum altero super negocijs & necessitatibus quotidiè emergentibus, moderatè & absque rixa & invidia tractet, suum officium faciat, & publicam utilitatem respiciat. In Consilium Bellicum adhibeantur semper, & tunc maximè sequentes Præfecti, quando de rebus ad illorum officium spectantibus tractatio & deliberatio incidit: nimirum Præfectus artilleriæ & fortificationum, Præfectus commeatus, Supremus Commissarius lustrationum, Capitaneus sive Præfectus Viennensis. Deligantur ad functiones horum officiorum viri præcipui, auctoritate experientia & fide præstantes; sine ulla prolongatione & stipendiorum respectu: cùm absque hoc ordo & recta rerum bellicarum administratio constare non possit.

Quales Commissarij & Consiliarij & Quæstores Imperij esse debeant.

POSTREMO cùm Imperij Status medietatem sumptuum ad intertenenda confinia contribuant: cumque in majori necessitate belli præcipuum robur militum & exercitûs subministrare debeant: æquum est, ut omnia communicatis consilijs, mutuâ operâ, & æquali scitu & intertentione regantur & gerantur. Itaque ordinentur certi Quæstores & Commissarij ad tractandam rem pecuniariam, ad solvendos milites, ad lustrationes inspiciendas, ad promovendas fortificationes, ad debitas expensas subministrandas; unà cum Commissarijs & ministris Cæsareæ Majestatis & Provinciarum. Sint deputati Consiliarij Bellici unus atque alter ab Imperio, qui bellico Consilio intersint, & adjuvent rectam & necessariam rerum bellicarum administrationem.

FELI-

# FELICIS PETANCII CANCELLARII AD VLADISLAVM HVNGARIÆ ET BOEMIÆ REGEM

# LIBELLVS

## DE ITINERIBVS AGGREDIENDI TVRÇVM.

ACcepimus, Sereniſſime Rex, majores noſtros, cùm de inferendo bello conſultarent, priùs itinera, quibus tutò in hoſtes pergerent, multorum & ſcriptis & documentis accuratius inveſtigaſſe. Qua ex re ſæpe compertum eſt, eos fuſis validioribus copijs ampliſſima regna atque opulentiſſimas provincias ocyùs fuiſſe adeptos. Ea propter operæ precium erit Majeſtatem veſtram commonuiſſe, quos terrarum limites quasvé gentium regiones adeat in Turcos expeditionem affectans. Et quamvis decenti & matura perſuaſione ad proviſionem ruinæ Chriſtianæ opus eſſet exordiri prolixioribus verbis; ſtatus tamen perturbatiſſimus rerum me prohibet: eóque maximè, quòd majores noſtri, quorum exemplis innitimur, in hujusmodi arduis & maturè navandis rebus impigri ac ſemper citiſſimi extiterunt.

Igitur omiſſis oris maritimis, quæ verſus Aſiam navigantibus patent, referam duntaxat, qui tramites ex Septentrionali plaga in Thraciam & Orientem dirigant. PRIMVM igitur ex Pannonia ad Iſtri & Savi confluentem trajicitur in ſuperiorem Myſiam, prope Belgradum oppidum. Vbi duæ concurrunt viæ: altera ſuperior in Thraciam, ſive Romaniam; altera inferior ad Dardanos & Macedones mittens. Sed ſuperiorem viam ſequendo patentibus campis Godomiri præter celebre fanum Reſſare, Regum atque Principum illuſtratum ſepulchris, non procul ſuperato amne majoris Muravæ, relictisque ſiniſtrorſum agris Bardilovæ, per pagum Branicerum pergitur ad Neſum; olim (ut ex ruinis cernitur) civitatem peregregiam, nunc inſtar vici redactam & à Turcis & Bulgaris habitatam. Adjacet ea altiſſimis montibus ex finitimo Rhodope progreſſis, fluvio Niſava à quo denominatur; magnâque venalium copia rerum inter alios Myſiæ & Triballorum pagos cenſetur præclara. Abeſt à trajectu Belgradi cxx millibus paſſuum. Ex eâ aſcendendo ad vicum

Pirothi, sirum in montanis ; peragrato vasto montis Cunorovicæ jugo arduo atque difficili; cùm ob profunda circumvenientium rupium concava, tùm propter densissimum nemus, longioresque anfractus, fit per quinquaginta milliaria accessus ad Sophiam metropolim Triballorum ; emporium nostro sæculo memorandum. Iacet in plano ; spectans ab oriente inferiorem Mysiam, hoc est, Sagoriam : ex Chyabro flumine, circa Bionium & Nicopolim oppidum, porrectam per limites Istri ad mare Ponticum ; à meridie Thraciam ; ab occasu & septentrione Cordiscos, Triballos, & excelsas montis Vasiglicæ alpes. Hinc Rhodope præ alijs quàm plurimis, quos habet, verticibus est eminentior : quasi omnibus finitimis montibus imperitans: quod ex ipsa Græca denominatione planè innuitur : per cujus asperos & angustissimos aditus biduo pertransitur ad plana Philippopolis vel Romaniæ. Hâc Romani Asiæ quondam imperium sibi vindicantes iter habuere : quorum insigne ad hæc usq; tempora in montis medio marmoreis erectum columnis conspicitur. Hinc & Gotifredum Bullionium, dum terram promissionis recuperaturus pergeret, ad Hellesponti sive Callipolis trajectum ex superiori Mysia transcendisse, memoriæ proditum est. Hisce etiam angustijs Vladislaus Pannoniæ & Poloniæ Rex olim ab Amurathe Turcorum principe obsessus, retrocedere, & in Pannoniam ire fuit compulsus. Ex Philippopoli via tridui, eâque campestri continuè ad latus Maricæ sive Hebri fluminis pervenitur Adrianopolim : vocatam apud priscos Odrysum sive Orestida. Ea quantum pulchritudine & rerum gestarum gloria inter omnes Thraciæ urbes semper claruerit, hinc vel maximè deprehenditur ; quòd ejus fœcunditate veteres Bithyniæ Reges allecti, ex Asia in Europam commigrantes ipsam sibi in domicilium atque imperij sedem diu ante Byzantij expugnationem tenuere. Ab ea in Propontidem & Hellespontum

sive

sive Callipolim milliaria LX; in Constantinopolim verò CXX computantur.

*Altera via inferior, quæ ex eodem Belgrado per Dardanos & Triballos montes Æmum transgressa, propè Hebrum cum superiori via conjungitur.*

Altera inferior via est accessu perfacilis. Patet enim ex Belgrado ad limites Mysiæ & Dardanorum CCLXXX millibus passuum. Progrediens circa Ostermicæ oppidum & Racanicense monasterium: adducit primò ad Moravam (olim Moschũ dictum) ad latus arcis Cruscevæ fluentem, quandoque imbrium exundatione invadabilem: dehinc ad Basilicam albam, & Apennini montes, Mysiam invicem separans. Rasciani enim primi hujus provinciæ populi feroces ac bellicosi eam partem incolunt, quæ ad Dravum Savum & Istrum flumina spectat: Valachi montani, genus agreste hominum; hi gregibus tantùm pollent & armentis. Aliam autem, quæ ad Dardanos Macedones & Triballos vergit, Serviani; gentes usu mitiores, & siderum aspectu benigniore eò quòd magis ad meridiem tendant, & frequentiâ commeantium mercatorum. Pertransitis itaque montibus, sequitur planum Dubotizæ frequenter inhabitatum. Sed dimisso aliquantisper ad lævam tramite; qui ad villam magnam Procopiæ & Nisum dirigit: non procul offert se vallis Cossovicæa, cum Labo flumine per medium ejus decurrente: procedens ad latissimum Cossovum campum, celebratum toties diversarum gentium certaminibus. Verùm ex multis quæ hîc præclare gesta in antiquis narrantur annalibus pauca in hujus campi memoriam repetam. Galli olim Græciam atque Asiam occupaturi, illic primò tumultuantes cum circumfinitimis populis prælium iniêre, non sine magna strage: ut ex eorum monumentis appatet. Precibus namque vix inducias obtinuerant,

donec traditis sepulturæ occisorum corporibus, à provincia abirent. Præterea anno jam CL Amurathi Turcorum Regi magna cum Barbarorum multitudine ex Thracia in Mysiam irruenti Lazarus Despotus hîc cum multis millibus obvians, fuit occisus; paucis ex suo exercitu superstitibus, apud Turcos victoria remanente: non incruenta tamen; peremto ibidem eorum rege: ubi ejus adhuc intestina marmoreo condita tumulo jacent. Cadaver enim in Bursam sive Byrsam Bithyniæ metropolim deportatum est cum alijs ex Othomannorum familia Regibus sepeliendum. Postremò hîc fuit illa infausta & omnibus sæculis execranda clades, Ioannis Huniadis, genitoris D. Matthiæ Pannoniorum Regis: ex conflictu habito cum Amurathe & Mahumete Calepino ejus filio: qui fuit pater moderni Turcorum Imperatoris. Hujus campi planicies protenditur circiter LXX millia passuum; usque ad viam Cuzamici, & fauces Clissuræ quæ ad Scopiam ducit: posita inter duo flumina Sithnizum & Labum, vallata undique montibus; quorum extrema perabundant vicis & pagis; habens ad latus opulentissimum pagum Pristinam, qui ob maximam ubertatem fuit quondam Mysiæ dominis in maximis delicijs. Est insuper ad decem milliaria Novo montana civitas, Germanorum colonia. Principiò namque Saxones in Mysiæ partibus metalla & argenti materiam reperere. Cæterùm juxta Horavizæ lacum & paludes, divertendo ab ea via quæ ducit Binzum; Moravam, ad montes Crivicina infra Mysiam & Dardanos jacentes, itinere unius diei ab ingressu Clissuræ, patet accessus ad Scopiam, caput Dardanorum & terminum Macedoniæ. Hæc civitas est ferax, & abundans omnibus preciosis terræ fructibus: plena divitijs: diversorium peculiare principis: irrigua salubri flumine Vardaro; scaturiente ex jugis altissimis Orbe montis: qui imminet Macedoniæ, Triballis, Mysiæ, Dalmatiæ, ac Epiro: propterea opportuna ad con-

convocandum exercitum. Inde iter arripiendo per planiciem Gegligovæ, vallem Conopnizæ, Balnea Beobusci, pontemque Strymonis, dirimentem Macedones à Triballis sive Bulgaris, prope villam ripæ Rubeæ: perlustratis campis Samocovi & silvis vastisque solitudinibus montis Hæmi: apud Triballos ejus accolas Costegnazo difficili admodum via descenditur ad Marizam, hoc est Hebrum fluvium, & campos Philippopolis sive Romaniæ. Vbi hæc via inferior, distans à Scopia ccxxx millibus passuum, conjungitur cum superiore: ex monte Vasiglita sive Rhodope ad hæc plana progrediente.

## *De cognomine & situ Romaniæ.*

Romania autem, de qua paulò superius mentionem fecimus, est regio aprica; affluens omnibus, quæ ad humanum expediunt usum: à Romanis olim ob magnam situs amœnitatem diu habitata. Vnde propter frequentes in ea provincia Romanorum colonias, & præsertim Constantinopolim, quæ quasi altera Roma vulgò nominari consuevit. Ejus longitudo à littoribus Ægæi æquoris & Strymone fluvio cccxc millibus passuum progressa; ab oriente, Ponto; à septentrione Istri ambitu, non longè à Rhodope, juxta Ciabrum amnem, cum inferiori Mysia finitur: latitudo verò ex vicinis Hæmi latebris incipiens ad meridiem clxxx versus Callipolim protenditur.

## *Alius locus unde ex Pannonia in Mysiam juxta Saslon oppidum trajectus est.*

Secundus autem locus, unde ex Pannonia transitus in Mysiam est, prope Saslon, sive Sabacum oppidum; non procul inde ubi Drina ex Dalmatia decurrens Savo immiscetur. Vltra Savum duæ sequuntur provinciæ, Belgina & Maza; relictis ad dextram flumine Albo, & his montibus, Sacero, Chirbenico,

Cru-

Crupino, Saëza. Et tunc itur ad famosum vicum Vagbem, montesque Larzi: exercitibus propter currus & alia impedimenta immeabiles. Ex parte sinistra fit progressus ad vadum majoris Muravæ, alluentis ibidem Crussevam arcem: adhærendo semper alijs itineribus superius memoratis.

## *Via quæ ex Pannonia per Transylvaniam mittit versus Thraciam & Pontum.*

Est & tertium iter opportunius minusque laboriosum; ducens ex Pannonum finibus in Thraciam, & ad alia loca vicina Ponto. Verùm quia tam ipsos Pannonas, quàm reliquos trans Danubium commorantes populos, illud minimè latet: cùm ex concursu commeantium invicem mercatorum: tum ob continuum bellum, quod circa oram Istri & eas regiones Turcos propulsando exercent; pauca tantummodò ad hanc viam necessaria aggrediar. Buda itaque abest à Varadino LXXX millibus passuum; interjacentibus Cumanorum locis & flumine Tibisco. Hinc ad Rhium oppidum prope Crissiam amnem est via unius diei, semper campestris. Ex eo patet accessus per vallem longam in Colusvariam sive Themisvariam. Inde ad Sibinium, pari spacio itineris & perfacili. Hæc civitas est principalis ex Septem Castris. Quæ regio vulgò Transylvania sive Herdelia appellari consuevit: bello insuperabilis. Parit enim strenuos, ac fortissimos milites. Est in ea Huniad oppidum, loci natura munitissimum: unde Ioannes pater D. Matthiæ regis oriundus fuit: qui hic primùm Turcis, eorum duce Mesribecho interfecto, melioribus semper auspiciis victoriam persequendo, adeò hostibus terrori, & suis admirationi extitit, ut omnium sententiâ in regni gubernatorem deposceretur. Ex Sibinio sequitur Corona sive Bresovia: ultimum oppidum Transylvaniæ: adjacens montibus: qui dividunt eam provinciam à majori Valachia

seu

seu Dacia. Hinc tertia die aditur Tragoviscus, metropolis Valachorum, & sedes peculiaris Principum inaccessibilis: non muro, non mœnibus cincta, sed fossa, vallo & aggeribus tantum, cum sudibus præacutis exteriùs positis; sita inter paludes, obductas lutosis sylvis & lacunis aquarum: ita ut hyeme tota penè circumfinitima regio immeabilis sit. Hæc est provincia Dacia dicta apud veteres, Romanorum colonia: unde ejus aborigines hac etiam nostra tempestate passim Latino utuntur colloquio. Est ea gens barbara, crudelis, divinationibus & augurijs dedita, rapinis semper & prædæ inhians. Ex his locis declinando viam ad trajectum Bidinii & Nicopolis dirigentem: ad lævam offert se Vasillum castrum: medium fermè consistens inter Valachiam majorem & minorem, quæ & Moldavia dicitur: ubi sæpè cum Turcis certatum est. Dracula enim cum paucis sed delectis militibus Mahumetum Turcorum imperatorem potitum jam majori Valachia, & ad minorem occupandam maturantem; hìc ad secundam vigiliam noctis aggressus, conversum in fugam ad Danubium, cum magna suorum cæde & ignominia, regredi coegit. Hìc denique Stephanus Moldaviæ princeps Soleimannum Bassam & Ducem Romaniæ sic prostravit, ut ex xxx Turcorum millibus pauci admodum, qui fortè velocioribus equis insederant, evaserint. Ex Vasillo circiter xxx millia passuum pertransitur Ister ad Brilagum, sive Braillorum oppidum. Vltra quod occurrit Græcia; procedens ultra septem ora Danubii usque ad Pontum. Vbi est campus Varnæ; celebratus primo conflictu Imperatoris Sigismundi & Ducis Burgundiæ; postmodùm cæde Vladislai Pannoniæ & Poloniæ Regis atque Legati Apostolici.

## *Via per quam ex Varbosania itur versus mare & montes Corbaviæ.*

Reliqvvm est, ut quàm brevissimè enarretur: ex quibus

Dalmatiæ partibus Turci irruant in Germaniam, & in alias circumfinitimas nationes. Est igitur in ea provincia locus qui Varbosania dicitur: caput & sedes principalis Ducis ejus gentis: quò omnes ex Asia & Europa barbari prædæ ac rapinarum avidi confluunt: propterea quòd inde facilius discurritur sive ad oram matitimam, seu per Licham & montes Corbaviæ, in Liburnos, Istros, Lubianam, & Forum Iulium: vel ex monte Adrio, qui fermè medius inter Bosnam & sinum Adriaticum consistit, ad Croaciam declinando, in Carniolam, Ciliam, Carinthiam, Stiriam usque Austriæ penetratur fines. Sed ex declinatione itinerum, quibus ad eas transitur gentes, ubi quæque regio sita sit plenius apparebit. Hostes itaque ex Varbosania ad planitiem Thimæ sive Sethiæ, distantem CLXXX millibus passuum, & ad alia loca proxima mari discurrere volentes; etsi plures aditus habeant, duos tamen continuis excursionibus sibi magis cognitos, & quasi faciliores frequentant: altero circa Visochij Ganzam & Prosorium oppida descendunt ad Clissum, Spaletum, Tragurium & Sebenicum: altero autem longius ad Cluci arcem porrecto, præter Bistrizam, intrant in Jadræ plana usque ad fretum patentia, dirimens Insulas ab invicem à promontorio Corbaviæ, cæterisque mediterraneis locis. Verùm regrediendo ex istis campis ad Cluci oppidum & montes, unde in hæc littora divertitur, duæ offerunt se viæ: alia versus Bichachium & Hunam fluvium pergens: altera peranguſtias Corbaviæ plerisque in locis transitu difficili & arcto, vix pedibus peragrando, dimissis ad lævam Novij & Buchari oppidis, cum Istria, Tergesto & Monte Falconis. Feruntur ex limitibus Bosnæ CCCXX millibus passuum, ad Hisunitium amnem.

Via

## *Via quæ ex Cluci oppido versus Hun fluvium progreditur, & per quam itur in Germaniam.*

Sed superiorem viam tendendo; trajicientes Hun fluvium ad latus Bichachij; relicta Cruppa ad dexteram; semper locis campestribus spacio L milliarium offendunt omnem regionem Croaciæ circa Modrusium, usque ad Cruppam & Savum fluvios. Hinc etiam Lubianam excursiones fieri possunt per eosdē montes Corbaviæ; via stricta, lapidosa & aspera. Post Cruppam amnem sequitur Methlica: in cujus finibus est mons arduus, transitu difficilis, porrectus ad quatuor milliaria: ubi pauco admodum præsidio iter hostibus præcluderetur. Inde ad Savū & Carniolam transcurrunt, & ultra Savum per Ciliam, Carinthiam & Stiriam provincias Dravo fluminiadiacentes depopulaturi, dextra Muram fluvium & Austriam adoriuntur.

## *Via Egnatia ex Epiro sive Dyrrhachio, per Æmathiam in Thraciam progrediens.*

Dvxi præterea peroportunum fore, si nostræ ætatis hominibus simul atque posteris notum fieret: per quæ itinera olim Romani exercitus ex Epiro in Macedoniam sive in Orientem transibant: præsertim cùm & assidua bellorum vastitate & temporum vicissitudine nomina urbium atque locorum obliterata, omninoque hodiernis Christianis militibus incognita existant. Proinde duæ sunt viæ. Altera Egnatia, ex Dyrrhachio in orientē: quam Strabo geographus ad Hebrum fluvium Thraciæ per millia passuum DXXXV mensus est. Altera autem ex Apollonia: quæ Candavia à monte Illyrici denominatur, in Macedoniam CCLXVII Thessalonicam usque progrediens. Sed prior Egnatia ex Dyrrhachio per Pharsalicos & Æmathiæ campos: linquendo sinistrorsum Fandam fluvium, & montes Ducagmorum; circa Lisum, Æmathiæ quondam nobilissimam civitatem, & frequentissi-

mos Vrachiæ & Dibri pagos: pergens ad Belgradum oppidū fermè medium inter Æmathiam, Thessalos, & Macedones: dimissis ex parte dextera Thessaloniæ montibus: lævā verò Drina fluvio: peragratis sylvis & nemoribus finitimorum montium; descendit in planiciem Macedoniæ, extensam versus Hebrum & Thraciam.

## *Via Candaviæ maritima, ex Apollonia ad fauces Propontidis extensa.*

SECVNDA verò via quæ Candavia dicitur, ex Apollonia, unde sumit initium Epirus, ad sinum Ambracium, præter Aulonis sive Valonæ lacum procedens. Dextrorsum adjacent sibi gentes Epiroticæ: quas Siculum mare alluit. Hæc regio vulgò Arbanus nuncupatur: diu sub Aranitorum dominio habita: cum Acheloo, vel (secundum accolas) Pachicolamo amne è Pindo decurrente conjungitur. Illîc terminus Epiri. Ab eo per Acarnanes ad Evium seu Phidarim fluvium; qui in os sinus Corinthiaci influit: dirimentis Ætoliam à Peloponneso; ad Anthirium flumen Isthmo pertinet. Verùm tota hæc via superius memorata continuè extenditur per oram maritimam: aditu quibusdam in locis aspero, & longius à mari ambiendo; ob crebros prominentes in hæc littora montes. Ea post Isthmum ab Ægæo excepta pelago, per Locros, Phocenses, Bœotios, Atticos, & Megarenses, Græciæ maritimos populos: circa Eubœæ atque Thessalonicæ sinus, dimissâ ad lævam Lariſsâ, descendit usque Thessalonicam clarissimam Macedoniæ urbem. Dehinc rursus ad latus ejusdem freti versus meridiem, Athon montem declinando: per plana & montes Strymonem transgrediens: qui Macedones à Thracibus dividit: locis semper maritimis ad Æmionem oppidum extenditur; ubi Hebrus Thraciæ fluvius Ægæo immergitur æquori. Hinc duo patent itinera: Alterum per LX milliaria versus Adrianopolim: Alterum autem ad lævam per pontem Æginæ, supra paludes & lacus miro artificio tribus millibus passuum extensum, præ-

præbetur acceſſus ad Callipolim: ex ea in occaſum divertendo facilè ad fauces peryenitur Propontidis, ſive Dardanellum.

Hæc ſunt itinera à Romanis olim toties peragrata exercitibus: nunc à Chriſtianis obnixiùs affectanda, ſi pulſis ex Europa barbaris perpetua pace potiri concupiſcunt. Non eſt itaque expectandus hoſtis: neque dimicandum cum eo in limitibus & gremio Italiæ. In Epirum ſive Macedoniam tranſportandæ ſunt copiæ uno atque eodem momento. Hinc ex Pannoniæ oris bellum Thraciæ inferendum eſſe, nemo jam ambigit: non defuturum enim militem, neque commeatum; omniaque neceſſaria præſtò fore. Aderunt & ex circúmfinitimis provincijs undique fideles populi, ſolam expeditionem Chriſtianam præſtolantes, parati hoſtes undique adoriri, ubi primùm ſenſerint Chriſtianorum caſtra Iſtrum, & ex Italia exercitum Adriæ fretum trajeciſſe. Hæc eſt una atque extrema via debellandi hoſtem. Legimus namque Alexandrum Magnum cum Dario Perſarum Rege in Aſia decertaſſe. Xerxes ne ab Athenienſibus in regno ſuo circumveniretur, prior ipſe Græciam invaſit. Hannibalis quoque una atque eadem ſententia ſemper erat: ut in Italia bellum gereretur: neque ab ea jam victor revocari potuit priùs, quàm translato in Aphricam bello. Cæſari etiam tanta in opprimendis hoſtibus celeritas inerat, ut plerumque ipſe famam ſui adventus præveniret. Sed prætermittenda ſunt tot exterarum gentium exempla. Solummodò unum relinquitur dignum memoria, ac celebrandum poſteris documentum Ioannis Huniadis. Qui nunquam paſſus eſt Turcos adverſus Chriſtianos expeditionem moviſſe: quin eos in ipſa Thracia aggrederetur. Cujus præclara ac ſanctiſſima pro defenſione orthodoxæ reip. incepta noſtræ tempeſtatis Principes æmulari atque imitari, Dominus Iesvs Christvs, Devs Optimvs Maximvs faxit.

# CHRISTIANI FRANCI
## DOLIVM DIOGENIS,

## STREPITV SVO COLLABORANS DYNASTIS CHRISTIANIS, BELLVM IN TVRCAS PARANTIBVS.

TVmultuantibus Philippi Macedonis hostili adventu Corinthijs, atque alijs aliam ob causſam ſolicitè per urbem, ut ſit tali rerum ſtatu, diſcurrentibus: legimus Diogenem, Corinthi tunc fortè habitantem, otioſum in tumultu illo non fuiſſe: ſed dolium ſuum, volubilem domũ ſuam, tam ſerio ſurſum deorſum volutaſſe, quàm cæteri arma reliquaque ad bellum neceſſaria comportarent. Vos jam, ô Germani, cæterique bellatores magnanimi gerendo bello Turcico incumbentes, me de re tanta ſcribentem cogitate tantulum quendam Diogenem, vel miſerum etiam quendam Tantalum: nec tam ſuaviter deridete, quàm Hannibal Phormionem illum deriſit Peripateticum: qui homo minimè militaris, de militia tamen, coram tanto Duce, auſus fuerat differere. Non enim ad ſcribendum mea ſponte veni, aut oſtentandi ingenij, aut venandi proprij alicujus commodi cauſſa: ſed rogatus, ut in hac omnium cura & ſolicitudine parandi belli, ipſe quoque aliquid agerem: ſi nihil aliud poſſem, vacuum potius Diogenis quam plenum Bacchi dolium volutarem. Igitur Diogenico hoc dolio excitabitur quidam tantùm ſtrepitus: tum ad alios quosdam excitandos; tum ad ſua ſponte pronos & currentes magis etiam incitandos. Bellum enim infert Chriſtianis, nominis Chriſtiani hoſtis barbarus, ſed prudentia minimè barbara. Nam ſi non eſt literarum, nec tamen poculorum, ſed armorum ſtudioſus, ſobrius, vigilans, belli ſciens, in omnes fortunæ occaſiones intentus. Videt ille optimè, perpaucos jam Germanis eſſe claros militiæ duces: Regem Hiſpaniæ bello diſtineri, & diſtrahi Belgico: Galliæ Principes de ſceptro decernere ferro: Angliæ Reginam capitali odio à reliquis Chriſtianis diſſidere: Polonos, Venetos pactis inducijs non poſſe adjumento eſſe Germanis. Et hos ipſos non eſſe concordes: non conſulere in commune; pleros-

que

que privatis, quàm publicis commodis esse propensiores. Ex præteritis conjecturam facit de futuris. Scit ademptum Christianis Byzantinum Orientisúe Imperium; cùm inter Græcos & Latinos, æstuantibus religione animis, nulla firma pax sanciri aut stabilis concordia iniri potuisset. Hinc jam animo concipit Occidentis etiam Imperium: quod discerptum novit ab aliquot Regibus & Regulis: qui à communi aliquo Rectore non pendentes, arbitratu suo grassentur in inferiores. Quibus grassationibus intra paucos annos plures confecti sint Christiani; quàm vel ipse ex omnibus suis Regnis ad victoriæ suæ designationem posset educere: vel Christianis ad ipsum profligandum planeque delendum forent necessarij. Istiusmodi rerum statu Romana olim Aristocratia corruit suis ipsius viribus: Pompejo æqualem, Cæsare superiorem ferre nolente; infestis est armis concursum; donec unius dominatu forma reipublicæ mutaretur.

Neque una & simplex est discordia Christianorum, uti olim Romanorum, sed multiplex & varia. Nam ad communem dominandi affectum, miscentem & turbantem omnia, si unius alicujus vi & authoritate non coherceatur, accedunt capitalia, planeque fatalia, tum religionum, tum nationum dissidia. Religionis varietate distracti nostrates non plus possunt, quàm in diversa nitentes equi uni currui juncti; ut verissimè dixerit Lactantius, religionem non à relegendo, ut Cicero voluit, sed à religandis animis nomen traxisse. Turcica superstitio tantam non recipit opinionum varietatem: totaque ad rem bellicam est accommodata: quippe cùm intimis omnium sensibus hæreat infixum; unicuique à Deo præfinitum & genus, & tempus mortis, quod si in ipso pugnæ discrimine nec dum adsit, vel unum innumeros profligaturum Christianos, sin autem hora fatalis jam præstò sit, ex prælio mox evolaturos in

cœlum, ibique eò majores paratas sibi voluptates, quò plures occiderint aut læserint inimicos. Nationum autem odia etsi naturalia sunt, ob naturarum, morum, linguarum, studiorum dissimilitudinem; quam ad amicitias vel constituendas vel retinendas aptam esse negat Aristoteles: eum tamen affectum minuit temperatque Turcis prudentia quædam bellica: qua nullum soleant fastidire hominum genus, in quo virtutis aliqua significatio appareat. Qua quidem re barbari planè imitantur veteres Romanos, qui ad se quavis ratione allectis & attractis cujusvis nationis magnanimis viris, orbem complexi sunt terrarum.

Ad dictam prudentiam bellicam hoc accedit, quod redundantem, & generatione excrescentem hominum multitudinem, non sinant domi mori inutiliter: sed contra inimicos, præsertim Christianos, tanquam in colonias ablegent. Inde Regnum illud duplicem accipit commoditatem: alteram, ut domi minùs multi sint facinorosi, quales parit multitudo in angusto solo minimè apto plurimis alendis: expurgatâ autem tanta hominum quasi sentina, cæteri copiosius & tranquillius domi vivunt: alteram; ut Imperij fines indies magis magisque proferantur, & novæ quotidiè exstructæ arces Christianis irruptu-ris objiciantur, omnisque eis facultas & spes recuperandi amissa regna præcidatur. Christianorum autem superfluam multitudinem partim capiunt monasteria, (excipio eos, qui non egestate, sed vera ducti pietate sese abstrudunt in religiosam solitudinem,) partim supplicia auferunt, partim pestis absumit. Vbi enim hominum, ibi & sordium crescit multitudo: sordes facilè postea pestem concipiunt.

Iam vero in tanta prudentia bellica illud faciunt prudentissimè: quòd cum alijs icto fœdere, cum alijs interim Christianis bellum gerant: pervagato utentes stratagemate hostes

dispersi

dispersos sigillatim invadendi. Non ignari, caudæ equinæ pilos seorsum facilè evelli, & singulas sagittas vel à puero posse confringi: quibus exemplis Sertorius & Scylurus Scytha sunt usi; ut quantum possit concordia, quamque infirma sit discordia, docerent. Tantam autem concordiam in tam vasta Imperij Turcici mole maximè conservat metus. Qui Ciceroni malus est diuturnitatis custos; sed barbaris illis regnum facit adamantinum: propterea quod metus stabilis sit & durabilis in servilibus ingenijs; amor autem mutabilis, etiamsi multa beneficia dederis. Metuunt mancipia alieno arbitrio: amant ferè suo tantùm: igitur magis in tyranni manu est ut timeatur, quàm ut ametur & laudibus vehatur. Ex timore constans surgit obedientia: quæ magnum Imperij Turcici est firmamentum: cujus testes sunt pervulgatæ illorum & percelebratæ hæ voces: *Vnus in cœlis Deus, unus in terris Princeps.* Alta autem ingenia, cujusmodi multa alit Christiana Respublica: abjecto metu potentiorum, miscent & turbant omnia regnandi cupiditate: existimantes, omnia deberi suæ virtuti & sapientiæ tam exaggeratæ, ut nec terra, nec mare, imo nec cœlum ipsum eis jam magnum videatur. Vtinam verò istiusmodi infinitæ humani ingenij mentes, immensis Philosophiæ finibus possent includi: melior profectò, tranquillior, & constantior foret orbis Christiani status. Nunc autem ut orbes cœlestes perpetua quadam vertigine rotantur, statisque temporibus in idem, unde discesserant, punctum revertuntur: ita cœlum humanum, cerebrum inquam altè spectans, nunquam quiescit, sed semper volvitur revolviturque, motuque suo eadem consilia, eadem bella, easdem occasiones, easdem tyrannides, eosdemque omnis generis felices infeliceſque rerum eventus subinde tanquam in orbem reducit. Quam-

obrem Plato & Aristoteles dixerunt, naturales quoque rerumpublicarum esse conversiones: ductâ ratione ex analogia seu proportione: quæ inter rempublicam & singulos homines, quibus respublica constat, perspicitur. Singulorum corpora hominum cùm è contrarijs elementis constent, eodem semper statu permanere non possunt: sed in ea principia, ex quibus coaluêre, redeant aliquando oportet: ut suæ quidque naturæ in mundo reddatur: ut quod igneum est, igni: quod aëreum, aëri: quod aqueum, aquæ: quod terrestre suscepit, id totum terræ restituatur. Itaque omnis etiam respublica, ex varijs, disparibus, discrepantibus naturis conflata, & ad temperiem quandam redacta, in seipsa habet interitus sui principium: quod legibus aliquandiu compressum & occultum, erumpit tandem per ambitionem superbiam invidiam avaritiam: sicuti in Græcorum & Romanorum factum Imperio scimus. Et quemadmodum maxima quæque flumina ab exiguis orta fontibus, augentur subinde multorum rivorum & mediocrium adventu fluviorum, auctaque in immensum & ipsa à mari absorbentur: sic magna imperia & regna fieri solent minorum majorumque regionum accessione: id quod fieri vix potest sine multorum injurijs & oppressione: ad summum tandem perducta fastigium, à potentiori quopiam rapta transferuntur ad alienam stirpem. Cujusmodi rapina partim apertè exercetur, ut nunc à Turcis & Scythis: partim honesto aliquo prætextu velatur. In quo religionis velum obtinet principem locum: quandoquidem omnis religio pietatis se putet munere fungi aliorum cultibus delendis. Vnde perpulchrè Carneades apud Romanos, audientibus Catone & Galba censoribus, disseruisse fertur: si justitiam & æquitatem spectare vellent, ad restim, quod ajunt, ad casas quidem certè, res

tè, res eis redituras esse. Non enim à posteris jure possideri, quæ majores eorum per fas nefasque accumulaverant. Omnem autem Romanorum potentiam, omnes opes ex rapinis alienorum esse congestas. Prætexebant illi quidem varias bellorum caussas: sed veram caussam fuisse scimus infinitam habendi & regnandi cupiditatem; quæ, Plutarcho teste, hisce gradibus assurgit; *qui vinctus est, cupit esse liber: qui liber est, vult esse dominus: qui dominus est, optat esse Princeps: qui Princeps est, desiderat esse Rex: qui Rex est, expetit esse Deus, tonare quodammodo & fulgurare cupiens.* Quid multa? ita certè vivitur in mundo: ut, qui plus armis possit, satis se habere caussæ putet ad alios opprimendos: fitque idem inter homines, quod inter pisces in mari, inter aves in aëre, inter feras in sylvis; ut imbecilliores prædæ sint fortioribus. Hoc veteres quidam admirati, hominem esse quoddam Deorum ludibrium dixerunt: quòd Deus & natura ludere videantur cum genere humano, uti pueri cum molli cera: quam nunc in hominem, nunc in bestiam, nunc in corbem, nunc in aliam atque aliam fingunt formam: confundentes priores, ac sæpè quoque formas meliores, ut novas faciant quantumvis dereriores. Quem fortunæ ludum contemplatus Seneca Poëta Tragicus pulchrè depinxit hisce verbis;

*Nulla sors longa est: dolor, ac voluptas*
*Invicem cedunt, brevior voluptas:*
*Ima permutat brevis hora summis.*
*Nemo confidat nimium secundis,*
*Nemo desperet meliora lapsus.*

Atque hanc Philosophiam ex Diogenis dolio (liquore tantùm, non natura vacuo) depromptam putatote. Melior procul dubio ex divinis literis, atque ex aliorum etiam officinis Philosophorum afferri doctrina posset. Verum non stat mihi nunc aut in Theologorum infinitas possessiones exspatiari, aut Philosophari hoc loco multis. Ad rem ergo. Ob caussas commemoratas, & ipse Turcarum Tyrannus jam animo & spe, ut dixi, orbem Christianum expugnavit: & non pauci in Polonia atque Transylvania Christiani desperant nostræ reipublicæ incolumitatem. Desperatio autem illa præcipuè est ob hostium multitudinem & potentiam: quæ comprimi non posse videatur, nisi conjunctis Christianorum Principum omnium opibus & viribus: ejusmodi verò conjunctio optanda magis, quàm speranda credatur; cùm in multis semper aliqui soleant esse, qui vel stoliditate vel improbitate ab officio retrahantur. Stoliditatis est, ardente pariete vicino, exspectare donec propriæ incendantur ædes: improbitatis autem, ob privata quædam sive commoda sive incommoda deserere bonum commune.

At vos, ô Germani, reliquique cordatiores Christiani, nequaquam terrore isto animi vestri magnitudinem inflecti sinetis; sed quanto propius nos tantus hostis accedit, tanto magis de concordiâ inter vosmetipsos constituendâ, de egregijs militiæ ducibus perquirendis, de milite scribendo, primo quoque tempore laborandum statuetis. Asianarum gentium major semper fuit multitudo, sed minor in bellis virtus. Id quod & Græci & Romani, maximè verò Alexander & Pompeius sunt experti. Idem hodie in Vngaria experiuntur milites Cæsariani: qui numero longè

infe-

inferiores, conferta acie impetu in hostes facto, magnam eorum multitudinem sæpè profligant; quorum tamen plerique sunt Europæi, robustissimi exercitatissimique latrones. Magnum profectò imbecillitatis Turcicæ in tanta hominum multitudine, & virtutis Vngaricæ in tanta militum paucitate, argumentum est; quòd centum jam & eò amplius annis uni Vngariæ Regno subjugando tantus Tyrannus incumbit: ipseque Solymannus omnium Ottomannorum bellicosissimus, quinquies in Vngariam dicitur totam ferè suam potentiam contulisse: nec tamen eam totam in potestatem suam potuit redigere: nec posteri ejus potuerunt. Omnino incomparabile propugnaculum Germaniæ fuit Vngaria: estque adhuc aliqua parte. Quæ si à vobis deseratur, eadem prorsus erit conditio nostratium, quæ nunc est Vngarorum: atque haud scio, an Germania tamdiu resistere ac repugnare Turcis possit, quàm hactenus restitit & repugnavit Vngaria. Ea totâ subactâ, liber Turcis erit excursus in Germaniam: ipsique Vngari quasi deserti & contempti à Germanis, omni animi impetu irruent cum Turcis in nostrates: eosque opprimere, exscindere, spoliare, justum, glorioſum, & memorabile facinus esse ducent. Nam ut satis jam populosa & armata sit Germania: tunc quidem certè quotidianis latrocinijs, insidijs, velitationibus, prælijs minutis, & majoribus, ad eandem redigetur paucitatem, ad quam nunc Vngaros videmus redactos.

Hoc autem tempore tota adhuc spes defendendæ Germaniæ in ipsis nostris hæret Germanis, si ex ijs collectus exercitus alatur in finibus; non ad annum, sed aliquot annis, & tamdiu, donec perpetuus Christiani nomi-

nis

nis hostis à cervicibus nostris repulsus, & in Thraciam vel in ipsam etiam usque Asiam fuerit retrusus. Cujus negotij totius cardo in eo vertitur: ut incatur ratio, qua nunquam deficiens cogatur pecunia ad exercitum continenter in finibus alendum. Non inepta fortasse fuerit ratio, si præter Principum & Rerumpublicarum stipem in belli sumptus collatitiam, deni quique tum cives tum rustici alant quotannis unum militem: sique ditiores etiam Nobiles, Generosi, Illustres Domini, ex inutilibus delitijs aliquid detractum conferant in commune. Quâ pecunia necessitate expressa efficietur, ut & diutius suis illis frui fortunis possint, & longiùs simul vitam producant, detracto gulæ non necessario cibo & potu. Posteaque decidendum aliquid erit ex superbo quoque cultu corporis muliercularum: eædemque monendæ, ne gravatim laboranti & periclitanti patriæ subveniant. Flagitante reipublicæ necessitate Romani olim nec uxores, nec flamines suos, & sacerdotes immunes à contributione esse voluerunt. Et Imperator Antoninus cognomento Philosophus, omnem Imperatoriam supellectilem vendere, ac splendore aulico carere maluit, quàm Imperio, quod à barbaris infestabatur, deesse.

Hæc generatim tantùm de pecuniæ ratione potui scribere. Pragmatici homines quibus summa sapientia est, privatim acquirendæ pecuniæ intelligentia, meliores sine dubio norunt rationes colligendæ publicè pecuniæ. Diligenter verò inquiratur in rationes Belgarum, quibus per tot annos cum Rege invictissimo bellum gerentibus (non facio alienam litem meam, sed quid ex ea decerpi possit boni narro) satis semper fuit pecuniæ. Incatur igitur eadem

dem ratio : qua illi sustinuerunt tanti & tam diuturni belli sumptus: neque prudenti parcendum pecuniæ, ubi libertas periclitatur: cùm verissimum sit, quod vulgo jactatur: *Non benè pro toto libertas venditur auro.* An verò tota Germania minus possit, quàm Belgium ? An minus etiam, quàm nunc Hollandia, & Selandia?

Cumulatâ pecuniâ belli nervo; reliquum erit, ut quærantur HOMINES; partim tales prorsus, quales Diogenes clarissimo die quærebat accensa laterna, nec tamen inveniebat, partim etiam quales ubique sine laterna videbat. Primi generis sunt ingenioſi, prudentes, magnanimi, & regendis alijs apti: qui immortalem gloriam mortali corpore studeant comparare: aspernandamque putent hanc nostræ mortalitatis colluvionem: ex qua brevi alioqui discedendum sit; si non in bello, at in pace, fatali planè necessitate. Alterum hominum genus omnes eos complectitur, qui ferè ventris tantùm causſa vivunt: qualium, ut Plinius ait, maxima pars est mortalium: hi percolando cibo & potu, dolióve suo pertuso implendo occupati, nihil altum, nihil magnificum, nihil hominis præstantiâ dignum in vita designare possunt. Etsi enim verè nobilis etiam & ingenuus homo, non minus sine cibo potuque possit vivere, quàm vel asinus vel homo stolidus: dolet tamen, tanta ventris importunitate, tam sæpè, in rebus propriè ad hominem, ad religionem, ad doctrinam, ad rerum gerendarum gloriam pertinentibus, interpellari. Ex quâ naturarum differentia, tum nobilitatis, tum ignobilitatis ratio, in orbem Christianum atque etiam olim in Imperium Romanum profluxit. Quicquid enim optima parens rerum natura sapientissimè facit, id mens humani ingenij, si modo

sit ejusmodi, ut excogitatione conferri ad rem possit, diligentissimè imitatur. Facit autē natura ex ignobili elemento nobilius, & contra, ex nobiliori ignobilius; ut ex aqua aërem, ventos, tonitrua, fulmina: & vicissim ex aëre aquam fabricatur. Quod naturæ opus Christiana Respublica effingit; quando ex rusticis & civibus intelligentibus, beneque proaris & focis defendendis dimicantibus, facit nobiles: & hos rursum, si à virtute deficiant & natales suos dedecorent, ad ignobilium deprimit conditionem.

Iam horum tam nobilium, quàm ignobilium animos religionis controversiis exulceratos sanare poterit instans periculum, & consentiendi summa necessitas: ut belli saltem tempore *sint unum, maneant unum, moriantur & unum*: pro quibus ipse Christus est mortuus; quosque jungit unum fœdus, unumque baptisma. Non me fugit quàm difficile sit, animi vulnus dissentientibus de religione opinionibus inflictum dissimulare. Sed quid facias? Finge tu qui meliore te donatum religione putas, rem tibi esse cum ægroto valdè impatiente: cui in multis sit rebus connivendum: si prudenter agere nec charitatem scindere velis. Si conviciis Evangelicus afficeris; cogita illud tui Erasmi; *Fugax ætas, & vitrea valetudo non quibuslibet rebus impendenda: sed quædam despicienda sunt, & animus ad magna erigendus.* Verè *magni est animi, quasdam injurias negligere, nec ad quorumlibet convicia habere vel linguam, vel aures.* Si Catholicus aliquid pateris, volve animo illud tui Marsilij Ficini: *Ad majora ego debeo esse paratus. Didici enim à Zenone, & Socrate, ne ipsam quidem mortem esse pertimescendam: didici à Thalete, & Heraclito, cuncta mortalium sive bona sive mala, dum oriri videntur, occidere: didici à Pythagora & Platone, dormire*

in

*in corpore animum; & quæcunque hic agere aut pati videmur, nihil aliud esse quàm somnia: didici denique à Christo Opt. Maxim. nobis defixis in omnem æternitatem oculis, cunctas mortalis hujus vitæ injurias esse negligendas.* Et verò irreligiosis nostris de religione altercationibus infirmamus illam ipsam sanctissimam Christi religionem: prodimus hosti externo rempublicam Christianam: ludificandos nos ad indignum modum Turcis & Iudæis præbemus: deridendos nos Ethnicis omnibus propinamus. Hi Augustini adhuc tempore Christianis imputarunt Romani Imperij dilacerationem, ejusque brevi secuturam ruinam: quid nunc quæso illi dicturi essent? Quid verò Symmachus idolorum Pontifex? Is apud Ambrosium, persuadere Arcadio, Honorio, Valentiniano Imperatoribus volens, unicuique nationi suam esse religionem relinquendam; *Omnes*, inquit, *gentes aspirant ad arcana divini numinis, sed non ijsdem modis, cum non omnes ejusdem sint ingenij, sed varijs viis ad eundem tendunt DEVM.* An non ille suam nunc Idololatriam, dissentientium Christianorum exemplo corroboraturus esset?

Sint igitur animi liberi & vacui perturbationibus: nihil non justè ac prudenter, quod ad rem Christianam pertineat, judicetur: omnia præsentia & futura pericula suo pondere examinentur: non dubito, quin decretâ ἀμνηστίᾳ bonâ fide in gratiam redituri, & conjunctis viribus atque opibus omnibus, in communem hostem sitis pugnaturi. Nulla unquam cum hoste isto esse vobis vera pax & concordia potest: nec bello, nec pace tuti eritis ab ejus insidijs. Etsi enim non semper infert vobis bellum: semper tamen occasiones quærit vos opprimendi. Negligit omnem animi culturam, à Musis & Gratijs alieniſſimus; ut nullam vivendi

cauſſam ijs relinquat, qui ingenio quàm ventre malunt vivere. Contemptis artibus liberalibus unam colit rei militaris diſciplinam: qua opprimemini tandem (experientiæ creditc) niſi provideritis. Accidit etiamnum vobis, quod finitimis Romæ populis; qui apud Livium conqueruntur de Roma: caſtra potius quàm urbem in medio poſitam, quæ pacem omnium & tranquillitatem turbaret. Tollit omnem nobilitatem; ne ſuperſint, qui impatientia ſervitutis & contemptu proprię ſalutis aliquando ipſum tollant tyrannum. Imperium ſuum non æquitate, ſed haſtæ longitudine metitur: nimirum omnem eum agrum ſuum eſſe cenſet, quem vi & armis occupare poſſit. Fide non ſtat in dictis atque conventis: fœdera eatenus ſervanda exiſtimans; quatenus tyrannidi ſuæ augendæ conducunt. Sic non ita pridem hic Amurathes fœdus rupit Perſis: ſic nunc idem frangit Chriſtianis. Duriſſima premit ſervitute omnes Chriſtianos, qui Chriſto nuncium remittere, & Mahometi nomen dare ſuum recuſant: non liberis eorum, non uxoribus, non ſupellectili parcit miles: quidvis quovis tempore in ædibus illorum impunè & tentat & perficit. Vnus omnia tenet: cæteri omnes ejus mancipia ad pecudum utilitatem abjecta. Vt valde mirandum ſit, & auditu horrendum: eſſe quoſdam in Germania Chriſtianos, qui dictitent, ſe Turcico Tyranno malle parere, quàm Catholicorum ſocietatem amplecti. Colludit nunc ille quibusdam Chriſtianis tantiſper: dum devictis potentioribus; eos quoque veram ſervire ſervitutem cogat. Exemplo ſint Græci, omnesque alij, qui ad ſacra Mahometis necdum defecerunt.

Eadem plane nunc eſt ratio Turcarum & Chriſtianorum, quæ olim fuit Perſarum & Græcorum: illi barbari, hi huma-

humanitate perpoliti: illi ducebantur superstitione, hi ratione: illi multitudine, hi arte pugnabant. Xerxes quinquagies centenis hominum millibus in Græciam invasit; nec tamen victor, sed turpissimè victus fuit. Faceſſat proinde animorum pusillitas, & desperatio ob hostium multitudinem: quando non tam multitudo vincit, quàm ordinum ex arte militari instructio, & pugnandi vincendique pertinacia, ex conscientia bonæ causæ nata: quibus virtutibus nostrates longè antecellunt Turcis. Græci olim & Romani prodigi vitæ fuerunt odio servituris, amore patriæ, atque commodorum miseræ hujus vitæ: & vos Christiani, quibus patria est æternitas, veræ divitiæ divinitas, mortalem hanc vitam immortalitati antefertis?

Sed jam facio finem; infinite rogans magnificè generosum benignissimumq; D. Anselmum de Vels in Intzing, Sacratissimæ Cæsareæ Majestati à Consilijs Cameræ Aulæ, patronum incomparabilem: ut breve hoc scriptum suo tueri patrocinio contra malevolos dignetur. Invidum enim mortalium ingenium arrodit & lacerat omnia; ne à sanctissimis quidem viris abstinens, nedum à me, quem calumniatoribus valde opportunum reddidit superioribus annis iniquitas fortunæ. Quocirca optabam etiam magnifici D. Iacobi Curtij ab Senfftenaw, non tantùm genere, sed ingenio & doctrina clarissimi viri, Sacræ Cæsar. Majest. à secretis Consilijs, & Imperij Procancellarij, patrocinium: verùm non ausus sum præsens præsentem tantum Heroëm compellare: nunc tamen Diogenis hoc dolium ad ædes illius devolvendum curavi. Vt enim nec magni momenti: nec tanti & tam eruditi Domini cognitione dignum: volubilitate tamen sua & strepitu (inania siquidem majorem quàm plena edunt so-

num) excitabit fortaſſe & pertrahet in eam ſpeculam : ex qua divus Hieronymus univerſam terram ſubpedibus poſitam optabat videri, ut Heliodoro ſuo oſtendere poſſet totius orbis ruinam, gentes gentibus regnis regna colliſa, alios torqueri, alios cœcari, alios abſorberi fluctibus, aliosad ſervitutem trahi, hic nuptias illic planctum, illos naſci, hos mori, alios diffluere deliciis, alios mendicare. Quarum rerum memoria ſi laboranti reipublicæ ſubveniri non poſſit à viro ſapiente; at luctus ipſi minuitur, & animo ejus præſtans illa divinaque ſapientia ingeneratur, quâ (ut Ciceronis utar verbis) perceptas penitus & pertractatas habeat res humanas: qua nihil, cùm acciderit, admiretur: nihil antequam evenerit, non evenire poſſe arbitretur. Omnia autem homini, quantumvis ſapienti & potenti, evenire tandem poſſe, cùm ipſa loquitur experientia (videmus enim eos etiam, qui ſapientiſſimi & potentiſſimi habentur, paullo momento proſtratos extremis malis confici) tùm non reticet clariſſimi Aſtrologi admirabilis illa ſententia: qua cœlo quies terræ circularis motus tribuitur. Stat quodammodò cœlum ob tam ſtatas leges motuum, certasq; vices revolutionum: terra autẽ volubilis cernitur infinitis turbis bellis alijsq; miſeriis. Vnde magni quidam Philoſophi dixerunt: cùm cœlum aſpicimus facilè nos divinã agnoſcere providentiam, ſed cùm ad terram oculos reflectimus, omnia fortunę arbitrio relicta, omnia videri cœco caſu volvi. Qua orbis humani volubilitate, in bello civili inter Cæſarem & Pompeium orto offenſus Cato, Philoſophus Stoicus, magnam eſſe in rebus divinis caliginem exclamaſſe, ſibique ipſe mortem conſciviſſe dicitur. At Chriſtianus Philoſophus altiùs evectus, omnia vitæ incommoda divinæ adſcribit providentiæ; quæ commodis

modis incommodisque permiscendis, vitam bonorum temperare soleat: ut dissipatas per secundam fortunam animi partes recolligat per fortunam adversam: utcùm humanum corpus deteriore post mortem sit conditione quàm belluarum, (nemo enim ex mortui hominis vel amicissimi corpore aliquid cupit habere: ex bestiarum autem cadaveribus expetuntur permulta, ut pelles, cornua, dentes,) aliquid saltem animi studeat viventibus relinquere.

FINIS.

# HENRICI TVRRII VICECOMITIS DE TOVRENNE AD REGEM CHRISTIANISSIMVM DE BELLO TVRCICO ORATIO

Habita Marsalij 31. Augusti 1663.

---

Si quidquam in vita mihi jucundum unquam evenit, id omne cedit voluptati, quam flexa jam in senium ætate percipio; quum te florentissimo exercitu omnium Regni tui Procerum, & quod vivens nemo subjectum oculis habuit, octo amplius millium ex Gallicâ nobilitate, Te Tuaque castra gratuitâ operâ sequentium, comitatu & obsequio cinctum, urbs hæc non armato impetu, sed solo imperatricis tubæ sonitu, victorem sponte aperta recepit, ac totius Lotharingiæ dominum volens libensque, atque etiam ultrò gestiens suo in reliquas Provinciæ urbes exemplo, agnoscit, veneratur, ac fecundis in omnia, quæ Regno ætatique tuæ multò opimiori sub spe pollicentur fata adjudicaturaque sunt, votis & ominibus prosequitur. Enimvero quid ad summam humanæ felicitatis porro tibi desit Rex Christianissime, quid optare, quid desiderio quamvis improbo concipere ac concupiscere potes amplius, quum quod jam possides habes, tuâque in manu situm est? Hoc unum dicam audacter, Regum clementissime, ut me aliosque benè consulentes audias. Intra vigesimum quintum ætatis tuæ annum nihil non quod voto effingi vel â fortuna exoptari queat, prono effectu consecuto tibi,

hoc unum est, quod non fortuna sed mens recta & à Deo illuminata adstruere possit, ut felicitate tuâ bene utaris. Atque ut hesterni diei experimento, cum in hanc urbem introisti, nobili sub spectaculo apparuit, quantùm tibi bellatorum suppetat: tantundem tibi optimorum consiliariorum adesse, vel confessus hic probat. In quo summâ cum animi voluptate intueor adsidentem Estræum collegam meum, octuaginta annorum stipendijs emeritis sese tamen non minus impigre, quàm juvenum quemquam, tibi ad res seu manu seu consilio gerendas offerentem. Macte virtute, & hoc tam insigni crudæ & nec dum se oblitæ senectutis specimine, fortissime Heros: cujus nulla obliviscetur memoria temporum: digne, ut quod vir æque ac juvenis omnibus belli pacisque artibus annisus facere es magnum, nunc antequam vita concedas, inter omnia Christiana imperia Galliæ Regnum spectes maximum. At cum te imitari, nobis collegis tuis non ex decoro duntaxat sed ex debito nostro sit; allaborabo, ut in me utilia Regi regnoque, non secus ac factis præstiti nunc etiam verbis suadenti, eadem nec dissimilia tibi lineamenta agnoscas.

Verùm antequam ad rem ipsam aggrediar, pauca de me præmittenda sunt: nã quod consilij tibi, O Regum invictissime, dandi libertatem usurpo, scis illam à te mihi datam. Vt sæpenumero miratus sit nonnemo me, quamvis diversorum à te sacrorum professione discrepem, tamen vel in arcanis deliberationum mecum communicandis, vel in rerum non levis momenti mandandis muneribus, perrarò fuisse præteritum. Quam ego profitear religionem, in propatulo ac palam est: nec illa tamen me tam religiosum aut tam timidum facit, quin tibi libere ingenueque suadeam etiam ea quæ ex ejusdem usu religionis minus esse videntur. Hæc nempe Gallicorum spirituum est sinceritas: quæcunque sacra sequamur, una nobis

ex

ex omnibus res secundum divinum numen sacrosancta est maxime, regni populique salus & tua & gloria & utilitas. Nec à longinquis argumentis arcessenda probatio est. Inclitæ memoriæ virum, Dominum de la Noue, qui avo tuo, post parricidialem Henrici Tertij cædem, quâ ratione facillime Regni Gallici successio, tum inter Catholicos ac Nos, qui Reformati vocamur, intestino dissidio scissos, capessenda esset, in arcano inter ipsos Reformatos consultante, brevissimis verbis reliquorum sententias varia censentiũ præscidit, nunquam eum Regem Galliæ fore nisi Catholicus fieret asseverans: vel si lubet me, specta. Nam ut tuis auspiciis in Germaniâ nuper bellantem nemo Catholicorum illic in se acerbiorem, quam fas belli permitteret, me fuisse incusavit: ita tu recens adeo meministi, cum de armis Romano Pontifici inferendis deliberatio esset, me tot inter Pontificios pene solum extitisse, qui bello illo abstinendum sententiam ferret. Nec me ita censuisse pœnitet; id saltem consecutum, ut pateat omnibus, me quæ in consilium afferam, non à privatis dictata affectibus proferre, sed publicæ utilitatis momentis exigere. Malè proinde iis sit, qui me aliosque idem mecum de religione sentientes, intempestivis cum Catholicis odijs collidere gestiunt. Nam magni illius Mornæi Plessæi, qui quoad vixit Reformatæ in Gallia religionis, quâ togâ qua sago, columen fuit, affirmata Avo tuo opinio certi mihi instar dogmatis est, quærenti: num Pontificios salvari crederet; haud dubie respondentis, nam infinitam Dei benignitatem, eosque ab eâ excludere temerarium esse, & utcunque prolixi & non necessarii circuitus navigatione utantur, in eundem tamen portum, quo nos plana navigatione pervenimus, tandem & eos recipi.

Quid igitur in tanto Catholicorum consessu unus vel cum paucis diversa de religione sentiens, tibi suasurus sum? Hoc

concitari debere, sed armis jam sponte ipsorum motis tantisper tibi cunctandum, & ope Cæsari ferendâ supersedendum putent, dum ille redactus ad incitas ultrò supplices tibi manus tendat, agnoscatque in te beneficij potentiam, fateaturque se salvum nisi per te esse non posse. At ego sophisma hoc Politicum impium esse judico & invisum Deo; usque adeo, ut credam, si res eò deventura sit, quo ea, ut deveniat, optant callidi isti periculorum alienorum insidiatores & otiosi spectatores, ut nimirum Cæsari suis exuto nullum supersit nisi ad Gallorum misericordiam perfugium, Deum tibi quoque vires necessarios ademturum, quibus vel illum vel sanè teipsum à periculis, callidâ dissimulatione in majus, quam quæ unus sustentare valeas, auctis explices, sed eadem ruinâ, quam à proximo amoliri supersedisti, tu etiam ipse, maturus videlicet pœnæ à divinæ vindictæ legibus invento tam impio debitæ, involvaris, & cum innoxiis noxius pereas. Nam commentum hoc: fovere aut favere turbis ut in turbido pisceris; à Stygio genio suppeditatum contrario prorsus effectu damnabit evertetque Deus, teque etiam ad propria tuenda inopem nudumque destituet, qui tuum ex alienis calamitatibus lucrum ac compendium quæsiisti. Age ergo, O Rex Christianissime, procul hanc vafritiem abige, & quod à te beneficium Christianus orbis expetit, & quam opem res trepidæ Cæsaris desiderant, occupa præstare, nec ullum temporis intervallum suspende. Præterquam enim quod jucundius & in animo accipientis perennius est illud beneficium, quod obviam venit, quod ex se non rogatu alieno nascitur, & quod prævenit interpellantem; non glorioſe duntaxat Christianæ reipublicæ discrimimbus succurres, sed tutius quoque exorti incendij flammas, in alieno quam in tuo, in longe remotis quam propioribus tibi finibus, exstingues.

Iam cum istis veteratoribus, qui in benefaciendo non Regem sed mercatorem te sed cauponem agere cuperent, facessant & illi, qui ex hac tua Lotharingicâ expeditione nescio quid te porrò in vicinos aggressurum, aut gratuito fingunt, aut malè suspicaces metuunt, aut ultrò te facere velint; ut tanto majus tibi imperioque tuo odium concilietur, quanto invisius est, cum hostem non habeas, aut si habeas prætereas, in amicos grassari. Quasi vero in numero hostium Rex Christianissimus eos non habeat, qui Christum, qui Christi gregem tantâ rabie oppugnant, ut ignominiæ sibi ducant, esse quemquam in terris qui Christum colat. Sunt enimverò haud dubij hi hostes tibi; nec minus illi, qui ne veros hostes agnoscas amicos pro hostibus obijciunt, teque in eos infestum infensumque ferri cupiunt, quorum cum confesis obsequijs uteris, stultum fuerit per injurias extorquere quod jam ultrò ab his habeas. Nam quid in Germaniâ uspiam est, quod te non revereatur, in Italiâ quod non colat, in Belgio quod non suspiciat, in Britannis quod non observet, in Hispanijs quod non honoret? Quis vero hoc Regum ante te ullus consecutus est, ut Christianas omnes oras amore reverentia obsequio ac cultu, qui tibi ab omnibus quos nominavi, adde & à Suecis Danis ac Polonis, competit, devinctus haberet? Hæc vera Regnorum Imperiorumque gloria, hæc ingenua regiæ & ad divinam prope accedentis majestatis effigies & exemplar est. non per vim ire possessum quæ cupias, sed per venerationem benevolentiam, & ejusmodi affectum qui lætè libenterque obsequentibus etiam animi sui vultum induat, habere addicta. Multò quippe certior est ab amicis, quos meritis & inpensis officijs, quam à subjectis quos metu contines, fides; & ille demum magnus est, cujus magnitudinem magnitudine suâ quamplurimi substruunt, ut tutelæ ille suæ præsidijque umbram largius pos-

sit

sit spargere. Quæ si tu recte intelligis, Rex maxime, si opes tuas inde æstimas, ut non tam quod velis posse te, sed amicos fœderatos vicinosque idem quod te ipsum & subjectos tibi populos velle, & ut efficiatur avere, cernas: næ tu jure tuo, non adventitio & in aliis sitæ opinionis suffragio felix es; ac felix in perpetuum eris, quamdiu in hoc animi sese sibi sine fuco ostendentis habitu perseverabis. Sed non deses, non otiosa, non sibi soli propria ac beata, & domi tuæ custodita sit hæc felicitas: exeratur, usum sui præbeat, fructum spargat, seque cum totius humani generis felicitate communicet.

Quàm vasta verò, quàm ingentia sese exemplorum spatia tibi pandunt, ut felicitatem hanc tuam, alios reddendo felices & quasi in opere habens, augeas & extendas! Vti immensus cœli ambitus â sole, ita infinitus terrarum mariumque tractus â te ut illustretur, tuis radiis splendescat, tuâ ope foveatur, appetit. Sed infesto adsitum periculo ac properi subsidij necessitate, nihil est quod æque colluctatur ac sub magno discrimine pavescit, atque Ungariæ solum, Turcicarum illa vetus & exercita calamitatum arena. Tum proxime huic adhærescens Germania. Quibus ex oris (proh dolor!) indies alios super alios miseriarum illuc ex improviso longè lateque sese effundentium nuncios accipimus: quibus nisi commoveamur, indigni sumus qui Christiani vocemur. Huc ego te voco, his duabus provincijs sub extremi confinio exitij laborantibus, ut cæteris rebus omnibus relictis subvenire matures, hortor. Non quidem ut ipse expeditioni interfis (quanquam & hoc non degeneris à majoribus tuis, â Ludovico præsertim Sancto esset exempli, qui semel in Ægyptum iterum in Africam trajecto exercitu res magnas glorioſius susceperit quam gessit) aut è Laribus tuis, unde in omnia regimen, excedas; sed delecta copiarum quæ jam sub signis tibi robora (hoc etenim solum â te postu-

postulatur) periclitantibus submittas, patatus ingravescenti discrimini totâ Regni mole obviam ire.

Atque si mihi nunc operæ esset, de toto belli quo Turcicæ vires convellendæ sint genere differere, autore uterer eodem, quem supra nominavi, Domino de la Noüe: cujus hâc super re scripta extant typis vulgata, plena militaris prudentiæ. Verùm ego pro eo qui nunc est rerum statu quæ sentiam profabor. Germania omnis in decem descripta est partes, quos Circulos vocant; Austriacum, Burgundicum, Rhenanum triplicem, duplicem Saxonicum, Franconicum inde, Bavaricum, & Suevicum. Ex his ego Circulis octo illos quos posterius nominavi segregem (nam priores duos Cæsari eximios peculiaresque relinquam) conscribique ab eis oportere ac sub signis haberi putem, 21 millia peditum, 4000 non minus equitum gravioris armaturæ: stato que stipendio ali, ac sub severissimâ disciplinâ (quam, si stipendia militi rite atque ordine exsoluta procedant, facillimum erit conservare) haberi. Ad quod stipendium definito tempore repræsentandum, sumtusque alios bellicos tres florenorum Germanicorum milliones necessarij. Nec arduum fuerit, ex collatione tot qui sub his circulis censentur populorum, id æris colligere; dummodo æqua in omnes partita sint onera, & pro facultatum modo quivis conferat, nec plus justo gravetur qui minus potest. Nam si in tantâ mortalium, qui his Circulorum finibus incolunt, multitudine, quilibet unus non plus quam unicum quotannis florenum pendat: (quis autem ille mihi tam erit afflictus & miser, qui duodecim mensium spacio tantulum æris vel mendicando, vel esuriendo si aliter nequeat, non facile corradat? tres isti milliones sub manu nascentur. Hic verò facere nequeo, quin admoneam Circulorum horum Principes Regulos Dynastas ac Magnates, ne totum

tributi

tributi hujus onus soli plebi imponant immunes ipsi, & quod luxu expendant publicæ necessitati subtrahentes, sed præcipuum in se recipiant, sumtusque aulæ & domesticos alios supervacaneos contrahant ac resecent, nec infelicium subditorum sanguinem ac medullas exsugant, ipsi soli pingues opulenti ac beati: id quod Deus in illos commeritis supplicijs dirè olim vindicaturus est. His Germanicis agminibus si Tu, O Rex, sex peditum duo equitum, Sueci quatuor peditum millia quingentos equites, Vngari autem ac Transilvani tria peditum quinque equitum millia, (quos suo tamen ære conscriptos alant) junxerint; formidabilem Turcis exercitum, triginta sex millia nempe peditum duodecim equitum, in aciem educere poterimus, sat validam quæ cum centum Turcarum millibus aperto campo confligat.

Stipendij autem minui & quod præterea sumtuum fieri necesse, summa ad quinque milliones excrescet: quorum Germania dixi tres, Tu unum cum dimidio, millionem alterum dimidium Suecus Danusque tum Hanseaticæ societatis affines urbes pendant, & in commune conferant. Qua in re tibi imprimis auctor sum, ut ad prompte conferendi alacritatem alijs facem præluceas. Inibi enim locorum, cum de pecunia promenda agitur, oppidò lentæ impenseque continentes sunt manus nostræ; quas non facile nisi magno sub exemplo, ut officium suum faciant, excites & laxes, atque eo fine confestim decies illud Ludovicæorum nummûm centenorum millium, quæ tua est portio, præsenti pecuniâ partim Francofurti, partim Lipsiæ & Vratislaviæ, per mercatores collybo transmissum in promptu esse, sed depositi fide tantisper custodiri cures, donec reliqui, præsertim Germani, periculo proximi, adeoque & necessitati ut semetipsos adjuvare properent propiores, tantæ pecuniæ aspectu incitati ea quæ ab illis proficisci debent explere

fatagant. Et quam facile hoc decies centies millies repræsentatu tibi, O Rex, si cum Fouquetio uno ærarij tui diribitore rationem ponas, & paululo duntaxat pecudem hanc auream attondeas? Neque enim dignius & religiosè magis illam hujus Ægisthi & Cornificij, nundinatricem beatarum noctium, nostrarum sortium obsidetricem pecuniam, quæ nisi intercepta fuisset non unius in Danaës sinum per imbrem aureum defluxisset, expiare & tuam illic expressam effigiem luci reddere potes; quàm si pulveris Cyprij coëmtione dehonestatam nitrato defrices, ablatamque Veneri Marti tradas, & castris, non castratam, sed à castratis, quorum ille gregem per solam vocis maricidio redemtæ commendationem acceptum & pretiosum alere solebat, vindicatam dedices.

Effervescet extemplò, cum quod tuæ portionis est militum, condicto loco in expeditionem paratorum, atque tanto cum stipendio instructorum comparebit, & reliquorum pari in re par eoque impensius studium, cum major eorum quam tua res hic agatur. Nec multi laboris erit, ut quilibet ex illis quos nominavi Germaniæ Circulis, bis mille sexcentos pedites, equites quingentos armis æreque militari ornatos, breve intra tempus ad signa sistat. Nec Sueci, nec Danus, & Vrbes fœderis Hanseatici, quod ad eos pertinet submittere militum & pecuniæ ad tuum aliorumque exemplum cessabunt; & licet ultimi terrarum ultimi in opera sedulo patriæ navandâ non erunt.

Huic ego exercitui, quamprimum aut totus aut dignâ adres gerendas specie compositus atque ordinatus sub signis erit, iter per Saxoniam agrumque Brandeburgicum ac Silesiam, qua proximum in superiorem Vngariam & à latere adsitam Transilvaniam (quo minus Austriacas, de quibus post mihi sermo erit, provincias proprio milite onustas prægravet) rectâ capessendum suaserim, sedemque bello Cassoviam deligendam; sum-

ſummam autem imperij Electori Brandeburgico committendam. De cujus virtutibus multa profari nunc operæ non ſit; nec dubitandum, qui ut hactenus ita etiam in expeditione hac Turcica locum principem dignis Principe factis egregie ſit impleturus, acceptus futurus Cæſari, acceptus tibi, ipſis etiã Pontificiis acceptus bellator. Ne de ijs qui de religione mecum ſentiunt, dicam; ut ſunt majorem partem Vngari. De quibus mihi certò hoc polliceor, quum ad hoc uſque temporis ſegnius Cæſare evocante (fortè ob hunc ipſum religionis reſpectum) ad arma inſurrexerint, quam primùm hunc ducem ad fines ſuos adventare inaudierint, plenis agminibus in caſtra ejus convolaturos. Alteras â Brandenburgico qui teneat, Te penes ſit, vel Principem Harcourtium, vel me ſi dignum putes, eligere. Neque ego neque Harcourtius juſſa detrectabit; ut qui quo ego animo Bullionicæ, eodem Lotharingicæ domus funebria ſpectarit, uterque melioris ſpem fortunæ merito nobis noſtro alibi, & ubicumque tu volueris, locorum pignoraturus. Non deſunt Suecis, non Danis, quorum operâ utantur, ſelecti belli duces. Eadem Germanis, eadem Vngaris virorum fortium & expertorum facultas. Nihil proinde ut deſit, quam ut Tu primus occipias oſtendere, quid tibi ſit animi. Te auctorem, Te auſpicem nemo erit quin ſequatur.

Hunc quem oratione mea concinno, non minus autem, ſi res ſerio ſtudio agatur, reipſa concinnatu facilem, exercitum ſuperiori Vngariæ præſidere velim. Nec ullus dubito, non longi intra temporis ſpatium tam ſecundo rerum eventu bellatum iri, ut non tantùm pars illa Vngariæ, ſed Tranſilvania Moldavia ac Valachia, opulentiſſimæ regiones, Turcicæ tyrannidis exemtæ pedicis, nobis ſint acceſſuræ. In Vngariâ verò inferiore alium exercitum, ex Auſtriaco Burgundiacoque circulis Bohemiaque & Sileſiâ coactum habeat Cæſar: (viginti nempe peditum

tria equitum millia) cui & conſcribendo, & ſtipendio ſtato ſuſtendando, illæ ipſæ ſat habiles & ſufficientes ſunt Provinciæ. Quibus ſi Helvetij, in communi fidei Chriſtianæ diſcrimine per tuam vel ſolam autoritatem haud exoratu difficiles, duo millia peditum ſuæ nationis, Rex porro Hiſpaniarum quinque millia peditum mille equites, Principes ac Reſpublicæ Italiæ (Pontifice Venetisque exceptis, quorum opera alibi locorum, ut poſt indicaturus, æque utilis erit) tria peditum millia equites mille, Ordo tandem in Germania Teutonicus liberaque Imperij nobilitas mille itidem equites, Croati ad extremum & illius oræ Vngari quatuor peditum totidem equitum millia addant, Cæſarque ipſe ſuo ductu præſens res adminiſtrandas ſuſcipiat, aut non temere ulli alij quàm ex Auſtriacâ aliâve inter primarias in Germaniâ familia nato Principi committat; eccui erit dubium, quin hæ quadraginta quatuor millium ſummam exæquantes copiæ totâ Turcas quæ ad illud Danubij latus eſt Vngariâ ſint exacturæ? Hîc pro ſtipendio annuo & reliquis militiæ expenſis quatuor cum dimidio Germanicorum florenorum milliones habeantur neceſſe eſt. Duo cum dimidio â Cæſare ex Auſtriaci Burgundiacique circulorum collationibus ac tributis ſuppeditandi; unus cum dimidio, quæ eadem tuæ, O Rex portionis ſumma eſt, â ſocero Tuo Hiſpaniarum Rege; qui defit alter dimidius millio, â reliquis quos memoravi expeditionis ſocijs exſolvendus.

Pontificem belli â te impendentis metu liberum (nam rem cum eo tranſactam dat poſſeſſus â te Avenio, & tua Parmæ Mutinæque impenſa acceptaque beneficia, ut benefactorem malint amicum habere quam vicinum, multò minus ament Larium ſuorum inquilinum) quid impediet, quo minus, quam nunc coactam habet leviſſimam militum manum, brevi navigationis per Adriaticum trajectu copijs Venetis jungat? hæque unà ſociatæ

Dyrra-

Tyrrachium aut Aulonis in Epiro portum Turcis (nil tale, ut nunc res sunt, opinantibus, constareque tibi propositum arma in Pontificem inferendi credentibus) tentent, ut si res succedat habeat, oræ illius habitatores plærique Christiani profligare Turcicam servitutem, & sinum Turcici Imperij armis nostris patefacere queant.

Valebit haud dubie tua & apud Batavos & Anglos autoritas: exhortantis ut quidquid mari possunt (sunt autem navales ijs immensi apparatus) infestâ navigatione inferant Africæ littoribus, & infames illic piratarum, (sub quibus tot ex utraque natione capti miserrimi hominum immanem dictu servitutem serviunt) nidos & lustra exscindant. Præsertim cum perfidis pactis toties ab eis sibi impune usque adhuc illusum, mariaque omnia atque ipsum adeo Oceanum, ad oras usque Britannicas ac Batavicas, prædatorijs horum Barbarorum navigijs audacissimè pererrari cernant; ut nusquam non locorum Christiano cuivis plena periculis & anxia metu sit navigatio. Nec verò Galli ipsi, internaque maris nostri & in Oceanum obversa Galliæ littora, ab eorum latrocinijs libera sunt. Vnde decorum tibi erit, & quidquid maritimæ potentiæ tibi suppetit cum classe Batavicâ atque Anglicâ pariter in hostem emittere, & à socero quoque tuo ut idem faciat impetrare; quippe cujus regiones longissimo terrarum littorumque tractu latronum horum incursibus multo latius sunt expositæ.

Lusitanis profecto, si idem socer tuus ad pacem eis aut annorum aliquot inducias concedendas reipublicæ Christianæ bono se permoveri patiatur, quid optatius contingat, quàm metu Catholici Regis liberos posse se quidquid habent virium ad communem Christiani nominis causam tuendam conferre, & incensa à consanguineis populis odia in Turcas & Mauros effundere, & per horum excidia insepultis Regis olim sui cineribus parentare?

Nec mihi minor de Polonis spes est, qui utique in reliqui or-

bis Christiani contra Turcas conjurati confessu non quiescent; sed in eodem sacramento nec inter extremos esse volent: præsertim cum refractarius ille Regi suo miles, qui feceſſione suâ res Polonicas hactenus in ambiguo tenuit, pernumerato stipendio pacatus jam in justos ferri hostes, jam legitima mereri vulnera, impense ardeat. Quid si & Moſci & Poloni ut concilientur, communi totius Christiani nominis deprecatione ac supplicijs â se impetrari sinant? quo promtius ipsi Cosaccis Ponti Euxini accolis sociati in viscera Turcici imperij invadant: Moscus autem diversâ parte, quâ fines ejus â Turcicis propius absunt, nova belli mole in eos incumbat; ipsumque adeo Persam, profeſſum ac perpetuum Ottomannorum hostem, ad manum secum jugendam, & per invisæ gentis exitium satianda innata in Turcos Persis odia commoveat & conciter.

Hujusmodi te cogitationibus, O Rex, succinge. In hujusmodi succeſſu tentanda discrimina te arma. Ad talia te experimenta facienda ducem atque auctorem præsta. Atque adeo temetipsum â te præsenti interroga: quibus scilicet confederis arvis, quas terras premas. Has nempe, ex quibus Gottofredus Bullionæus, non ille earum ut tu opum sed fortunæ permodicæ Princeps, ausus est tamen animi sui magnitudinem ac spes suas in penitiſſimos Orientis ac Palæstinæ fines proferre. Ac protulit pertulitque re ipsa, per infinita terrarum spatia ducto voluntario ducentorum amplius millium bellatorum exercitu, ac tandem Hierosolymitanâ & urbe & regno potitus, glorioſiſſimũ tibi præivit imitationis exemplum; ut eo minus extra hujusmodi cogitationes sis, quo major es sed ad paria ac sublimiora aspires. Nec tamen ad id gloriæ fastigium ut pervenias, neceſſe tibi te domo commovere; sed quod velis, quod tibi in voto sit, efficaciter velle. Nam si constanter quidquid id sit, hoc præsertim quod ipse Deus concitat, velis, poteris quoque, modò tibi ipsi posse videaris.

Iam

Iam primum Germaniæ Ordines omnes, ad quorum latus sævit belli periculosissimi incendium, tuam implorant opem: te adjutorem protectorem auxiliatorem suum respiciunt, tibi se salutemque patriæ commendant. Major ex illis pars peculiari tecum sociata fœdere, ut ex fide quoque tua sit eis optulari. Cæteri, atque illi præcipuè qui Augustanæ confessionis nomine censentur insignibus, vel me teste, beneficiis â te affecti (quæ reticeo, ne exprobrare videar) â te tuâque autoritate nunquam dissentient; sed tuis suffulti subsidiis, tuo animati ductu & exemplo, armabunt quidquid quisque habet virium & egregium brevi militem sacramento adactum producent. Tum autem Cæsar ipse consobrinus tuus, tam arcto sanguinis nexu junctus tibi, quid â te non jure merito exspectet? in tanto suo & totius reip. Christianæ adeo nunc valido ictu percussæ discrimine? Quam tu per omnium facultatum tuarum, quam per proprij si res postulet sanguinis effusionem, eo pacto quo filius matri civis patriæ mortalis Deo obstringitur, tegere ac tueri obligatus es. Poterisne tu secundum Vngariam Turcarum faucibus immersam, Austriam quoque ab ijsdem omnibus barbaricæ & inhumanæ atrocitatis tormentis dilaniatam, siccis oculis, immoto ad commiserandum pectore, nullo subveniendi æstu ac fervore, nullo ad innoxiorum tot populorum cogitatu etiam fœdas calamitates, doloris sensu intueri, immemor tui ipsius, immemor Austriaci sanguinis, quo dimidio â matre promanante & ipse vivis & quo itidem dimidio qui ex te vivent victuri sunt?

Venit nunc in mentem mihi quadringenties mille Ludovicæorum illud nummùm, â Cardinali Mazzarinio in Turcici usum belli supremis Cæsari tabulis legatum; cum ille sub propinquæ jam mortis disciplinâ doctus esset, & docere posset alios, si qui audiant, quæ maximè laudatæ & rite impensæ sint opum Ecclesiasticarum erogationes. Hanc tu pecuniam cur domi custodi-

tam

tam teneas, cur non emittas, quo ire jussa est, quo ipsamet tendere gestit? Cur hoc novissimæ voluntatis suæ fructu defunctum, hominem qui omnibus in te vivens moriensque officiis defunctus est, fraudes? Nescio quem ad te excusandum Tui si eos consulas Theologi, tuæ conscientiæ arbitri & rectores colorem dicere aut quid obtendere queant. Mearum sane in religione partium Theologos si interroges, negabunt legatam Cæsari pecuniam in tam acceptum Deo usum, in tantâ necessitate, sine gravi à te piaculo retineri posse; imò moram quoque, quod tardius solveris, condigno fœnore redimendam ac supplendam.

Eja ergo, quid cunctaris, quid deliberas, quid in tu te oblivionem immergis? Res Christiana tota in te suspenso hæret vultu; tuum nutum, tua operitur auspicia. En paratus tibi lectissimus miles. Ex quo quid erit negotij sex non amplius proditum duo equitum millia segregare, & in tam glorioſi incepti expeditionem præmittere, donec si opus fuerit tota Regni mole subsequare? Par rebus gerendis præsentis pecuniæ vis in manu tibi; plura inexhaustæ tributis Galliæ pollicentur. Et hic belli nervus, hæc rerum anima, hic omnium actionum spiritus est, huic omnia obediunt obsequuntur, & ejus subsidio sustentatu sese factu facillima reddunt. Germanus, Suecus, Danus, Polonus, Anglus, Batavus, & quidquid usquam Christianæ notæ est, Italus ac Hispanus ipse, non concedent tibi. Et quivis eorum approperabit, si inter primos esse nequeat, saltem ne postremus sit. Quid autem Gallica nobilitas? quo se animorum ardore tua post jussa incitabit, ad hoc bellum tam glorioſum, tam necessarium nomini Christiano propinquo ab interitu vindicando? Crede mihi, crede orbis universi famæ & voci: hortent Turcæ vel solum Gallorum nomen. Nam oraculo eis proditum, & ipsi prona fide credunt: Gallorum virtute & armis Imperij Ottomannici statum eversum iri; magnisque pene quotidie lamentis, cum in templorum

rum suorum adytis Machometo suo supplices, id solum ut in longinquum fata ipsis imminentia proroget, (nam ut omnino effugiant, nulla ipsis fiducia aut spes) impetrare contendunt, contestatum nobis & certum reddunt; at magno emant ne ad nos emanaverit. Hoc tu oraculum verum maturumque & eventu ipso comprobatum facito, Ludovice. In hæc re facta natum esse præsumito. Multis antiquitus expeditionibus inclaruerunt per Orientem Gallorum arma: ac proinde quisquis ibi Christianus audit Gallus seu Francus nominatur; insigni documento, quanti populis illis Galli fiant, quorum nomine totius Christiani orbis universitatem insigniunt.

Potuit Gottofredus Bullionæus Solyma, potuit Balduinus Flander Byzantium expugnare: quota parte opum tecum comparandi? Ne desis exemplo, qui vicibus immensum superes. Aude & te dignum ostendere, qui posteritati inter exempla sis.

Ea es ætate, quæ M. Alexandrum ingentibus belli facinoribus vel maxime exercitum intentumque habuit. At ille orbis prædator, tu vindex eris. Ille sibi, tu Christo vinces. Terris ille omnibus, tu secundum terras cœlo potiri contendis. Non unus illi orbis; nec tibi sufficiet, ad superos, sed tum demum ut vovemus transgressuro, cum ille totus à te domitus doctusque Christum adorabit, ne mortalitatem tuam prius expleas quàm immortalibus mortalia omnia beneficiis affeceris; tum, cum inter Christianos lætum erit Turciam in Turcia quærere, excisis Machometismi vestigiis Christianorumque in oriente servitute commutata in imperium, ut ijsdem ergastulis constrictos Turcas includant, quibus nunc ab his, sub intolerabilibus hu-

manæ patientiæ tormentis ac suppliciis continentur.

Horum calamitosorum voces te audire, horum lurida & deformia ora intueri te, O Rex, finge. Illosque vel solos Gallos tuos cogita, quorum infinitus numerus vel in Africâ penes piratas, vel alibi apud Turcas, non servit (humanum hoc) sed bestiarum in morem habetur afflictatur & premitur. Horum, à te passis manibus opem dulceque libertatis nomen inclamantium, quin te misereſcat, quin eis opitulatum eas, scio te vitæ usura tibi interdicturum. Tanta in te pietas: tantus in tuos amor: tanta erga illos caritas; ut hujus potissimum virtutis in te ad Christi exemplum exprimendæ incenso ardore & studio, dignum te Christianissimi Regis nuncupatione ac nomine ostendas.

FINIS.

# INDEX SCRIPTORVM HOC VOLVMINE CONTENTORVM.


I. Lazari Soranzij Ottomannus sive de Imperio Turcico. pag. 1.

II. Achillis Tarduccii Turca vincibilis in Vngaria. pag. 163.

III. Anonymi cujusdam dissertatio de statu Imperii Turcici, cujusmodi sub Amurathe III fuit: deque ejus evertendi modo. p. 313.

IV. Augerii Gislenii Busbequii exclamatio sive de re militari contra Turcam instituenda consilium. pag. 323.

V. Ioannis Comitis Tarnovii de bello cum juratissimis Christianæ fidei hostibus Turcis gerendo disputatio. pag. 361.

VI. Lazari Suendij quomodo Turcis sit resistendum consilium. pag. 379.

VII. Felicis Petancii libellus de itineribus aggrediendi Turcum. pag. 399.

VIII.

*IIX. Christiani Franci dolium Diogenis, strepitu suo collaborans dynastis Christianis, bellum in Turcas parantibus.* pag. 413

*IX. Henrici Turrij Vicecomitis de Tonrenne ad Regem Christianissimum de bello Turcico oratio.* pag. 431.